R.P. VINCENTIJ TANCREDI PANORMITANI SOCIETATIS IESU QUAESTIONES...

Vincenzo Tancredi




8
1 E
29

R. P. VINCENTII

TANCREDI

QVÆSTIONVM MORALIVM

PARS SECVNDA

R. P. VINCENTII TANCREDI PANORMITANI

SOCIETATIS IESV THEOLOGI

QVÆSTIONVM MORALIVM PARS SECVNDA

IN QVA SELECTIORES CASVS PASSIM OCCVRRENTES
Ab alijs aut nondum exagitati, aut durius decisi; breuiter, solide, ac mitius quinque Tractatibus resoluuntur.

OPVS THEOLOGIS, IVRISCONSVLTIS, CONFESSARIIS, Ac Iudicibus in foro ecclesiastico, & saeculari perutile.

TOMVS AVTHORIS V.




PANORMI, Apud Iosephum Bisagni, M. DC. LIX.

Imprim. Abbas Gelosus V.G. *Imprim. R. D. Petr. de Greg. Praes.*

IOANNI IV.
EX COMITIBVS
DE VIGINTIMILLIIS
MARCHIONI HIERACIS, PRINCIPI CASTELBONI, ET SCALETTAE, DOMINO VTRIVSQVE TVSAE, POLLINAE, SANCTI MAVRI, GAVTERI, BACCONI, GVIDAMANDRI, &c.

VINCENTIVS TANCREDI SOC. IESV F. P.




SI dulce decus, ac præsidium fuit Venusino Poetæ Mœcenas ille Atauis editus Regibus; quantum huic libro ornamenti, ac roboris accrescet, si Tu Princeps humanissime, qua soles benignitate illum aspexeris, qui ex Lascaribus Imperatoribus Constantinopolitanis, atque Saxoniæ Ducibus lætaris genere. Quod quemadmodum reciprocantes vndæ suam mari communicant, ac inde deriuant salsedinem: ita inclytum Ducibus Sabaudiæ, Regibus Aragoniæ, ac Galliæ sanguinem communicauit, & clariori deriuatum fonte hausit. Aui quippe Tui sunt Riccardus Serlo nepos ex fratre Rogerij, huius Regni Siciliæ Comitis, Guillelmus coniux meritissimus Irenis filiæ Constantinopolitani Imperatoris, & Eleonoræ Sabaudiæ filius carissimus. Antonius Huius Regni Admiratus, qui Matrem habuit Agatham illam Pratensem Iacobi II. Regis Aragoniæ neptem. Et Margaritam Bausiæ Neapolitanæ Reginæ sororem, quæ genus suum ad Francorum Regem referebat, sibi in vxorem adlegit. Quid alios memorem præclarissimos belli, pacisque Heroas? tot in tua familia numeras, quot cœlo fulgent lucidissima sydera: quæ numerare volenti laboriosum valde erit. Præsertim quia Tu, Princeps vere Magne, Is es, qui innumeras nobilitatis decora ex proprio pandis patrimonio, quod præclarissimis facinoribus ad Inuictissimi Regis Nostri obsequium, pro vt fidelissimum decet tantæ Indolis virum, cumulasti; Cum Te viderimus, & res turbulentissimas huius regni inuicto animo componentem, & contra Regis Nostri hostes, tuis semper simillimum Proauis, certo vitæ Tuæ discrimine, ardente quam maxime Syrio, Panormo proficiscentem, vt demandatam virtuti Tuæ supremam militum Cataphractorum prouinciam strenue obires: Te in Regni comitijs teneris adhuc annis maturum animum gerentem totius militiæ Principem non semel summa animorum admiratione conspeximus, ac omnia, quæ ad huius fidelissimi Regni fœlicitatem, & integerrimam Regis nostri mentem conducere videbantur incredibili dexteritate, ac prudentia conficientem. Et quod miraculo prope omnibus est, in tanta Tuorum, ac Tua gloria vniuerso terrarum orbi diffusa, ea nites comitate, vt Te parem omnibus præbeas, omnesque ad te confluentes summa humanitate complectaris. Ne igitur, Princeps nobilissime, Te tui absimilem, mei operis tenuitas efficiat; sed ea beneuolentia eoque patrocinio, quibus Societatem nostram, Tibi addictissimam, ob innumera à Tua, ac Tuorum munificentia accepta beneficia semper foues, Me quoque minimum eius alumnum, qua polles benignitate, & mentis amplitudine tuearis. Vale.

IOSEPHVS CASTELNOVVS
PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV
IN SICILIA.

CVm librum, cui titulus: *Quæstionum Moralium Pars Secunda*, à Patre Vincentio Tancredi nostræ Societatis compositum, Tres eiusdem Societatis Theologi, quibus id commisimus recognouerint, & in lucem edi posse probauerint: facultate ad id nobis à R. P. N. Gosuino NiKel Præp. G. communicata, concedimus, vt Typis mandetur, si ita his, ad quos pertinet videbitur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, et nostro sigillo munitas dedimus. Panormi die 30. Iulij 1658.

VIdi de mandato Reuerendissimi Domini D. Io. Antonij Geloso Vicarij Generalis Excellentissimi, & Reuerendissimi Domini D. Petri Martinez Rubio Archiepiscopi Panormitani, Præsidentis, & Capitanei Generalis in hoc Regno Siciliæ, Nec non etiam de mandato Illustrissimi Regentis D. Petri de Gregorio Præsidis M. R. C. eiusdem Regni librum cuius titulus est *Quæstionum Moralium, Pars secunda* à P. Vincentio Tancredi compositum, & in eo nihil reperi, quod bonis moribus, aut fidei Catholicæ obsit; Quinimò mira illum eruditione, ac pietate refertum esse censeo, multorumque profuturum saluti. Panormi 1. Martij 1659.

Hieronymus Lachiana è Soc. Iesu Deputatus.



INDEX TRACTATVVM

QVI IN HOC OPERE CONTINENTVR.



INDEX

QVAESTIONVM,

Quæ in his Tractatibus continentur.

TRACTATVS PRIMVS

tum

TRACTATVS SECVNDVS

TRACTATVS TERTIVS

15.

pa;

TRACTATVS QVINTVS

de

FINIS.



INDEX
RERVM OMNIVM
NOTABILIVM.

Ami-

An

Excommunicatio.

Expreſſum

Fi-


re-

An

vt

Quid

FINIS.





TRACTATVS PRIMVS

DE MODO QVO SOCIETAS IESV POSSIT SVCCEDERE RATIONE SVORVM RELIGIOSORVM.

QVAERES I.

An Societas Iesu possit succedere tanquam renunciataria suorum religiosorum.

SVMMARIVM.

Quid sentiat circa propositam quæstionem Iouagnonius num. 1.

Vera sententia proponitur num. 2.

*Societas Iesu quoad domos professas quomodo possit hæres institui, & rem stabilem retinere, aut fructus alicuius fundi percipere nu.*3.

*Quid intelligant Doctores, dum dicunt, Societatem Iesu non succedere nomine, & ex vi professionis suorum religiosorum nu.*4.

Religiosus Societ. Iesu post vota biennij succedit ex testamento, ac ab intestato, & est capax dominij, non tamen habet vsum, vel administrationẽ n. 5.

D. Nicolaus Fernandez de Castro laudatur, quatenus probat, quã sit antiquum in veris religiosis fuisse rerum dominium nu. 6.

Societatis Iesu scholares post vota simplicia esse veros religiosos declaratur à Greg. 13. *n.* 7.

Professi, aut coadiutores formati in Societate Iesu non succedunt, nec ab intestato, nec ex testamento, nec ipsa Societas nomine ipsorum n. 8.

1 NEgatiuè respõdebit ad hãc quæstionem Doctus Iurisconsultus Iouagnonius *libro* 1. *res.* 85. vbi *à num.* 1. *ad* 6. contendit, Societatem Iesu esse incapacem cuiuscunque hæreditatis, ac cuiuscunque successionis, & *num.* 12. addit Societatem Iesu nil proprij posse habere, nec communiter, nec priuatim præter victum, & vestitum. Sed certè hic Auctor processit ex ignoratione nostri instituti, vt videri potest in Sanchez, Fagundez, Castropalao, Delugo, Molina, Pellezario, Lezana, & alijs passim infra citandis, iuxta quos debet etiam intelligi Diana *par.* 8. *tr.* 9. *res.* 104. vbi ait, donationem factam Societati Iesu, seu Domui Professæ esse inualidam; cum domus professa sit incapax dominiorum. Nam prout ipse

loquitur, vtrumque est falsum, vt patebit in hac quæs. & seqq.

2 Quare affirmatiuè respondendum est cum Sanchez *lib. 7. sum. cap.* 17. *num.* 16. vbi ait [quamuis autem nec societas professa, nec collegia ius habeant nomine suorum religiosorum succedendi, vt habent cæteræ religiones præter Minorum: At possunt Religiosi dum ante professionem, & vota coadiutorum formatorum de eis siue donatione, siue testamento disponunt hæredem domum professam, aut collegium Societatis instituere. Quia vt vidimus num. præc. integrum est iuxta nostras constitutiones ei aliquid relinquere, nec distinguitur: an titulo hæreditatis, aut legati, aut donationis, nec domus professa reperitur huius institutionis incapax; sed solius iuris succedendi nomine suorum religiosorum, vt num. præc. diximus.]

3 Nimirum Societatem Iesu, seu domos professas posse à quocũque hæredem institui, siue bonorum mobilium, siue stabiliũ, non vt bonum stabile retineant; sed vt illud vendant; & pretium in suos vsus necessarios conuertant; nisi res illa stabilis sit necessaria, aut valdè conueniens ad habitationem, seu recreationem nostrorum: tunc enim illã possunt retinere, de quo etiam vide Molinam *tom.* 1. *de iust. dis.* 195. *col.* 2. Emin. Delugo *lib.* 4. *respon. moral. dub.* 10. Suarez *tõ.* 3. *de relig. lib.* 8. *cap.* 17. *num. & num.* 10. Thomam Tambur. *in decal lib.* 8. *cap.* 7. §. 1. *num.* 8. qui explicant; an, & quos fructus possint domus professæ ex aliquo fundo, quem retinerent ad recreationem percipere iuxta constitutiones Soc. Iesu *p.* 6. *cap.* 2. *fine* ibi [& tũnc huiusmodi ille locus sit, vt nec alij locetur, nec fructus, qui redditũum loco esse possint habeat] nam Sãctus Pater Ignatius solum voluit talem fundum posse à domo professa retineri [in vsum conualescentium, vel eorum, qui, vt rebus spiritualibus vacent se ab hominum frequentia recipiant] sic ipse loquitur *d. cap.* 2. *const.* §. 5. ad propositam quæstionem deueniendo, Sancium sequitur Fagundez de contractibus *lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 29. vbi habet religionem Societatis nihil acquirere ex vi suorum religiosorum, præterquam facta sibi donatione, aut eleemosyna talium bonorum, idem etiam docet Anton. de Marinis *lib.* 1. *quot. resol. cap.* 197. *num.* 7. *ver. at vtrumq.* Atque adeo bonorum, quę sibi donantur habet Societas Iesu, & domus professa dominium in communi hoc pacto, vt loquitur Sanchez *lib.* 7, *cap.* 27. *num.* 19. *summæ* [ad redditus omnino ius ciuile denegatur, eorumque dominium; ad alia vero stabilia, si sint necessaria ad vsũ, aut habitationem cõceditur ius ciuile, & dominium: si vero necessaria non sunt hęc denegantur non absolutè; sed ad ea retinenda; habet ergo ad ea vendẽda ius, & dominium, &c.] ita Sanchez.

4 Notandum tamen est pro dicendis etiam infra: Societatem Iesu dici ab his Doctoribus non succedere nomine suorum religiosorum, seu ex vi suorum religiosorum, ex eo quia Societas non repræsentat ipsum religiosũ in successionibus, neque hæreditates, aut iura ad illas siue ex testamento, siue ab intestato, suis religiosis proueniẽtia acquirit ex vi professionis emissę à suis religiosis, vt loquitur Greg. 13. in d.

in d. bulla ascendente Domino ibi [nec propter emissa vota, &c.] Et vt explicat ipse Sanchez *lib* 7. *cap.* 12. *num.* 21. iure cuiusdam naturalis acquisitionis, & accessoriæ personæ, prout etiam docent Innoc. *cap. in præsentia num.* 6. *de probationibus* vbi Ant. *n.* 28. Abbas *n.* 74. *&* 75. Barth. *auth. ingressi in* 2. *Lectura n.* 57. Salic. ibi *num.* 8. *q.* 5. Roselli *n.* 23. Tapia *num.* 4. *ver. ipso ingressu* Crassus *de success. ab intest.* §. *hæreditas q.* 6. Mend. *repet. l. cum oportet C. de bonis qualib.* Gofredus *auth. si qua mulier lit. O* & alij permulti, quos citat Sanchez d. c. 12. num 13. agentes de iure succedendi, quod habent cęteræ religiones nomine suorum religiosorum, seu ex vi professionis emissæ suorum religiosorum, exceptis fratribus minoribus, & Soc. Iesu, quæ nullum habet ius succedendi in hæreditate aliqua ex vi professionis in ea emissæ, seu ex eo quia in ea reperitur ingressus ille, cui defertur aliqua hęreditas, siue ex testamento, siue ab intestato, nam si est v. g. aliquis ex his, qui tantum emiserũt tria vota post biennium nouitiatus, qui de suis bonis, quæ habebat, vel non disposuerat, vel disposuit per testamẽtum, quod reperitur nullum, & moritur in Societate Iesu adhuc illa bona cõpetunt suis hæredibus, qui succederent ab intestato si is esset in sæculo, & non competunt Societati, pro vt competerent, si hic esset religiosus aliarum religionum, exceptis fratibus minoribus, vt tradunt Less. *lib.* 2. *de iust. cap.* 41. *dub.* 10. Molina *de iust. tom.* 1. *dis.* 140. *col.* 2. *v. eo ipso, quod quis* Manuel. *qq. reg. tom.* 2. *q.* 80. *ar.* 2. Azor. *tom.* 1. *inst. mor. lib.* 12. *cap.* 8. *q. vlt.* ex Iurisp. Gloss. *cap. si qua mulier ver. non extantibus ad finem* 19. *q.* 3. Cynus *auth. si qua mulier. Cod. de sacros. eccles.* vbi Odofredus *n.* 1. & 10. Bellaper *q.* 1. Bar. *n.* 17.

5 Si vero talis religiosus post vota biennij viueret, tũc ius succedendi, mortuo aliquo sibi propinquo ex testamento, vel ab intestato, non competit Societati, vt dictũ est; sed ipsi religioso: nam qui sola vota post biẽnium emittunt, vt sunt scholares Soc. Iesu sunt capaces cuiuscumque dominij acquirendi, vel retinẽdi, & de facto retinẽt dominium suorum bonorum: quamuis nec ad ministrationem, nec vsum eorum habeant sine licentia suorum superiorum, ac parati esse debeant illa renunciare iuxta constitutiones, prout habetur in d. Bulla Greg. 13. Accẽdente, & in const. *par* 6. *cap.* 2. §. 1. *in declarat. lit. H. & part.* 4. *cap.* 4. §. 5. *in declar. lit. E.* & in exam. *cap.* 4. §. 11. & videri potest Molina *tom.* 1. *de iust. dist.* 139. *col.* 3. Sanchez *l.* 7. *sum. cap.* 27. *nu.* 2. Castropalaus *t.* 3. *dis.* 3. *punto* 10. *n.* 1. & alij passim, & ex exteris Basilius Põt. *lib.* 7. *de matr. à cap.* 1. *ad* 11.

6 Et nouissimè ingeniosissimus Iurisconf. D. Nicolaus Fernandez de Castro *in trac.* 1. *de relig.* qui probat eruditissimè non esse hoc singulare, neque nouum, quod possit stare rerum dominium apud religiosos, & de facto a tempore Apostolorum per varia sęcula ita fuisse.

7 Neque nunc posita declaratione d. Greg. 13. licet dubitare; num hi, qui emittunt vota post biennium probationis in Soc. Iesu quamuis simplicia, & bonorum dominium retineant, sintque capaces illud acquirendi, sint verè religiosi, vt benè aduertit Lezana *tom.* 1. *sum. cap.*

2. *num.* 3. cum Pontifex in sæpè cit. Bul. ascendente, sic habeat [statuimus, atque decernimus tria vota huiusmodi, & si simplicia huius sedis institutione, & & nostra etiam declaratione, & cõfirmatione esse verè substantialia religionis vota, ac in dicta Societate tanquam in religione approbata per sedem eandẽ admissa fuisse, & esse, ac per nos admitti] quod autem dicti religiosi per vota simplicia sint bonorum capaces, & dominij ex manifesta Sedis Apostolicæ declaratione patet ex illis verbis d. Greg. 13. ead. bulla. [Licet qui quoad gradus professorum, & coadiutorum formatorum nondum peruenerunt, bonorum suorum ius, atque dominium tum alias ob iustas causas; tum etiam, vt maiorem Societas habeat libertatem illos si opus fuerit cum minori offensione dimittendi, ad tempus, Generalis Præpositi iudicio pręscribendum, valeant retinere,] quod etiam sint capaces hæreditariæ successionis, & acquirendi nouum rerum dominium post vota omissa meo iudicio apertè colligitur, vt definitum in ipsa bulla; nam cum pauló ante Põtifex de his, qui vota biennij emiserint. Locutus fuisset; statim subdens recensere vota coadiutorum formatorum, et professorum, addit [quibus emissis, eo ipso nihil omnino proprij amplius, vel domi, vel foris habere possunt, fiuntque incapaces cuiuscũque hæreditarię successionis] ergo his votis non emissis, sed illis solis post biennium non fiunt incapaces hæreditariæ successionis, et sic absolutè docent omnes societ. scriptores. Solum disputant: an ad licitam acquisitionem noui dominij requiratur superiorum licentia, vel an talis acquisitio per superiores irritari possit, de quibus vide Pellezarium in manual. *tract.* 4. *cap.* 2. *à num.* 151. *& multis seqq.*

8 Quod si hi, ad quos deueniret hæreditas ex testamento, vel ab intestato sunt iam coadiutores formati, aut professi; nec ipsi possunt succedere, nec societas Iesu nomine ipsorum, sicut succederent aliæ religiones, ex eo quod illi professionem emiserũt, et iure cuiusdam naturalis acquisitiones, quia oc, quod alijs religionis. competere vidimus, supra de iure communi, societati per suas constitutiones est interdictum *par.* 6. *cap.* 2. §. 12. [quo melius paupertatis puritas, et quies illa quam secum affert, conseruetur, non solum particulares professi, vel Coaduitores formati hæreditariæ successionis non erunt capaces; verum nec domus, nec ecclesię, nec collegia eorum ratione] id est, vt declarauit Greg. 13. [nec propter emissa huiusmodi vota publica, aut per mortem ab intestato, in illorũ (nempè coadiutorum) sicuti, nec in professorum bonis domus vlla, etc. succedere potest.] vnde succedent venientes ab intestato, quando ante professionem aliter nõ disposuissent. Hæc notasse nõ duxi superfluũ: nã quamuis apud nostros scriptores sint obuia, vidi tamen viros doctos adhuc ea ignorare, & quia valde sũt pro dicẽdis necessaria.

QVAERES II.

An renunciatio, quæ fit à religiosis Soc. Iesu absolutè iuxta Constitutiones, cõpræbendat nõ solũ bona præsentia, aut futura, sed etiam, quæ sperantur.

SVM.

SVMMARIVM.

Affirmatiua sententia stabilitur. n. 1.
Renunciatio bonorum, quæ fit ab ingressuris in eam, an debeat fieri absolutè, an sub conditione perseuerantiæ n. 2.
Renuncians in Societate, etiam si sit Nouitius, an peccet si non renunciat etiam omnia iura futura sperata, &c. n. 3.
An hoc peccatum sit mortale n. 4.
An sit contra votum paupertatis. n. 5.
Religiosi Societ. Iesu accipientes eleemosynam promissis, an peccent contra votum paupertatis. n. 6. & 7.

1 RESpondeo affirmatiuè, ita habetur expressè in 3. *par. const. cap.* 1. §. 7. *lit. F.* vbi explicatur quorũ bonorum fieri debeat renunciatio, his verbis [possessione suorum bonorum se abdicare tam de proprijs bonis intelligendum est, quam de iure, vel actione, quæ ei competit ad bona, quæ sperat siue sæcularia illa sint, siue ecclesiastica] quę verba licet sint in declarationibus, eandem habent auctoritatem, quam constitutiones vt habetur *in 6. par. cap.* 1. *lit. A.* & in prooemio in declaratione, & annotationes constitutionum, ostenditur autem in illis, quod quamuis professurus in societate, seu renuncians iuxta Soc. constitutiones simpliciter, & absque alia expressione renunciet sua bona; tamen intelligitur dicta renunciatio facta tam de bonis præsentis hæreditatis, quam futuræ, quam speratæ, atque adeo Sanchez *lib.* 7. *sum. cap.* 1. *nu.* 31. ait [quæ verba (nempè constitutionis, à me citata) includunt renunciationem hæreditatis præsentis, siue futuræ, quam speraret; cum cõtineāt renunciationem omnium bonorum, iurium, & actionum, & hæreditas nil aliud sit, quam successio in vniuersum ius *l. nihil aliud ff. de verb. signif.* et quamuis aliquis posset prætendere nomine huius (legendum puto) iuris sperati, cui renunciandum est, non intelligi spem hæreditatis futuræ iuxta doctrinam, quã cap. seq. t护 trademus, dicentem spem futuræ hæreditatis esse inanem, nec claudi sub renunciatione cuiuscumque iuris sperati: at illa doctrina non obstante, dicendum est, in hac constitutione claudi, quod ex fine illius aperte colligitur: finis quippè est, vt religiosus Societ. Iesu maneat omnino, & perfectissimè pauper absque vllo succedendi iure] sic etiam docet Fagundez. de cõtr. *cap.* 17. *num.* 29. *circa finem.*

Notanter dixi (de renunciatione facta absolutè iuxtà Societatis Iesu constitutiones) quia quamuis ex vi simplicis promissionis, & non voti teneatur renuncians in Societate sua bona, illa renũciare absolutè iuxta modum præscriptum in Societate iam dictum, vt tradit Molina *tom.* 1. *de iust. dis.* 139. *v. nouitij ante ingressum.* Sanchez *lib.* 7. *sũ. cap.* 1. *num.* 31. *fine* Layman *lib.* 3. *sec.* 5. *trac.* 5. *cap.* 7. *num.* 9. Suarez *tom.* 4. *relig. trac.* 9. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 19. docentes dictam renunciationem valere, nec posse reuocari per egressum è religione; tamen potest renuncians in societate etiam post vota biẽnij illam renunciationem facere non absolutè; sed sub conditione si in societate perseuerauerit, vel non renunciando omnia iura futura, etc. nam posito quod non re-

renunciet iuxta Societatis cõstitutiones; renunciatio ab intentione renunciantis habet omnẽ vim, cum actus agentium non se extendat vltra ipsorum intentionem, & infra fusius probabitur. sic in terminis Pellezarius *manual. tract. 2. cap. 9. num. 15. circa finem* loquens de renunciatione conditionata; *si in societate perseuerauero*.

3 Et idem videtur innuere de renunciatione non facta vniuersaliter de omnibus bonis futuris *num. 59.* vbi quærens: an legatũ relictum religioso Societatis sub conditione, si non perseuerauerit in Societate, comprehendatur sub generali renunciatione bonorum, quæ postea fit à legatario, ac proinde si is è societate dimittatur, illud non recuperet, respondet, comprehendi, si renunciatio sit facta de omnibus bonis tam futuris, quam præsentibus, & quidem, etiam de iuribus, atque actionibus quouis titulo competentibus; ergo supponit, posse fieri renunciationẽ, & non de bonis, & iuribus futuris. Licet ea tunc non fiat licitè, sed peccabit renuncians hoc pacto, quia non renunciat iuxta constitutiones Societatis, prout promiserat in ingressu iuxta examen *cap. 4. §. 1. 2. & 3.* neque solum peccabit renuncians post vota biennij, & non iuxta Societatis constitutiones, vt videtur sentire Pellezarius *d. nu. 15. fine*, sed etiam Nouitius renuncians tali pacto post primum annum probationis: quia vterque faciũt contra promissionem, nam promissio renũciandi omnia sua bona iuxta constitutiones fit etiam à Nouitijs, vt patet in *d. examine cap. 4. §. 2.* ibi [quod si statim propter aliquas honestas causas bona non relinquet, promittat se promptè relicturum omnia, vt dictum est, post vnum ab ingressu absolutum annum, quandocumque per superiorem iniunctum ei fuerit in reliquo tempore probationis] ergo non solum faciet contra promissionem religiosus Societatis renuncians post vota biennij; sed etiam nouitius si renunciet post primum annũ probationis, & non renunciet absolutè, & sine conditione perseuerantię, & omnia bona tam præsentia, quam futura, & notant Molina *t. 1. de iust. dis. 139.* Sanchez *l. 7. c. 1. n. 32.*

4 Vtrum autem tale peccatum sit mortale, non explicant Doctores; sed certè erit discurrendum prout in cæteris promissionibus acceptatis, quæ posita grauitate materiæ, prout certum est esse in casu nostro grauem, obligant sub mortali secundum probabiliorem sententiam, de qua videri possunt dicta à me *in qq. moral. tract. 3. d. 4. q. 1. par. 1.*

5 Immo puto non solum peccare contra promissionem religiosum Societatis, qui post vota biennij faceret renunciationem de bonis præsentibus; at non de omnibus futuris, iuribus, & actionibus; sed etiam contra votũ paupertatis; nam cum voueat paupertatem *iuxta societatis constitutiones*, vt dicitur in formula votorum simplicium, & paupertas Societatis sit, vt facta renunciatione, religiosus remaneat verè pauper, & spoliatus omni iure, & actione, ac spe succedẽdi, prout habetur *in 3. par. const. cap. 5. §. 3. lit F.* sequitur meo iudicio, apertè, quod faceret cõtra votum paupertatis, quam in societate profitetur, qui non renunciaret omnia iura futura, &c.

6 Quemadmodum enim putat Sanchez *lib. 7. sum. cap. 28. nu. 6.* esse

esse non solum contra regulam, sed etiam contra votum paupertatis in religioso Societatis Iesu recipere aliquid temporale pro ministerijs spiritualibus, quem sequitur Persicus de sacer. officio *lib.* 2. *c.* 7. *n.* 46. idque ex eo, quia in examine *cap.* 1. §. 3. *cum dicitur* [tria vota in ea obedientiæ, paupertatis, & castitatis emittuntur, sic paupertatem accipiendo, vt nec velit, nec possit redditus vllos ad suam sustentationem, nec ad quiduis aliud habere:] additur [neque etiam pro missarum sacrificijs, vel prædicationibus, &c. stipendium vllum, vel eleemosynam, quæ ad compensationem huiusmodi ministeriorum dari solet, ab alio, quam à Deo possunt admittere] quæ verba cum addantur iuxta Sanchez, vt explicatiua voti paupertatis in societate emissi; merito videntur ex vi voti eiusdem paupertatis obligari societatis religiosi ad nō recipiendum pro missis, &c. stipendium.

7 Et quamuis Pellezarius *tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 132. putet probabile, non peccari contra paupertatis votum ex hoc præcisè; quod recipiatur pro missis, &c. stipendiū, sed quia accipiatur sine licentia debita, quod enim docet Castropalaus *tr.* 16. *d.* 3. *punt.* 11. *num.* 4. & ante ipsos docuerat Suarius *tom.* 4. *de relig. tract.* 10. *lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 11. vbi ait: [ego verò non auderem peccati mortalis damnare eum, qui præcisè in hoc delinqueret absque conscientia erronea, nisi aliunde ageret contra votum] tamen in casu nostro omnes fortasse dicēt, religiosum Societatis renunciantem solum bona præsentia: peccare contra votum paupertatis in societate emissum, quia huiusmodi renunciatio tam ampla requiritur in constitutionibus nostris, vt religiosus Societatis Iesu maneat omnino, & perfectissimè pauper absque vllo succedendi iure, vt loquutus est Sanchez *d. cap.* 1. *num.* 31. *lib.* 7. *&* *cap.* 2. *num.* 58. *circa finem*; nec potest dici illa verba *in p.* 3. *cōst.* §. 7. *lit. F. possessione suorum bonorum se abdicare, &c.* non esse posita ad explicādam qualitatem paupertatis in Societate Iesu; sed solum ad exagerandum quanta perfectione, ac diligentia paupertatis votū obseruari debeat, prout explicat Pellezarius illa verba Examinis prohibentia, quidquam accipi pro compensatione missarum, &c. nam de renunciatione præcisè, & expresse dicitur [possessione suorum bonorum se abdicare, tam de proprijs bonis intelligēdum est, &c.] & in hoc sensu accepta sunt in Societate, & ab eius scriptoribus, vt etiam futura iura actiones, &c. renuncientur à religioso Societatis Iesu, vt ex sequentibus magis patebit.

QVAERES III.

An ex vi renunciationis factæ à religioso Societatis, iuxta eius cōstitutiones, censeatur renunciari spes futuræ successionis, etiā attento iure communi.

SVMMARIVM.

Negatiua sententia proponitur n. 1.
Affirmatiua sustinetur, ac varijs iuribus probatur spem futuræ successionis esse in bonis nostris, ac posse in contractū deduci n. 2.
Spes futuræ successionis, & hæreditatis viuentis quando possit in pactum deduci nec ne n. 3.
Renūciatio generalis continet ius superueniens n. 4.

Societas Iesu an succedat in hæreditate Patris morientis post renunciationem factam ipsi Societati omnium bonorum , &c. à Nouitio , vel professuro n. 5.

Renunciatio iuris, & actionis quãdo includat hæreditatem etiam speratam n. 6.

1 NEgatiuam sentẽtiam mordicus tenebat non in dictus Iurisconsultus ex eo, quia huiusmodi spes futuræ successionis est vana , & in iure reprobata dicitur à Doctoribus, & nullius considerationis presertim à Bart. *l. 1. §. si impuberi num. vnico ff. de collatione bonorum l. fin. num. 2 ff. de lib. agnosc. l. cum dominus § fin. num. 2 ff. de peculio legato.* Alciat. *l. conditionales verb. qui spem ff de ver. sign. & l. 1. num. 15. Cod. de pactis.* Matth. de Afflict. *decis. 350. num. 4.* Gram. *decis.* 101. Decio *cons. 34. n. 17. & cons. 74. num. 5. vol. 1.* Riminal. iuniore *con. 199. num. 62. vol* 2. Peregrin. de fideicommiss. *art. 23. num. 52.* & alijs apud ipsos.

2 Nihilominus affirmatiuè respondeo ad propositam questionem , quia renunciatio facta à religiosis Societatis Iesu iuxta eius cõstitutiones continet omnia bona , quæ possidet ipse renuncians , vt dictum est ; sed inter ea est spes futura successionis, etiam attento iure communi , ex *l. 1. Cod. de pactis l. nam hoc modo ff. de hæred. vel act. vend. & l. nec emptio ff. de contr. emp. l. spem ff. de donat.* ex quibus iuribus ait Bolognetus in *l. fin. Cod. de pactis num. 3 & 4.* aliquando consideratur spes , qua speramus acquirere , & hæc spes est in bonis nostris, & de præsenti competit, & appellatur incertum *l. 1. supr. eod. & l. nam hoc modo ff. de hæred. vel act. vend. l. nec emptio ff. de contr. empt.* Et propterea de presenti potest deduci in contractũ , vt patet ex istis iuribus , nec cõsideratur : an ista spes sit fundata in causa de præsenti , vel in causa de futuro , & si est causa de futuro ; an sit causa propinqua , vel multum remota , vel an sit spes firma, vel debilis, vel debilissima, quia quæcumque sit, vel debilis, vel firma , vel debilissima potest deduci in contractum , quia sẽper est aliquod existens in rerum natura , licet debile, vel minimũ, & semper est in commercio nostro : vnde æqualiter quis potest vendere ictum retis , &c. & idem erit de eo , qui vendit spem hæreditatis viuentis : nam æqualiter potest deduci in contractum, siue sit spes proxima , vt in filio sperante successionem patris decrepiti , siue sit remota, vt in agnato , siue remotissima , vt in cognato decimi gradus : nã omni casu illa spei semper est quid existens in rerum natura , quæ poterit deduci in contractum, & est in commercio nostro , vt notatur in §. cum autem impubes inst. de adoption. & *l. pactũ quod dotali inst. de collat. & cap. quamuis de pac. in 6.* dum loquitur æqualiter de eo , qui renunciat successioni maternæ fraternæ, auernæ , & aliorum agnatorum , cum illæ spes non differant in substantia ; sed solum secundum plus , vel minus argum. *l. fin. ff. de fund. & instr. legat. &c.* ergo cum religiosus Soc. Iesu renunciare debeat omnia , quæ habet , & attento iure communi inter bona , quæ habet sit etiam spes futuræ successionis, vt vidimus, sequitur , quod renuncians omnia bona , renunciet etiam attẽto iure communi , spem futurarum hæreditatum , ac successionum.

Ad

3 Ad rationes in contrarium adductas, Respondet optimè Bolognetus *l. 1. num. 20. Cod. de pactis & d. l fin. num. 559.* [sed tamen retorqueri potest hæc improbatio, quia ratio Doctorum concludit in contrarium, quia in multis spes ista potest deduci in contractum, vt patet in *cap. quamuis pactum de pactis in 6. & l. 3 §. de illo ff. pro socio. l. 2. §. illud ff. de hær. vel act. vend. & l. quis seruum ff. de act. emp.* per quæ demõstratur, quod pactum super hæreditate viuentis valet, & tenet ex natura rei deducta in conuentionem, nec ipsa spes prohibetur deduci in contractum; sed solum per accidens, vt quando inducitur votum captandę mortis contra bonos mores: vnde cessante ista ratione per fundamentum eorum apparet, quod illa spes potest deduci in contractum, & per consequens est vera spes, vt etiam ego dixi in præmissis] Bolognetum sequitur Sanchez *in sum. lib. 7. cap. 2. num* 10. Laderchius *vol. 1. cons.* 133. *num.* 7. citans Fulgosium. alias explicationes, & moderationes ad dictas leges in contrarium adductas vide apud d. Bolognetum à *d. num. 4. in l. fin. cod. de pactis cit.* & Sanchez. *loc. cit. summa cap. 2. num.* 14. 31. 37. 38. *& seqq.*

4 Confirmatur etiam hæc doctrina ex l. qui Romæ §. Duo fratres ver. nunc ad propositum ff. de verbor. obligat. Alexand. Crott. & alijs per multis, quos affert Menochius de *præsum. lib.* 3. *præ.* 115. *n.* 37. docentibus in generali renunciatione venire etiam ius superueniens.

5 Hinc infero, quod si nouitius Societatis Iesu, aut is, qui vota simplicia post biennium probationis emisit renunciauit iuxta constitutiones omnia sua bona ipsi Societati, quod posse fieri patet ex dictis quæst. 1. tunc si moriatur v. g. pater renunciantis, hæreditas non deueniet ipsi renuncianti; sed societati Iesu renunciatariæ etiam attento iure communi, quia religiosus, seu nouitius Societatis renuncians simpliciter suis bonis iuxta constitutiones Societatis, censetur renunciare iuri, & actioni ad omnia bona, vt declaratur *in 3. par. const. cap.* 1. §. 7. *lit. F.* & diximus *quæ* 2. & infra etiam dicemus qu. seq.

6 Sed renunciatio iuris, & actionis includit, tam renunciationem hæreditatis, præsentis, quã futuræ, vel speratæ, attento etiã iure comuni, quando non inducitur votum captandæ mortis, vt probant Bolognetus, Sanchez. & alij supra, & in alijs casibus, quos hi ponunt: ergo renunciatio facta iuxta constitutiones Societatis Iesu ab eo, qui non est professus, aut coadiutor formatus iuris, & actionis includit hæreditatem futuram, quæ deueniret ipsi renũcianti, si non fecisset renunciationem in personam Societ. Iesu, & per consequens societas renunciataria in ea succedet, etiam attento iure communi, & omnium sententia; vt ex infra dicendis apparebit; nam tam nouitius, quam habens vota biennij est capax dominij, & acquirendæ hæreditatis, siue ex testamento, siue ab intestato, vt diximus quæs. 2.

QVAERES IV.

An renunciatio bonorum, ac iurium facta iuxta constitutiones Soc. Iesu comprehendat etiam futura ex causa de futuro.

SVMMARIVM.

Explicatur quid sit renunciatio futurorum ex causa de futuro, aut de præsenti n. 1.

Sententia affirmatiua proponitur. n. 2.

Afferuntur motiua pro negatiua sententia, quod non venerint futura ex causa de futuro n. 3.

Spes futura hæreditatis quando sit incerta, ac debilis ibid.

In quæstionibus circa statutum religionum pertinẽtibus standum est potius Doctoribus eiusdem religionis n. 4.

Affirmatiua sententia auctoritate Sanchez stabilitur n. 5.

Ius ex causa de futuro semper venit in renunciatione si exprimatur. n. 6.

Expressum an dicatur, quod sub generali verborum significatione continetur n. 7.

Verba censentur iuxta naturam contractus prolata ibid.

Renunciatio, quæ fit iuxta Soc. Iesu constitutiones reddit renunciantem absque vlla spe habendi hæreditatem ibid.

Societas Iesu excipitur à Cõc. Tridentino in suo decreto sess. 2. cap. 16. circa formam renunciationis faciẽdæ ab alijs religionibus n. 8.

Verba contrahentium intelliguntur iuxta legis dispositionẽ ibid.

Si non renũciantur omnia ex causa de futuro, non esset perfecta paupertas iuxta constitutiones Soc. Iesu ibid.

1 EXempli gratia Caius renuncians habet spem futuræ hæreditatis, vel alicuius ingentis legati, &c. ex testamento aliquo facto iam; in quo ipse est hæres, vel legatarius institutus, aut ex aliquo contractu conditionato, vt si Nauis incolumis perueniet habebit mille, certe illa hæreditas, legatum, aut lucrum sunt futura, & eorum spes est rerum de futuro, at sunt ex causa de præsenti, aut præterito, quia testamentum iam est factum. Habet etiam Caius renuncians spẽ succedendi in hæreditate, aut donatione, seu legato, quod posset illi obuenire ex aliquo casu fortuito, vt ex morte alicuius ab intestato, aut ex noua beneuolentia Principis, & hæc est spes successionis futuræ ex causa de futuro: quia causa in qua spes fundatur non extat: sed forte erit. Porrò communiter dicunt Doctores citandi, quod quando quis renunciat omnia sua bona præsentia, & futura, iura, actiones, &c. nunquam intelligitur renunciare spem ex causa de futuro; sed solum renunciat spem iura, &c. ex causa de præsenti, aut præterito sic Barthol. *l. post emancipationem §. illud ff. de liberat. leg. & l. qui Roma §. duo fratres num.* 19. & alibi Bald. *l. fin. num.* 3. *C. de pactis* Paul. *nu.* 2. Curs. senior *num.* 2. *&* 3. Rom. *num.* 10. Matth. de Affl. *dec.* 150. *num.* 4. & alij plures passim; ergo renunciatio facta in Societate Iesu iuxta eius constitutiones; quãuis comprehendat omnia bona, iura, actiones, & spem cuiuscũque hæreditatis; non tamen cõpræhendit spem hæreditatis ex causa de futuro.

2 Dico tamen, renunciationẽ factam in Societate Iesu iuxta eius constitutiones non solum continere omnia bona, iura, & actiones, ac spem ex causa de præsenti; sed etiam spem omnẽ successionis, ac iuris, & actionis ex causa de futuro.

3 Fundamentum est, quia intantum Doctores dicunt, renunciationem omnium iurium, etiã

ex

ex quacunque caosa intelligi ex causa de præterito, aut præsenti, & non ex causa de futuro in quātum renunciatio est odiosa, & semper restringenda in quantū fieri potest vt infra qq. seq. dicetur, & præterea, quia renunciatio futuræ hæreditatis, etiam ex causa de futuro est de re, seu spe debilissima, & non videtur renuncians omnia iura, &c. cogitasse etiam de spe ex causa de futuro, vt explicat Bolognetus *in l fin. Cod. de pactis num.* 159. *ibi* [quædam est spes certa, quædā incerta, & incerta est aliquandò debilis, debilior, & debilissima, ac propter eius debilitatem non prohibetur deduci in contractū: sed solum præsumitur de ea non fuisse cogitatum nisi aliud appareat ex verbis expressis, vel ex verbis prægnantibus, vt ego dixi *l. 1. supr. 4. memb.* Barthol. *vltra alios supra eod. tit.* & ita debet intelligi doctrina Bartholi, Doctor. *in l. qui Romæ §. duo fratres ff. de verb. oblig. & l. post emancipationem §. 1. ff. de liber. legat.*] Sed hæ rationes non militant in renunciatione facta in Societate Iesu intuitu seruandi paupertatem euangelicam; & omninò se spoliandi rebus terrenis, vt latè probat Sanchez *lib. 7. cap. 2. an.* 54. ergo renunciatio facta in societate Iesu omniū bonorum, iuriū, &c. comprehendit etiam iura ex causa de futuro.

4 Hanc sententiam docet apertè Sanchez, cui certè standum est in re pertinēte ad cōstitutiones Societatis, & potius illi adhærendum, quam cæteris Doctoribus exteris; cum præsumatur magis peritus in nostro instituto alijs Doctoribus exteris ex *l. ex consensu Cod. de repet.* Peyr. *in addition. ad const. Pirri cap. 1. num.* 10. & alijs.

5 Habet igitur Sanchez *lib. 7. cap. 1. num.* 31. quod, in tertia parte const. *cap. 1. §. 7. lit. F.* dum dicitur, renunciationem bonorum, quæ fit in Societate comprehendere etiam ius, & actionem ad bona, quæ sperat renuncians; intelligitur ius hæreditatis futuræ non obstāte doctrina, quā cap. sequenti traditurus est, Doctorum aientium, spem futuræ hæreditatis esse inanem, & nullius cōsiderationis huius Doctoris verba retuli quæ. 2. post initium, tum sic arguo: eam spē, & ius succedendi dicit Sanchez renunciari attētis Societatis cōstitutionibus, in renunciatione facta à suis religiosis per illa verba: *iuris sperati*, quam negant Doctores à se citādi in renunciatione cuiuscumq; iuris sperati, vt patet ex eius dictis ibi [& quāuis aliquis posset prætendere nomine iuris sperati, cui renunciandum est (a religioso Societ. Iesu) non intelligi spem hæreditatis futuræ, iuxta doctrinam, quam cap. sequenti tedemus, dicentem spem futuræ hæreditatis esse inanē, nec claudi sub renunciatione cuiuscūq; iuris sperati, &c.] Sed Doctores ab ipso Sanchez citati eo cap. 2. num. 8. negant sub nomine cuiuscumq; iuris sperati venire ius ex causa de futuro ibi [neq; obstat *l. spem Cod. donation.* vbi dicitur spem futuræ acquisitionis posse donari, quia intelligitur de spe probabili, & considerabili in iure, qualis est, quæ fundatur in causa de præsenti, vel præterito, nec dependet ex voluntate alterius, cuius bona sperantur, sed ex futuro euentu fortuito; hanc enim solam appellant Doctores probabilem] & infra [quare renuncians omnibus bonis, & iuribus, quæ sperat, vel habebit in futurū

non censetur renunciare his, quæ ex spe priori, quam vanã, & improbabilẽ appellauimus, sperat, sed ijs solis, quæ sperat spe posteriori, quam probabilem diximus (nimirum ex causa de præsenti, aut præterio) sic Barthol. ex l. etc.] ergo Sãchez per illa verba *iuris sperati* in renunciatione facta a religioso Societatis Iesu, iuxta eius constitutiones, intelligit venire ius speratũ ex causa de futuro, quia de hoc iure poterat quis prætendere ipsum non venire in renũciatione iuxta Societatis constitutiones, cum attento iure cõmuni, hoc ius non veniat in renunciatione cuiuscumq; iuris sperati, prout Doctores, quos Sanchez. citat, et sequitur *cap.* 2. *n.* 8. dicunt.

6 Confirmatur nostra resolutio, quia certum est in omnium sententia, quod ius ex causa de futuro veniat in renunciatione, quando expressis verbis exprimitur v. g. si quo tempore res, vel ius ad me pertinebit, etiam ex causa de futuro hoc renũcio, vt benè cum multis probat Surdus *cons.* 308. *num.* 29. *&* *cons.* 267. *à num.* 20. *vsq. ad* 24. *vol* 2. Sed renuncians iuxta constitutiones Societatis Iesus expresè renunciat omni iuri ex causa de futuro: ergo renunciatio bonorum, ac iurium, quæ fit iuxta cõstitutiones Societatis Iesu cõpræhendit etiam iura ex causa de futuro.

7 Minor propositio in qua est tota difficultas, probatur, quia expressum non solum dicitur, quando proferuntur hæc verba: ius de futuro ex causa de futuro: sed etiam quando id compræhenditur sub generali verborum significatione ex Gloss. *l. Lucius v. non ad matrem ff de vulg. l. præcibus Cod. de exemp. & alijs subst.* Bar. *l.* 1. *num.* 7. *Cod. de vulgar.* Alciatus *l. Nepos Proculo num.* 7. *de verb. signif.* Tiraquell. *post l. connub. gloss.* 7. *num.* 86. Menoch. *de præs. lib.* 3. *præs.* 7. *num.* 32. alios referens, in renunciatione autem, quæ fit in societate Iesu sub illis verbis: renunciationis futuræ hæreditatis, Iurium, & similibus compræhenditur spes hæreditatis futuræ ex quacumque causa etiam de futuro; quia vnusquisque censetur proferre verba iuxta subiectam materiã, & naturam contractus *l. si vno ff. locati* vbi Barthol. & DD. Gutiez *cons.* 12. *nu.* 26. natura verò renunciationis, quæ fit in Societate Iesu est talis, vt per eam religiosus Societatis Iesu verè pauper fiat absque vlla spe habẽdi quamcumque futuram hæreditatem, vt notat Sanchez *lib.* 7. *cap* 1. *num.* 31. 34. *et cap.* 2. *num.* 58. *summæ*, & alibi.

8 Et præterea quia, cum constitutiones Societatis Iesu faciant legem in ipsa Societate, & sint à Summis Pontificibus approbatæ, & præsertim circa renunciationem bonorum à Sacro Conc. Tridentino *sess.* 24. *cap.* 16. vbi statuens quasdam conditiones pro renunciatione aliorum Nouitiorum in cæteris religionibus subdit [super hæc tamen non intendit Sancta Synodus aliquid innouare, ac prohibere quin religio Clericorum Societatis Iesu iuxta eorum institutum piũ à Sancta Sede Apostolica approbatum Domino, & eius Ecclesię inseruire possit] & Societas pręscribat tam in constitutionibus *d.* 3. *p.* quã in examine *cap.* 4. §. 1. 2. *&* 3. vt Societatem ingressuri renuncient à se omnia, ac de his, quæ ipsis obuenire possent disponant in opera pia, & sancta; censetur renuncians quamuis nõ

ad-

addat alia verba expressa, renũciare omni spei ex quacumque causa, etiam de futuro; nam cõtrahentium verba debent intelligi iuxta legis dispositionem *l. quæro 56. §. inter locatorem ff. locati*, & probat Alciatus *de præsum. regula 3. præs. 32.*

9 Et si in tali renunciatione nõ venirent omnia futura ex causa etiam de futuro non esset renũciatio prout Societas Iesu exigit, vt benè aduertit Sanchez *d. cap. 2. lib. 7. sum. num. 58.* his verbis [at in Societate Iesu dum renũciant omnibus bonis, iuribus, & actionibus principaliter agitur de omnium bonorum abdicatione, quo religiosus maneat perfectè pauper absque vlla spe acquirendi sub qua vt pars quædã comprehenditur ius ad hæreditatem futuram, & venit vt sequela necessaria ad ingressum religionis obligantis ad dictam renũciationem omnium iurium, & hæreditatum, vt dictum est, quod his iuribus retentis non detur perfecta paupertas, qualem poscunt constitutiones] ita Sanchez benè confirmans nostram resolutionem, ac rationem.

QVAERES V.

An dicta doctrina, quod renunciatio omnium iurium, &c. in Societate comprehendat etiam futura ex causa de futuro, quamuis non exprimãtur habeat locũ, etiam attento iure communi.

SVMMARIVM.

Ius ex causa de futuro an possit renunciari si sit formatum aliquo vinculo n. 1.

Quid si renuncians omnia iura, &c. non habet aliud ius non speratũ ex causa de futuro n. 2.

Cui competit in d. casu probatio, quod non sint renunciata futura ex causa de futuro n. 3.

In renunciatione facta in Societate Iesu in dubio; an censenda sint renunciata iura de futuro ex causa de futuro n. 4.

In dubio an renunciatio facta in Societate Iesu, sit absoluta, an dependens à perseuerantia religiosi in ea, quid iudicandũ n. 5.

Quid dicendum, si sit dubium: an renunciatio fuerit facta iuxta Societatis constitutiones quando ea fuit facta ante annum nouitiatus, vel ante ingressum. n. 6.

Nouitius Societatis Iesu quomodò teneatur facere renunciationẽ suorum bonorum n. 7.

Obiectioni satisfit n. 8.

Nouitius Societatis Iesu an teneatur ante primum annum sua bona renunciare, & qualiter obligetur n. 9.

Quid dicendum quando renunciatio fuit facta post annum nouitiatus in d. dubio n. 10.

An in dubio præsumenda sit adfuisse Superioris licentia in renunciatione n. 11.

Renunciatio facta in Societate etiã ad opera pia erit contra paupertatem si fiat sine licentia n. 12.

Renunciatio si fiat à Religioso habente tantum vota biennij, an sit firma n. 13.

Quid si fiat à Nouitio n. 14.

1 RESpondeo affirmatiuè primò, quando ius de futuro competeret renuncianti aliqua spe formata in aliquo vinculo v. g. si renuncians haberet fratrem, nam tunc reuera casus futurus, quod sit hæres fratris aliquando, posita aliqua conditione, seu casu fortuito, vt morte ab intestato, est formatus in illa cognatione, et sic videtur esse

ex

ex causa de præsenti sic Rouitus *decis. 85. num. 25.*

2 Secũdo habet locũ præcipuè nostra resolutio quãdo renũciãs in Societate Iesu non haberet aliud ius de futuro ex causa de præsenti, aut præterio; sed tantũ ius aliquod, seu spem ex causa de futuro, vt alicuius successionis fortuitæ, vel ex testamento, vel ab intestato: tunc enim cum renunciat omni iuri intelligitur renunciare iuri de futuro sic Surdus *cons. 276. num. 31. vol. 2.* ibi [facit etiam, quod in fortioribus terminis vlouit Decius in *d. l. 1. Cod. de pactis* vbi inquit, quod etsi renũciatio iuris, quod quis habet; vel habere sperat nõ includit ius, quod neque re competit, neq; spe, sed est de futuro penitus, sed restringitur ad ius cõsistens in spe radicata de præsenti, tamen fallit quando nullum subesset ius de futuro consistens in spe de præsenti, in quo renunciatio ipsa possit verificari, quia tunc extenditur ad ius, quod est omnino de futuro, tam ratione spei, quam rei, et superuenit ex causa prorsus noua, id quod videtur quoque voluisse Iason ibi num. 17. ver. caue] hęc Surdus, quæ omnia nostram sẽtentiam confirmant.

3 Vbi nota cum Ruino *cons. 119. num. 18. & cons. 144. vol. 2.* asserente de communi, quod probatio in contrarium competit parti aduersæ neganti renunciantem omnia iura, etc. renunciasse ius ex causa etiam de futuro quando is non habebat aliud ius de futuro ex causa de præsenti, aut præterio.

4 Hinc patet quid dicendum sit in dubio; an renunciatio facta à religioso Societatis Iesu censenda sit compræhendere futura ex causa de futuro. Dicendum enim est breuiter, quod si renunciatio non fiat iuxta Societatis constitutiones, etiam si in ea exprimatur, quod renuncientur omnia iura ex quacumque causa: tamen non veniunt iura de futuro ex causa de futuro ob rationes dictas: si vero renunciatio fiat iuxta Societatis constitutiones, tunc veniunt bona futura etiam ex causa de futuro: tum ob ea, quæ dicta sunt in quæst. 4. à ver. *Confirmatur nostra* tum ex simili doctrina, quam tradit Pellezarius *in Manual. tr. 2. cap. 9. nu. 15.*

5 Vbi ait, in dubio, an renunciatio, quæ fit in Societate Iesu, quæ debet esse absoluta, & independens a perseuerantia in ipsa; ita vt post factam renunciationem à nouitio, vel religioso trium votorum post biennium nouitiatus, si hi exeant non recuperent amplius bona renunciata vt ex Suario; Sanchez. Layman Molina bene docet Ipsemet Pellezarius *d. cap. 9. nu. 14.* & innuimus qu. 1. ait inquã, hic auctor, quod in dubio: an talis renunciatio sit absoluta, non est censenda absoluta quando non fit iuxta Societatis constitutiones; ergo à contrario sensu, si fiat iuxta constitutiones censeri debet absoluta, quia ita exigunt constitutiones, & per consequens renunciatio, quæ fit in Societate Iesu iuxta eius constitutiones, censeri debet in dubio de bonis futuris ex causa de futuro, quæ autem non fit iuxta Societatis constitutiones, in dubio non continebit futura ex causa de futuro.

6 Quid autem in dubio: an renunciatio fuerit facta iuxta Societatis constitutiones, nec ne? nil reperio apud nostros scriptores expressum; videntur tamen omnes supponere, ac indica-

ca-

care præsumendum esse factam iuxta Societatis Iesu constitutiones. Ego tamen saluo aliorum iudicio, sic distinguendum puto; si renũciatio fiat ante ingressum in nouitiatum; vel ante annum elapsum nouitiatus: tunc nisi constet, quod renunciatio hæc fuerit facta iuxta Societatis constitutiones, præsumendum est contrarium, & esse factam iuxta ius commune, ac prout fit in alijs religionibus; quia Nouitius ante ingressum in nouitiatũ Societatis Iesu potest renunciare, & disponere de suis bonis quomodocumque voluerit, ex Sanchez *lib. 7. sum. cap.* 1. *num.* 32. Molina *tom.* 1. *de iust. d.* 139. *col.* 4. *ver. nouitij ante ingressum:* ergo præsumendum est in dubio ita renunciasse, cum sit fauorabilius ipsi renuncianti; eũque minus noceat facta renunciatio.

7 Et idem est dicendum etiam si renũciatio fiat post ingressum ante annum expletum ob eandẽ rationem, quia Nouitius non tenetur tunc facere renunciationem iuxta Societatis cõstitutiones, vt videtur putare Sanchez *d. n.* 31. dicens. [At iam nouitij effecti non possunt aliter disponere, quam dictum est, obstante promissione simplici, qua in ingressu ligati sunt ad sic disponẽdum] nempè iuxta Societatis cõstitutiones; nam Nouitius obligat quidem se, ac promittit in ingressu renunciare iuxta Societatis cõstitutiones sua bona, spes; &c. at non quocumque tempore nouitiatus; sed post expletum primum annum, vt habetur in examin. *cap.* 4. §. 2. ibi [Quod si statim propter aliquas causas honestas bona non relinquet, promittat se promptè relicturum omnia (vt dictum est) post vnũ ab ingressu absolutum annum, &c.] ergo cum ante annum nouitiatus non teneatur ex iure communi renunciare sua bona, iuxta Soc. constitutiones, vt est manifestum, neque ratione promissionis, aut alterius obligationis, vt vidimus, in dubio cẽsẽdus est renunciasse eo modo, quo minus læditur eius libertas, vt infra dicitur, ex generali Doctorum regula, quòd renunciatio debet interpretari, vt quamminus possit, noceat renũcianti.

8 Neq; obstat quod in 3 *p. const. cap.* 1. *in declar. lit. G.* dicatur [ante ingressum quis de suis bonis temporalibus pro suo arbitratu statuere potest: sed post quam ingressus est, tam de Ecclesiasticis, quam de secularibus disponat oportet, ita vt decet vitæ spiritualis sectatorem] nam cum hoc non inducat obligationem sub peccato, neq; ex vi voti, quod non emissum est, vt supponimus; neq; ex promissione; nam promissio abdicandi sua bona iuxta Societatis constitutiones, est post elapsum primum annũ nouitiatus, vt supra diximus.

9 Vnde in *ead 3. p. c.* 1. §. 7. dicitur, [vt experiri incipiant sanctæ paupertatis virtutem, doceantur omnes, quod nulla re tanquam propria vti debeant; quãuis necesse non sit probationis tempore possessione bonorum suorum se abdicare; nisi id superior post elapsum primum annum iuberet &c.] sed solum ob maiorem perfectionem, non est in dubio tanta perfectio supponenda in Nouitio quod voluerit à se abdicare omnia sua bona etiam futura, ac spem de futuro, ex causa etiam de futuro, prout debet fieri renunciatio iuxta Societatis constitutiones; quæ præsumtio maxime habet locum

in

in Nouitio ante elapsum annum, quando non disponeret sua bona in opera pia.

10 At si fiat talis renũciatio post elapsum annum, aut post vota biennij, præsumendum est eã factam fuisse iuxta Societatis constitutiones, & comprhendisse omnia futura ex causa de futuro; ne supponamus, Nouitium peccare contra promissionem factã, & religiosum post tria vota substantialia, at simplicia peccare contra paupertatem, dum non renunciat omnia futura iuxta constitutiones, vt probauimus quæs. 2. versu immo puto.

11 Quod si constet de intentione renunciantis, quod voluerit facere renunciationem iuxta Societatis constitutiones at sit dubium: vtrum adfuerit superioris licentia, ea præsumenda est; tum ob dictã rationem ne pręsumatur delictum: nam ex decreto congr. *Gen. V. can.* 50. [qui post emissa tria vota substantialia res suas distribuit, vel illis se abdicat sine superioris facultate, facit cõtra votum paupertatis] & docet Suarez *tom.* 4. *de rel. tr.* 10. *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 2. & 10.

12 Vbi benè addit, esse contra paupertatem quamuis renunciatio fiat in opera pia si fiat inscio, aut sine licentia superioris, quod etiam sequitur Pellezarius *trac.* 4. *cap.* 2. *num* 158. nam dictum decretũ 50. *Cong. V.* loquitur absolutè, & sine limitatione de dispositione facta in opera pia, aut non pia, sed decernit, siue declarat, esse contra paupertatem bonorũ distributionem sine superioris licentia; & ratio est quia quamuis in constitutionibus, vt vidimus supra, talis bonorum distributio, & renunciatio præcipiatur, & committatur modus distribuendi deuotioni religiosi subditi: an omnia velit in pauperes opera ue pia, an vero etiam coniunctis sanguine applicare ex 3. *par. cap.* 1. §. 7. & *exam. cap.* 4. §. 3. & §. 5. tamen non excluditur necessitas licentiæ Superioris ad hoc, vt ille, qui post vota est verus religiosus, possit disponere de suis rebus: quia reuera exerceret actũ dominij per illam abdicationem, quod non possunt exercere absq; superioris licentia ex Greg. 13. in bulla Ascendente, & *ex cap.* 4. *exam.* & *p.* 3. *c.* 1. §. 7. ibi [doceantur omnes, quod nulla re tamquam propria debeant vti] at est magnus vsus rei tamquam proprię eam alijs donare irreuocabiliter, quis non videat?

13 Tum etiam talis superioris licentia in renunciatione facta à religioso Societatis ad fuisse pręsumenda est pro validitate actus ex *l. quoties ff. de reb. debitis*, & probat multis adductis Menochius *lib.* 6. *præs.* 4. quia ea renunciatio facta sine superioris licentia, vel est irrita ipso iure, vt voluit Molina *tr.* 2. *dis.* 139. & Lessius *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 28. vel est irritabilis, vt putãt Delugo *dis.* 3. *de iust. n.* 79. Sanchez *lib.* 7. *c.* 18. *n.* 28. Suarez. *tr.* 10. *lib.* 6. *cap.* 10. *nu.* 11. *tom.* 4. *de rel.* Castrop. *tr.* 16. *d.* 3. *punt.* 2. *n.* 7. quamuis enim Scholaris Societatis Iesu, idest habens solum tria vota, sit verus religiosus, & nõ habeat ratione voti, neque velle, neque nolle; habet tamen verum dominium suorum bonorum, & sic potest iure naturali, & positiuo de illis validè disponere: at non ita firmiter, vt à superiori irritari non possit.

14 Sicuti est renunciatio facta à Nouitijs sine superioris licentia, quæ & est valida, & non irritabilis, non secus ac facta à laico; cum de ipsis bonis, quæ renunciant, ha-

habent plenam administrationem, ac dominium ex Bordono *resol.* 14. *n.* 44. Vecchio de nouitijs *dis.*10.*dub.*5. Candido decis.cō. 2.*dist.* 25. *ar.* 2. *dub.* 6. & hoc mihi est probabilius, & secundum dicta à me de votis religiosorum, coniugum &c. *lib.* 9. *de matr.* à *dis.* 33. & *in qq. mor. tr.* 3. *dis.* 3. à *qu.* 13.

QVAERES VI.

An religio Societatis Iesu possit succedere in hæreditate proueniente suo Professo ex testamento, siue ab intestato; quando is ante professionem renunciauit omnia sua bona ipsi Societati.

SVMMARIVM.

Proponitur casus in praxi n. 1.
Negatiua sententia ex Delugo Suadetur. n. 2.
Renunciatio facta tertio de omnibus, quæ dabuntur dum est in religione an teneat. n. 3.

1 DE hoc casu interrogatus fui anno præterito cum enim quidam e societate Iesu esset emissurus professionem, renunciauit omnia sua bona, iura, & actiones Collegio Panormitano Societatis nostræ, post professionem mortuus est vnicus eius frater ab intestato, atq; adeo illi debuisset competere hæreditas Fratris, si non esset professus, & per consequens incapax acquirendi ex testamento, vel ab intestato, vt ex dictis *quest.* 1. & 2. patet. quæsitum fuit: an succederet in hæreditate Fratris Collegium ob renunciationem sibi factam omnium bonorum, ac iurium, tam ex causa de præsenti, quam ex causa de futuro à suo religioso ante professionem solemnem.

2 Negatiuè respondit ad hanc quęstionem Eminentissimus Delugo *lib.* 4. *respons. moral. dub.* 4. duciturque hautoritate Thomæ Sanchez. *lib.* 7. *sum. cap.* 9. *n.* 25. iuncto *cap.* 15. *num.* 9. & 10. & hac ratione [nemo dare, vel donare potest id, quod suum non est, nec erit; ad eum autem, qui donauit Collegio omnia sua pręsentia, & futura non pertinebat tunc hæreditas consanguinei adhuc viuētis: sed nec pertinet postea, quando moritur consanguineus propter incapacitatem, quam habet professus Societatis, vt sit alicuius hæres; non ergo compræhensa fuit hæc hereditas in renunciatione illa generali, in qua solum translata fuerant bona, & iura omnia præsentia, & futura: ius autem ad illam hæreditatem non erat præsens tempore renunciationis, vt constat, cum viueret adhuc consanguineus illorum bonorum dominus, sed nec erat futurum cum postea moriente consanguineo non posset ad professum pertinere ius ad illam hæreditatem ob incapacitatem professi: non potuit ergo comprehendi in illa renunciatione ius illud ad hæreditatem, quod neque erat præsens, neque futurum.

Sicut si Petrus ante professionem renūciasset in fauorem Ioānis omnia, quæ post professio-
3 nem amici dabunt ipsi Petro sine consensu sui Prælati: nihil certe renunciasset in fauorem Ioannis, quia post professionem nihil possunt amici ei dare absque consēsu Prælati. eo modo est inutilis renunciatio, qua ante professionem renunciet in fauorem alicuius hæreditatem, quæ ad eum ab intestato spectabit post professionem in Societate, quando propter incapacitatem nulla ta-

lis hæreditas ad eum spectare potest, sicuti si ante mortem naturalem renunciaret hæreditatem, quæ ei post mortem aduenire potest. Cum certum sit nullam post mortem hęreditatem deferri posse, & quidem non magis potest deferri hæreditas professo Societatis quam mortuo: nihil ergo donat; qui hæreditatem sibi post professionem deferendã donat.] hoc est argumentum, Eminentissimi, & doctissimi Delugo.

§. I.

Affirmatiua opinio probatur.

SVMMARIVM.

Affirmatiua sẽtentia statuitur n. 4.
Societas Iesu eodem modo succedit Scholasticis, ac professis in hæreditate illis obueniente n. 5.
Qualitas religiosi renunciantis an sit attendenda tempore delatæ hæreditatis. n. 6.
Monasterium succedendi capax nõ potest prætendere hæreditatẽ suo professo delatam, si ipse antea ius suum alteri renunciauit. ibid.
Renũcians suum ius, etiam ex causa de futuro statim transfert illud ad renunciatarium ibi.
Religiosus in quacumque religione etiã capaci: quo modo possit dici capax, aut incapax successionis n. 7
Renunciatarius succedit in hæreditate obueniente post professionem renunciantis, siue hic sit in religione capaci, siue non. n. 8.

4 Nihilominus dicendum puto Societatem renunciatariã succedere in hæreditate fratris, illius professi qui ante professionem renunciauit omnia sua bona iura &c. in fauorem Societatis.

5 Fundamẽtum est quia eodem modo Societas Iesu succedit in hæreditate ab intestato prouenien te suo religioso non professo sed solum habenti tria vota substantialia simplicia, ac suo religioso professo, seu coadiutori formato: vt patet ex quæ. 1. nam, vt hæres instituta, vel donataria succedit suis religiosis siue professis, siue non, qui illam instituerunt: non facta hac institutione, seu donatione neutris succedit in hæreditate, nec professis, nec alijs habentibus tria vota simplicia. Quod infra fusius confirmabitur. Sed si religiosus non professus renunciauit omnia iura &c. in fauorem Societatis, & eo viuente moritur frater ab intestato Societas succederet, vt probaui supra quæ. 3. ver. hinc infero, & procul dubio dabit ipse Sapientissimus Delugo, vt ex eius argumento patet aperte, innititur enim in eo, quod tempore mortis fratris non potest professo Societatis competere ius ad hæreditatẽm fratris, cum per professionem reputetur mortuus & in capax vt sit hæres, & expresse concedit, succedere aliàs religiones capaces ex eo quia professi in illis sunt capaces acquirendi hęreditatem religioni in d. l. 4. dub. 4. n. 11. Ergo Societas Iesu etiam succedit in hęreditates Fratris mortui ab intestato post factam professionem sui religiosi, si hic ante professionem fecit renunciationem omnium bonorum, iurium &c. in personam ipsius Societatis.

6 Consequentia est manifesta, quia cum Societas non succedat ex vi professionis, seu ex vi votorum, quæ suus religiosus in ea emisit; sed ex vi renunciationis sibi factæ ante professionem, & ex vi iuris iam tum sibi traditi, & acquisiti, non est attendenda qua-

qualitas religiosi renunciantis tempore delatæ hæreditatis, an scilicet sit professus, vel non sed cum votis simplibibus substantialibus; sed solum an renunciauerit ante professionem sua bona futura &c. Societati: Ea enim renunciatione posita, Societas Iesu ex vi suarum constitutionum est capax succedendi, vt quæ. 1. dictum est, & mox explicabitur, sic fere in proprijs terminis Cagnolus *l. fin. in 1. edit. num.* 193. *in 2. num.* 115. *Cod. de pactis*, vbi Purpurat. *num.* 171. *& num.* 172. Couarr. *Cap. quamuis pactū de pactis in 6.3. par. §. 2. num.* 3. vbi Gutier. *§. dū nuptui tradebatur num.* 1. Gama *decis.* 375. *num.* 5. Mena *additionibus quibus vicibus obtinuisse* Menchaca de succell. creat. *lib.* 2. *§.* 18. *à n* 93. Baëza *de non melior. filijs cap.* 14. *num.* 31. & alij, quos citat, & sequitur Sanchez. *lib.* 7. *sum. cap.* 6. *num.* 2. Castropala. *trac.* 16. *dis.* 2. *punt.* 18. *num.* 5. Gratia. *discept. for. cap.* 568. Rota apud Farinaceum *p.* 1. *tom.* 2 *dec.* 587. Anton. de Marinis *lib.* 2. *res. quotid. cap* 189. *n.* 22. dicens omnes conuenire in hoc, nimirum Monasteriū succedendi capax non posse prætendere hæreditatem, cui non dum acquisitæ Nouitius ante professionem renunciauit alicui tertio, quia Tertius ille succedit ex vi iuris sibi renunciati à Professo tempore habili: nam ex quo quis renunciauit ius suum etiam si habebat causam in certam dependentem de futuro, vt in hereditate viuētis, sunt verba Bologneti infra, statim illo se priuat, & extringuit in sua persona, & transfert in donatarium, seu renunciatarium, quod solide probat Bolognetus in *l. prima Cod. de pactis nū.* 20. notat Bart. *l. & post emancipationem* & *l. non solum §.* 1. *ff. de lib. legit.* vbi vides non obstante incapacitate Religiosi professi ad acquirendam hæreditatem tempore, quo per mortem ipsi deferenda esset, succedere non Monasterium; sed renunciatarium ex vi iuris acquisiti ob renunciationem factam tempore, quo non erat professus.

7 Nec dici potest hoc prouenire, quia religiosus ille est capax succedendi, vt pote professus in religione capaci, nam religiosus cuiuscumq; religionis ex vi professionis eodem modo se habet, & est incapax acquirendi sibi quidquam siue hæreditatem, siue legatum, vt bene aduertunt Lessius *lib.* 2. *iust cap.* 41. *num.* 87. Delugo *in res. mor. lib.* 4. *dub.* 5. *num.* 3. Molina *tom* 1. *de iust. dis.* 140. *col.* 8. sed dicitur Religiosus capax, vel incapax ex capacitate, quam habet, vel non Religio nomine ipsius religiosi, vt dicemus infra *quæ.* 10. v.g. professus Societatis dicitur incapax hæreditatis, quia Societas Iesu ex vi professionis ipsius non est capax acquirendi hæreditatem illi post professionē relictā, alius professus alterius religionis dicitur capax hęreditatis; quia monasteriū succedit ex vi professionis in eo emisse, vt diximus supra quęst. 1. à ver. Notandum tamen est, & aduertit etiam Lezana *tom.* 2. *sum cap.* 19. *num.* 44. & alij passim. docentes, religiosum esse capacem acquirendi monasterio, cum ergo non agatur in hoc casu de successione Monasterij ex vi professionis; sed de successione Renunciatarij laici, cui Professus ante professionem renunciauit hæreditatem, non habet locum capacitas religiosi, cum reuera sit incapax acquirēdi hæreditatem tempore professionis; & solum potest dice capax quatenus succedere

dere deberet Monasterium ex vi professionis in eo emissæ: & de facto à prædictis Doctoribus non consideratur, nec ponderatur capacitas Religiosi tēpore professionis: sed solum ius acquisitum renunciatario ob renũciationem factam à professo tempore habili: nempe ante professionē.

8 Quod optime aduertit Castropalaus *tr.* 16. *dis.* 2. *punt.* 18. vbi tenens nostram sententiam in fortioribus terminis, vt videbimus infra, eam secundo argumento probat his verbis [Deinde illa hæreditas parente mortuo, non defertur Professo Societatis Iesu, sicut nec professo aliarum religionum in fauorem Collegij operisue pij renũcianti: sed defertur ei, in cuius fauorem facta est renunciatio ob ius acquisitum per renunciationem, vt ipsemet Sanchez multis allegatis probat *cap.* 6. *n.* 2. *lib.* 7. & nos diximus præced. puncto circa finem: ergo illa hæreditas defertur Societati ob ius per renũciationem concessum à Professo tēpore, quo valide cōcedere poterat, neque obstat quod professus tempore, quo moritur pater, & defertur hæreditas Societati, sit incapax succedendi, quia non succedit ex iure, quod professus eo tempore Societati concedit; sed ex iure, quod renunciando concessit quod professione nullatenus conceditur (forte legendum, extinguitur)] sic Castropalaus, vbi vides professum aliarum religionum, ac Societatis Iesu esse incapacem hæreditariæ successionis, & æquiparari quo ad hoc, quod ipsis hæreditas non deferatur, sed renuncianti, atq; adeo nulla potest ex hoc esse disparitas, & per consequens, sicuti ob renũciationem factam à professo in alijs religionibus, succedit renunciatarius in hæreditate post professionem obueniente, non obstante quod tali professo, eo tempore non possit hęreditas deferri; sic etiam facta renunciatione in personam Societatis, ea succedet in hæreditate obueniente post professionem suo religioso, non obstante quod illi ob professionem non possit hæreditas deferri.

§. II.

Idem probatur ex peculiari Ratione instituti S. Iesu

SVMMARIVM.

Societas Iesu potest iuxta suas constit. succedere in hæreditate obueniente suo professo, ex vi renũciationis ante professionem sibi facta nu. 9.

Succedit, & in hæreditate ob renũciationem omnium, &c. sibi factam à religiosis alterius religionis num. 10.

Substitutus cum conditione si sine liberis hæres decesserit an statim admittatur post professionem, aut vota coadiutorum factam in societate. nu. 11.

Quid si professus iste renunciauit ante professionem omnia sua Societati, an substitutus in perpetuum excludatur num. 12.

Principalis resolutio, quod hæreditas delata professo Societatis Iesu competat Societati, si præcessit renunciatio ipsi facta ante professionem probatur Doctorũ autoritate nu. 13.

9 CONfirmatur tradita resolutio quod Collegiũ succedat in hęreditate ob factã sibi renunciationē ante professionem, quia in cōstitutionibus Societatis Iesu *part.* 6. *cap.* 2. §. 12. vt docet San-

Sanchez. *lib. 7. sum. cap.* 27. *num.* 15. [solum statuitur, professos particulares, aut coadiutores formatos esse succesionis hæreditariæ in capaces, & nec domos professas, nec earum ecclesias, nec collegia eorũ nomine succedere, quod nõ est omnino excludi domos professas ab hæreditaria succesione: sed à sola succesione ratione personarũ, quod aperte constat, quia idem statuitur ibi de collegijs, quę tamẽ cõstat capacia esse, vt hæredes instituantur, vt probauimus num. 1. Imo cũ particularis exceptio sit, ne domus professa habeat ius succedendi ex persona suorum religiosorum firmat regulam in alijs casibus non exceptis, vt posit scilicet hæres institui &c.] ergo non excluditur, vt posit Societas, vt renunciataria, & ex vi iuris acquisiti succedere in hæreditate, quæ obueniret professo; nam cum regula generalis sit, posse quamcumque religionem succedere in hæreditate prouenientę suo professo siue ex testamento siue ab intestato, vt vidimus quæst. 1. ac etiam succedere renunciatarium quando est facta renunciatio à professo ante professionem, vt ex Sanchez, & alijs innumeris diximus in hac quæst. sequitur, quod non sit excipiẽda Societas, nisi in casibus exceptis per suas constitutiones, vt patet, ac notat Sanchez *d. cap.* 27. *num.* 15. at Societas Iesu solum excipitur in hoc, quod non succedat in hæreditate ex persona sui religiosi, seu ex vi professionis emissæ in ea; vt patet ex *d. 6. par. constit. c.* 3. §. 12. & ex verbis Sanchez supra allatis ibi *sed à sola successione ratione personarum* & *num.* 16. Idem Sanchez ait Societatem esse incapacẽ [*solius iuris succedẽdi nomine suorum religiosorum*] ergo non est dicendum, eam esse incapacem succedendi, iure acquisito ob renũciationem omnium bonorum, præsentium, & futurorum &c. factam a suo religioso.

10 Sicuti, nec excluderetur, si esset renunciataria omnium bonorum &c. instituta ab alio, qui esset professus in alia religione capaci succedendi, vel ab aliquo sæculari, aliàs non esset verum, quod Societas Iesu solum excluditur, & est in capax successionis hæreditariæ ex vi professionis in ea emissæ, seu nomine suorum religiosorum, idem enim est, vt ex Greg. 13. in bulla ascendente vidimus, quæ. 1. non succedere nomine suorum religiosorum, ac non succedere ex vi professionis emissæ à suis religiosis, seu ex iure cuiusdam naturalis acquisitionis, & accessoriæ personæ ex Sãchez, & alijs *d. quæ.* 1. *ver. notãdum tamen.*

11 Neque hoc est merum inuentum, quia præter rationes adductas, comprobatur aperte, ex doctrina, quam affert Sanchez, & late probat *lib. 7. sum. cap.* 16. vbi *num.* 20. dicit, quod si quis grauatus sit hæreditatem restituere Titio si sine liberis decesserit, & [ingrediatur societatem Iesu, quę iuxta suas costitutiones nullum succedendi in bona ius habet. Et quidem si religiosus ille sit in ea professus, aut simplicia coadiutorum formatorum vota in ea emiserit, succedet statim substitutus; si autem sola vota biennij emisit, & nec dum bonis renunciauit; tunc non excluditur substitutus; cum religio sit succedendi incapax; sed ipsemet religiosus retinebit ea bona, sicut & reliqua sua bona, donec moriatur naturaliter, aut professionem emittat, & tunc admittetur substitutus; si vero bonis renunciet

ciet

ciet in fauorem alicuius extranei, is in cuius fauorem renunciauerit retinebit ea bona toto tẽpore, quo ipse possessurus ea esset, nempe vsque ad dicta vota, vel mortem naturalem, illis non emissis.

12 Addit tamen dictus Sanchez *n.* 21. & 22. late probans, quod si ille religiosus renunciauit Societati, ea excludet substitutum, non solum durante vita naturali illius ante professionem; sed etiã post professionem, & in perpetuum: & hoc probat quia iura §. *sed & hoc præsenti auth. de ss. Epis. cap. in presentia de prob.* per ingressum grauati in alias religiones volunt, in perpetuum excludi substitutum per monasterium: & quamuis Societas Iesu nõ succedat in bona sui religiosi, & per consequens non posset excludere substitutum; & quia per professionem grauatus reputatur, ac mortuus; statim is deberet hæreditatem restituere substituto: tamen si grauatus ante professionem renunciauit societati sua bona, ea excludet substitutum in perpetuum: ergo similiter sicut Societas Iesu excludit substitutum, vt excludunt aliæ religiones, posita renunciatione, nec censetur hoc esse contra cõstitutiones non succedendi in bona sui religiosi, sicuti esset si non fuisset facta renunciatio in personam Societatis: ita etiam dicendum est: non esse contra constitutiones, quod Societas, posita renunciatione sibi facta, succedat in hereditate obueniente suo professo, & excludat venientes ab Intestato, vt faciunt aliæ religiones: & si non esset facta renunciatio ipsi Societati, ea nullatenus succedere posset: sed venientes ab intestato succederent.

13 Huic sententiæ præter alios doctos recensiores, quos tacito nomine refert Delugo *d. l.* 4. *dub.* 4. *num.* 11. *fine* vbi, modeste sane ait [scio alios viros doctos aliter sensisse, quibus fauet, vt vidimus Castropalaus, ego tamen dico solum meum sensum] non solum fauet; sed etiam infortioribus terminis, vt §. seq. ostendã, docet Castropalaus *trac.* 16. *dis.* 2. *punt.* 18. cuius verba supra retuli. Pellezarius *trac.* 2. *cap.* 9. *num.* 11. vbi ait facta renunciatione à Nouitio, vel scholari approbato paternæ hæreditatis in fauorem Societatis, si pater moriatur post filij renunciantis professionem Societatem [posse succedere, & probatur, tum quia talis hæreditas non defertur professo Societatis, sed ei, in cuius fauorem facta est renunciatio, id que vi iuris acquisiti per renũciationem, sibi concessum à professo eo tempore, quo valide poterat concedere, tum quia quod Professus eo tempore, quo pater illius moritur, & defertur hæreditas Societati sit incapax succedendi non obstat tali delationi; cum societas non succedat ex iure quod professus eo tẽpore Societati concedat, sed ex iure, quod ei dedit renunciando, & quod sine dubio non extinguitur per professionem, vt patet] Et in proprijs terminis idem tradit Rouitus *decis.* 85. *n.* 2. vbi ait, Marcellum succedere in bonis Io. Vincentij, ex eo quia duo fratres ante professionem fecerunt renunciationem omnium iurium &c. in personam Io. Vincentij, qui hæredem instituit Marcellũ, & præmortuus est Ioanni Baptistæ communi auunculo in cuius bonis succedendũ erat, & post longam discussionẽ etiam concludit *n.* 25. spem futuræ

turę hereditatis fuiſſe pęnes religioſos donantes, eamq; potuiſse renunciare, & de facto renunciaſse Marcello. Et meo certe iudicio ſunt in hac ſententia omnes Doctores, quos citauimus in hac quæſtione in probatione conſequentiæ noſtri argumenti, quibus addo Sanchez vt iam oſtendam.

§. III.

Præcedens reſolutio authoritate Thomæ Sanchez firmatur.

SVMMARIVM.

Sancij doctrina minus rectè ad noſtrum caſum ab aduerſa parte applicatur n. 14.
Oſtenditur Thomam Sancium multis in locis docere, Societatem ex vi renunciationis ſibi factæ ſuccedere in hæreditate ſuo profeſſo delata n. 15.
Doctrinam Sancij in hac materia conſtantem eſſe, nec ſibi pugnare monſtratur contra Em. Delugo n. 16.
Poſsidens maioratū ſi profitetur in religione incapaci, quomodo poſſit de fructibus poſt profeſsionem obuenientibus diſponere ibi.
Subſtitutus an ſtatim ſuccedat profeſſo grauato reſtituere n. 17.
Paritas propoſiti caſus, à Sanchez cum noſtro probatur n. 18.
Conditio: ſi hæreditas deferatur quomodo verificetur in renunciatione hæreditatis n. 19.

14 OPponit Eminentiſſimus, ac Doctiſſimus Cardinalis cōtra reſolutionem à nobis affirmatiuè datam authoritatem Thomę Sanchez, aitque illum ſuam ſententiam negatiuam expreſsè docere *lib. 7. ſum. cap. 9. num. 25.* cuius tamē dictum valde miror, quia reuera Sancius non ponit expreſsè hunc caſum; ſed alium diuerſum, vt mox oſtendam, & dato quod illum ponat, debebat Doctiſſimus vir etiam dicere Caſtropolaum, qui ponit eundem caſum Sancij, & putat Collegiū, ſeu Societatem renunciatariam ſuccedere expreſsè noſtram ſententiam tenere; imo etiam Pellizarium, qui ſequitur Caſtropalaum. Sed hæc omiſſa faciamus, & breuiter oſtendamus, Sancium multis in locis noſtram ſententiam apertè dare; nec in loco à Delugo citato loqui de caſu à nobis poſito.

15 Et quidem Societatem renunciatariam ſuccedere in hæreditate obueniente profeſſo, qui ante profeſſionem renunciauit omnia iura, &c. ipſi Societati Ieſu, docet Sanchez. *lib. 7. ſum. cap. 27. num. 16.* vbi ait Societatem eſſe incapacem *ſolius iuris ſuccedendi nomine ſuorum religioſorū*, quæ verba excludunt omnes alios modos ſuccedendi ſuis religioſis Societatis Ieſu præter hunc expreſſum; nomine ſuorum religioſorū, ſeu ex vi profeſſionis, aut votorū in ea emiſſorum, vt ſupra toties explicatum eſt *l. his ſolis Cod. de reuoc. donat.* Rota in *Nouarienſ. legitimæ coram. D. Cheslerio* 1629. *num. 7.* & in Macerat. *ſpolij* 15. *Iulij* 1615. *coram Manzanedo* apud Farin. *deciſ.* 729. *num.* 2. *par.* 2. *recen.* & alij: ergo per Sanchez, Societas Ieſu ſi fiat renunciataria ſuccedet ſuis religioſis in omnibus, quia ſolum excluditur, & non eſt capax ſuccedendi ipſis ex vi profeſſionis emiſſæ in ea: & cum renunciatio, quę fit ab emiſſuris profeſſionem in Societate Ieſu fit omnium bonorum, ac iurium, & hæreditatis futurę, etiā ex cauſa de futuro, vt ex doctrina ipſius Sanchez probauimus *à*

quæſt.

quaest. 2. sequitur aperte in sententia Sanchez, Societatem Iesu, si fit renunciataria succedere suis religiosis etiã post professionem ab his emissam in bona, quæ illis tunc obuenient. nam cum absolute doceat Sanchez num. 15. d. cap. 27. Societatem Iesu posse hæredem institui, & donatariã; & *num.* 16. addat, hoc etiam modo posse succedere suis professis, si ante professionem sit hæres, vel donataria instituta, neque distinguat in bonis præsentibus tantum, aut futuris, plane manifestat, se putare Societatem Iesu renunciatariam ex vi renũciationis, Et institutionis sibi factę succedere in omnibus tam præsentibus, quam futuris, & speratis bonis ipsius religiosi renunciantis, ac instituentis Societatem hæredem ante professionem de ratione enim hæredis vniuersalis est, & similiter donatarij vniuersalis omnium præsentium, ac futurorum etiam ex causa de futuro, vniuersaliter succedere. Idem etiam docet Sãchez. *lib.* 7. *cap.* 16. *nu.* 20. *& seqq.* vbi ait, grauatum restituere hæreditatem si fiat Societatis Iesu professus teneri restituere statim à die professionis substituto, nisi prius renunciasset sua bona ipsi Societati, pro vt in hac quęst. *§. præc.* ponderauimus.

16 Idem etiam dabit *cap.* 3. *num.* 81. *&* 82. quæ loca ponderat Castropalaus, & sane probant non leuiter quod intendimus, nec verum est, Sancium in illa doctrina nec firmiter, nec consequenter permanere vt vult De-Iugo *d. lib.* 4. *dub.* 4. *n.* 8. ex eo quia Isin. *d. cap.* 3. *num.* 81. *&* 82. *lib.* 7. *summæ* dicit, quod si ante professionem, etiam in religione incapaci religiosus renunciauit ius in bona fidei commisso subiecta, facta professione, non succedet fidecommissarius; pro vt succederet, si non esset facta renunciatio; sed renunciatarius, qui gaudebit illis bonis durante vita naturali monachi professi in religione incapaci, & *cap.* 13. *num.* 57. eiusdem lib. 7. dicit, possidentem maioratum, & profitentem in religione incapaci posse disponere de maioratu in personam tertiam; & ad hanc spectare fructus maioratus durante vita naturali professi, quod non eueniret si talis renunciatio, seu dispositio non præcessisset, ex eo inquam quod Sancius hanc doctrinam locis citatis tradiderit, & postea cap. 15. num. 10. dicit hæredem illius Religiosi non debere frui fructibus maioratus: sed a die professionis pertinere ad sequentem vocatum: putauit Delugo Sancium non perstitisse in sua doctrina firmiter, sed hoc verum non est, & poterat aduertere Ingeniosissimus Delugo, Sancium in illis locis dum ait, renunciatarium, seu donatarium aut institutum hæredem succedere excluso substituto donec professus naturaliter viuat, loqui quando esset facta institutio specialis. Cum autem *num.* 10. *cap.* 15. *lib.* 7. negat hæredes succedere in fructibus maioratus post professionem religiosi, loqui quando nulla esset facta institutio specialis, quam distintionem, & sic coherentiã firmam in doctrina illa Sancij puto ab ipso clarissime explicari, num. enim 82. *d. cap.* 3. *lib.* 7. ait [dixi autem quando specialiter, quia si generalis esset renunciatio, aut institutio generalis non includeret hæc bona (fide commisso subiecta) qua professione illius Monachi transire debent in substitutum, per ea, quæ infra dice-

dicemus] & *lib. 7. cap. 15. num.* 10. citato a Delugo sic habet [sed verissima sententia est; statim à die professionis deuolui maioratum ad sequentem vocatum non aliter, ac si ille naturaliter mortuus fuisset] at quæstio erat num. 9. posita [an statim in maioratum possessore profitente in religione incapaci, succedat sequens vocatus, quidam negant dicentes heredes illius Monachi potituros fructibus illius maioratus, dum monachus naturaliter vixerit, sicuti potiturum erat monasterium, si successionis capax esset.]

17 Ex quibus patet, quæstionem ad quam Sancius *num.* 10. respōdet, nō esse quando aliquis specialiter esset institutus in fructibus maioratus; quòd etiam patet ex secundo argumento [insuper quia verissima sententia habet, grauato restituere, si absque liberis decedat, professo in religione incapaci, deberi statim à professione hæreditatem substituto, vt supra hoc libro probauimus] at supra probauerat deberi statim substituto, quando non fuisset facta specialis institutio bonorum illorum, vt ex ipso vidimus.

18 Porrò magnam esse paritatem inter hos casus, ac nostrum, mihi clarissimum videtur: nam sicuti nō succederet religio incapax in bona fidei commisso debita, & in fructus maioratus à die professionis, succederet verò, si facta priùs fuisset renunciatio in ipsam à suo religioso, vel in alium tertium: ita etiam quámuis Societas non succederet in bona aduenientia post professionem suo religioso, & ille esset omnino incapax; at si ante professionem renunciauit expresŝè Societati omnia, iura, &c. Ea succedet ob factam renunciationem. Et sicuti professus ante professionem potest renunciare fructus maioratus, quamuis ipse dum renunciat eos non habeat, (sunt enim futuri annis sequentibus,) & dū illi extant erit eorum incapax per professionem in religione incapaci, ex eo quia renunciat illud ius, quod habet ad rem ante professionem: sic poterit renunciare hæreditatem futuram, quāuis dum renunciat eam non habeat, & quando aduenit hæreditas morte consanguinei sit incapax per professionem, quia renunciat illud ius, & spem ad quācumque hæreditatem, quæ est quid præsens, & in bonis nostris, vt *quæs.* 2. diximus, & infra dicetur adhuc.

19 Tandem nostram sententiam apertius probat doctrina, quam ex multis sequitur Sanchez *lib. 7. cap. 6. num.* 2. & nos posuimus supra *hac q. §. 1. ver. consequentia est manifesta*, ait enim Sanchez ibi [dum traditur (nempe à Doctoribus) hereditatis renunciationem habere tacitam conditionem, si hæreditas deferatur, intelligendum esse, si deferatur ipsi renuncianti, vel alteri ex eius persona, vel eius ratione, & causa, nam tunc renunciatio ab initio valida refertur ad hæreditatem futuram, quę vel ipsi renuncianti, vel alteri iure ipsius renunciantis delata sit] & infra [nec obstat secunda ratio, quia quando renunciatio fit tempore habili, & postea aduenit casus, in quem collata fuit, censetur negotium contractum esse tempore renunciationis, & ad illud retrotrahitur l. nec emptio ff. de contrahend. emption. &c.] ex hac doctrina putare non possum, Sancium fore negaturum nostrā resolutionem, nimirum, Socie-

tatem, cui facta est renunciatio in forma amplissima ante professionem sui religiosi, eo professo, non succedere in illa hæreditate ex vi sibi factæ renunciationis, tempore habili, nec disparitas, quam Eminentissimus Delugo *d. l.* 4. *dub.* 4. *n.* 7. conatur afferre potest procedere ob ea, quæ diximus supra §. 1. *ver. nec dici potest.*

§. IV.

Ostenditur, Thomam Sancium cap. 9. num. 25. lib. 7. sum. longe diuersum casum, à nostro negasse.

SVMMARIVM.

Casus à Sanchez lib. 7. c. 9. positus est valdè à nostro diuersus, vbi plura ad rem n. 20.
Viuentis nulla est hæreditas ibid.
Renunciatio hæreditatis personæ determinatæ, an valeat n. 21.
Hereditas an possit pacto dari ibid.
Differt renunciatio iuris rei futuræ, à renunciatione rei futuræ n. 22.
Filio professo in Societate Iesu an legitima patri debita competat renunciatario n. 23.

20 DIuersitatem verò nostri casus propositi, ab eo, quem affert Sanchez lector ipse attendet. Nos enim tractamus quãdo professurus in Societate Iesu renunciauit generaliter omnia sua bona, iura, seu spẽ successionis in fauorem Societatis, aut alicuius Collegij, seu etiam domus professæ, in qua renunciatione venire omnia etiam futura ex causa de futuro, spes omnes succedendi in agnatis, & in quocumque gradu successibili, etiam ex aliquo casu fortuito probauimus *à prima quæst. ad hãc* 6. at Sanchez loc. cit. loquitur quando quis viuente ascendente nominatim, & specialiter renunciauit futuræ hæreditati ipsius, & viuo renunciante, mortuus est ascendens, pater v. g. auus, &c. in hoc casu dicit, renunciationem euanescere, quia deficit conditio, sub qua fuit facta; nempè, si ea hæreditas patris mihi delata fuerit renuncio Titio, &c. quam cõditionem vult ipse intelligi in renunciatione futuræ hæreditatis determinatæ, & a persona determinata, nempe ab ascendentibus, vt mox ostendam, & sanè hic sensus patet ex ipso Sanchez, qui propositæ a se quæstioni: nempe [Quidam è Societate Iesu iuxta ipsius cõstitutiones renunciauit omnibus bonis, & futuræ hereditati in fauorem eiusdem Societatis, aut alterius, & emisit postea in ea professionem, aut vota formatorum, aut ante hæc emissa obijt in Societate relictis ascendentibus: an succedant parentes?] & propositæ quæstioni respondere volens distinguit de renunciatione futuræ hæreditatis, & de renunciatione bonorum. Verba Sancij sunt. [cui quæstioni sic dicendũ est, si renunciatio fuit futuræ hereditatis, casu quo est valida, cessat prorsus eius effectus, & valor statim, ac religiosus ille est naturaliter mortuus superstite ascẽdenti, cuius hæreditati renunciauit, quod habeat tacitam conditionem ea renunciatio, si hæreditas renuncianti deferatur, vt diximus hoc lib. supra; hæreditas autem non potest deferri monacho in vita parentis, quia viuentis nulla est hæreditas l. superstitis ff. de acquir. hæred. quare necesse, est vt pater in vita filij monachi decedat, vt eidem filio parentum hæreditas deferatur, qua-

quare si filius obiret prius, nil prorsus ex bonis paternis transmitteret ad hæredes alios, vt optime Gutierez. *qq. can. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 54. & 55. At in hoc casu non est delata hæreditas, & idem est dicendum si professionem, aut vota coadiutorum formatorum in Societate emittat, viuo illo ascendenti] vbi vides Sanciũ loqui de renũciatione hęreditatis determinatę, & nõ de renũciatione iuris ad hæreditatẽ futurã, vt loquitur Gutterez, quem ipse allegat, & quia casus, de quo cõsultus fuit de hac erat, & tandẽ materia, à qua proposita quæstio diluenda erat, agebat de modo disponendi inter ascendentes, & descendentes religiosi.

21 Et patet ex illis verbis Sancij (casu quo est valida) nam ipse supra *l.* 7. *cap.* 2. *n.* 31. ex multis probauerat renunciationem hæreditatis personæ incertæ esse validã, & solũ illã renũciatinoẽ non valere, quę esset hereditatis determinatæ, nisi in aliquibus casibus, tum quia ait (superstite ascendẽti cuius hæreditati renunciauerat) & semper loquitur sub his terminis, & omnes Doctores, quos citat Surdus *con.* 133. cum dicunt, renunciationem hæreditatis includere conditionem si deferatur, loquuntur in renunciatione ipsius hæreditatis determinatæ factã à filio, vel filia de hæreditate paterna, vel materna, & ne putes, hanc distinctionem gratis a me esse confictam, illam accipe ab ipso Sanchez. *lib.7.cap.2.num.* 54. *fine* vbi volens soluere argumentũ contra se: quod hæreditas non possit pacto dari, ait [tandem nec potest esse ratio illius, quod pacto nequit hæreditas dari, vt bene docet Menochius *de succ. creat.* §. 18. *n.* 192. tum quia hac renunciatione non vere datur hæreditas; sed ius succedendi, seu spes illa transfertur] ergo per Sanchez diuersum est renunciare hęreditatem, & renunciare ius ad hæreditatem.

22 Audi etiam Bolognetum in *l. fin. cod. de pactis. num.* 3. [in omni autem iure quærendo, vt etiã dixi in pręmissis *l.* 1. est duplex consideratio: nam aliquando cõsideratur ipsum ius id est ipsa res acquirenda, & istud ius est sẽper de futuro, & non est in bonis nostris, nec de eo valet dispositio. *l. si filius, & l. constante cũ Gloss. in fin. de donat* nisi sub conditione fiant cum res erunt acquisitæ; aliquando spes consideratur, qua speramus acquirere, & hæc spes est in bonis nostris] quod etiam docuit Rouitus *decis.* 85. *num.* 25. Sanchez ergo cum dicit, renunciationem hereditatis habere tacitam conditionem; loquitur de renunciatione ipsius hæreditatis determinatæ, non de iure ad hæreditatem, de quo est noster casus, alias certe tantus Doctor sibi deesset; nam hic cap. 9. n. 25. maxime suam assertionem probat, & vt melius dicam hoc vnico fundamento, quod renunciatio hæc habet tacitam conditionem; si hæreditas renuncianti deferatur; quam ipsissimam rationem *cap.* 6. *n.* 1. contra se obiecit, & *nu.* 2. respondet illam diluendo [quia dum traditur, hæreditatis renunciationem habere tacitum conditionem, si hæreditas deferatur intelligendum est, si deferatur ipsi renunciāti, vel alteri ex eius persona, vel eius ratione, & causa, &c.] vt supra §. præc. vidimus. hic igitur Sanchez. non tractat nisi de successione, aut exclusione parentum, seu ascendentium in bonis religiosi, & in hæreditate renunciata determinate: nam

de iure ad hæreditatem, de quo est nostra quęstio egerat locupletissimè supra *l. 7. cap. 1. 2. & 3.*

23 Imo potius in hoc loco nobis fauet; cum loquens de dispositione cæterorum bonorum a renũciante acquilitorum ante professionem, dicat eo mortuo, vel professo in Societate Iesu, succedere renunciatarium, & patri deberi legitimam, in qua renuncians non potest patri pręiudicare; supponit ergo renunciationem factam in personam tertij non euanescere per mortem, aut professionem renunciantis viuentibus ijs; quibus succedẽdum erat; sed tantum attendit, & cõsiderat bona, quæ poterant renunciari, nec ne.

Nec magis fauet Sanchez ipsi Delugo cap. 15. num. 9. & 10. ab ipso citato, vt patet ex dictis §. præced. quare vidimus Sancium multis in locis nobis fauere, prout aliqua ponderat Castropalaus. *trac. 16. dis. 2. punt.* 18. nempè *lib. 7. cap. 3. n. 68. & 78.* & num. 81. & 82. in eo autem loco, quem pro se allegat Eminentissimus, Delugo non esse contra nostram resolutionem; quia casus est à nostro diuersus, vt vidimus, & dato quod in hoc loco nobis contradiceret, habemus tamen rationes nõ leues, à Castropolaum, & Pellezarium, qui à fortiori nostram dabunt sententiam, cum in casu illo, quem diximus esse à nostro diuersum, & difficiliorem recedant à Sanchez; & pręterea multos Doctores insignes, ac recentiores plures ex ipsa nostra Societate, vt §. 2. *circa finẽ* diximus.

§. V.

Satis fit argumento Doctissimi Delugo.

SVMMARIVM.

Renuncians omnia iura ex causa de futuro; renunciat id, quod habet, & est in suis bonis, vbi authoritate multorum firmatur n. 24.

In renunciatione non consideratur incapacitas renunciantis pro eo tempore, quo hæreditas defertur. n. 25.

Soluitur in forma argumentum Em. Delugo n. 26.

Renuncians ante professionem ea, quæ dabunt amici, an renunciet res ipsas, an ius n. 27.

Renunciatio hæreditatis post mortem renunciantis venturæ an valeat ibi.

24 EX dictis facile, responderi potest ad rationem a Delugo illatam. Negamus enim, quod renuncians omnia iura, &c. renunciauit id, quod non habet, sed renunciauit id, quod habet in præsenti, nempe ius ad successionem siue ex testamento, siue ab intestato, vt probauimus quęst. 3. & hoc tam est commune apud Doctores, vt mirer Delugũ posse contrarium asserere, nam omnes Doctores, quorum innumeros fere citat Sanchez. *lib. 7. sum. cap. 2. per totum* pręsertim *num.* 8. supponunt hoc ius futuræ successionis, seu speratæ ex casu aliquo fortuito esse in bonis actu, & pręter dicta in *quæst.* 3. & 4. *supra* docet Fagundez *de contrac. cap.* 17. *num.* 18. vbi ait [nullum ius monasterio capaci bonorum competere in his rebus, quę Monachus ante ingressum religiosis consanguineis, vel amicis dimisit, remque intelligit non de bonis, quę iam de facto filiusfam. ante ingressum religionis possidebat; sed de alijs etiam, quę ille non dum acquisita habebat, &

quę

quæ nisi ille ante ingressum religionis aliter disponeret, ad illam dum viueret pertinerent; quia ea etiam donare possumus, quorum probabilem spem habemus l. spē ff. de donat.] quod etiam docuerunt Petrus Bellapertica in *l. fin. Cod. de pactis*, Odofred. *num.* 4. Bald. *n.* 22. Iacob. Butrignian. *opp.* 1. *&* 2 *fine*, Paulus *num.* 10. Decius *num.* 3. *&* 17. Alber. *n.* 7. Salicet. *num.* 9. *&* 11. & alij permulti, quos refert, & sequitur Sanchez *lib.* 7. *sum. cap.* 2. *num.* 31. neque hi Doctores considerant statum futurum renunciantis, vtrum sit de facto ipsi deferenda hæreditas; sed statum præsentem, in quo supponunt non habere hæreditatem; sed tantum ius, & de eo dicunt, posse illum disponere.

25 Et Sanchez dum *num.* 54. *d. l.* 7. *cap.* 2. probat renunciationem omnium bonorum, iurium, &c. factam in fauorē Societatis à religioso professionem in ea emissuro validam esse, planè non cōsiderat incapacitatem, quam ille habebit per professionem; sed an possit ante professionem renunciare: ergo supponit ius ad hæreditatem esse in bonis nostris; quamuis sit de hęreditate futura, etiam ex causa de futuro, & Castropalao *trac.* 16. *pun.* 17. *num. vltimo* idem docet, vbi ait, [neque verū, est Monachum renunciare hæreditatem sibi, vel monasterio deferendam, quia facta renunciatione, nec sibi, nec monasterio defertur, renūciat enim ius, quod habet in illa hæreditate] & infra [at Nouitius renuncians hæreditatem Patris viuentis, quæ resignatario conferenda est tempore, quo is nouitius est inhabilis non ipse confert hęreditatem; sed ius succedendi, quod habet, ex quo iure resignatarius succedit, quippe est ius habile, & expeditum, nempe collatum tempore habili, quamuis tempore collatæ hæreditatis Monachus inhabilis sit: est enim hæc inhabilitas omnino per accidens; cum non iuxta illam; sed iuxta habilitatem tempore renunciationis contingentem delatio facienda sit argumēto *l. nec emptio ff. de contrah. empt.*] adde Rouitum *decis.* 85. *num.* 25. in terminis de renunciatione religiosorum, vbi hæc habet [erat enim pænes renunciantes hæc spes ex causa tunc subsistente de præsenti; dum erat in gradu successibili, & iure sperare poterat aliquam successionem consanguineorum, vt declarat Afflic. *decis.* 350. *post num.* 4.] potest etiam addi Ant. Gomez. *var. tom.* 1. *cap.* 8. *num.* 1.

26 Ad argumentum igitur in forma respondeo. Concedo maiorē; scilicet, neminem posse dare id, quod non habet, nec habebit: Et nego minorē, nimirum donātem Colleggio Soc. sua bona futura, &c. donare id, quod nec pertinet tēpore donationis, nec pertinebit postea, &c. nam donauit id, quod tunc pertinuit nempe ius ad illa bona futura, licet ipsa hæreditas, & bona tunc illi non pertinuissent, & quamuis quando moritur Frater, non possit ad renunciantem hæreditas fratris pertinere: parum refert; nam sufficit si peruenire possit ad Societatem, quæ est capax vi suarum constitutionum succedendi in bonis etiam futuris, & in quacumque hæreditate sui religiosi non ex vi professionis in ea emissæ; sed ex vi factæ renunciationis, vt probauimus in *hac quæ.* & §. 2. & habet ius datum a suo Religioso, quando poterat illud dare, & erat præsens tunc quan-

quando viuebat frater, licet non fuerit præsens, vt sic dicam ipsa hæreditas, vnde totum corruit argumentum.

27 Neque paritates, quas affert sunt contra nos; nam Petrus, qui ante professionem renunciauit omnia, quæ dabunt amici sine licentia superioris, de facto renũciauit res ipsas, non ius ad res, quod non habet; & quamuis verum sit quod renuncians hæreditatem, quæ sibi post mortem naturalem adueniret, nil faceret; at si quis renunciaret omnia iura ad futuras successiones valide renunciaret, quia renunciat ius præsens, & illud transfert in renunciatarium, præsertim quando sumus in morte ciuili ob professionem in religione capaci ex vi professionis, aut ex vi renunciationis sibi factæ, vt in *q. seq. n. 16.* patebit, vt toties supra dictũ est.

QVAERES VII.

Caius emissurus professionem in Societate Iesu, renunciauit omnia sua bona, iura, &c. Titio fratri, ita quod eo moriente sine liberis, omnia dicta bona peruenirent ad Societatem. Quæritur an mortuo Titio sine liberis, & ab intestato, Societas succedat in hæreditate ipsius Titij.

SVMMARIVM.

Ratio difficultatis quæstionis positæ exponitur n. 1.

Confirmatur difficultas ex Rota decisione n. 2.

Vidimus in præcedentibus quæst. renunciationẽ bonorum, iurium, &c. factã à professuro in Societate Iesu comprehendere omnia bona, & iura futura spectantia ipsi renunciantι tam ex causa de præterito, & præsenti, quam ex causa de futuro, siue ex testamento, siue ab intestato, & in his omnibus succedere renunciatarium.

1 Nunc proposita quæstio, de qua neminem tractantem vidi, est a nobis discutienda, & difficultas est, quia Societas Iesu est substituta Titio in bonis illi relictis à Caio: inter bona autem à Caio relicta Titio non erat ius succedendi ex aliquo casu fortuito in hæreditate ipsius Titij, quia nemo potest succedere sibi ipsi: ergo cum moritur Titius ab intestato, deueniunt quidem Societati renunciatariæ bona cætera, quę à Caio Titius habuit, cęteręque successiones ab intestato, vel ex aliquo casu proueniętes, pręter successionem prouenientem ex morte Titij ab intestato, quia hoc ius succedendi non fuit renunciatum à Caio ipsi Titio, cui Societas substituitur.

2 Confirmatur quia Rota Romana renũciationis 7. Iunij 1634. dicit, hanc renunciationem iuris succedendi ipsi renunciatario esse inanem, & inuerisimilem: cum nunquam dabitur casus, quod renunciatarius possit habere hoc ius, quod post mortem suam sibi competat.

Nihilominus dicendum censeo, Societatem Iesu renunciatariam succedere in bonis Titij nõ secus ac succederet in bonis alterius consanguinei decedentis ab intestato, & proximioris in gradu ipsi Caio renuncianti. Idque sequentibus rationibus.

§. I.

Proponitur prima ratio desumpta ex natura renunciationis sub cõditione: si sine liberis decesserit bona deuenjant ad Societatem.

SVM-

SVMMARIVM.

Substitutus ab extraneo succedit in bonis testatoris n. 3.
Substituto debet necessario supponere hæredis institutionem ibi.
Pactum appositum in donatione vt mortuo donatario bona deueniant ad tertium non est substitutio n. ibi.
Substitutio nequit fieri in contractu ibi.
Trebellianica an sit à fideicommisso detrahenda n. 4.
Donatio reuocata quoad primum donatarium non censetur reuocata quoad secundum n. ibi.
Substitutus in donatione sub conditione, statim deficiente conditione acquirit dominium rerum donatarum n. 5.
Ex præmissis argumentum ad probationem conclusionis ponitur. n. 6.
Substitutus in donatione succedit primo donanti n. 7.
In renunciatione quomodo fiat extensio de casu ad casum n. 8.
Extensio non dicitur vbi adest eadem ratio n. 9.
Renunciatio generalis quando non restringatur ad specificata n. 10.
Clausula constituti quid operetur in donationibus n. 11.
Renunciatarius omnium iurium futurorum, &c. an succedat si renuncians tempore, quo iura deserentur sit viuus naturaliter, sed incapax n. 11.

3 PRima ratio nostræ assertionis est, quia in hac re non debemus discurrere sicuti in substitutione, in qua substitutus ab extraneo succedit in bonis testatoris, & non primi instituti: nam reuera non est substitutio, vbi nõ est hæredis institutio, vt probat Surdus *cons.* 247. *num.*4.*vol.*2. ibi [demus ergo non esse substitutionem prout verè, & propriè dici non potest, ex quo nulla præcedat institutio, cuius respectu dicitur substitutio secunda hæredis institutio, quandoquidem si pacto dari non potest hæreditas *l. hæreditas in fin. Co.de pac.con.*non etiam dabitur substitutio, & nõ curo, quod sit directa, vel fideicommissaria, quia vbi cessat institutio, non potest considerari substitutio. Concludo ergo verè non dici substitutionem] igitur cum in nostro casu non fuerit facta a Caio hæredis institutio in personam Titij; sed renunciatio, seu donatio, sequitur apertè, quod illud pactum appositum; vt quando morietur sine liberis bona deuenirent ad Societatem: non fuit propriè substitutio, tum quia substititutio propria non potest fieri in contractu, vt benè probat idem Surdus loc. cit. *cõs.* 247. *vol.* 2.

4 Et patet apertè ex eo, quod cũ Doctores dicunt, fideicommissum fieri in contractu, volunt etiam de eo non esse detrahendã Trebellianicã sic Alex. *cons.* 247. *fine vol.* 2. Curt. Iunior. *cons.* 15. *num.* 5. *ver. quo quidem* Crauett. *cons.* 130. *num.* 11. Bal. *rub. Cod. de reu. his, quæ in fraudem* Alex. ad Barthol. *in l quidam cum filiũ ff. de hæred. institu.* Roman. *in l. stipulatio ista §. inter certam fine ver. præterea qui hæreditatem ff de verb. obligat.* Est ergo illa renunciatio in personam Societatis Iesu casu quo Titius frater moreretur sine liberis secunda donatio facta sub cõditione, vt benè Surd. *cons.* 90. *num.* 1. *vol.* 1. Castrens. *cons.* 385. *si quæritur vol.* 1. vbi ait: quod reuocata donatione quoad primum donatarium, non cẽsetur ea reuocata quoad secundum; cuius tamen contrarium est

eſt in ſubſtitutione propria; nam deficiẽte inſtitutione, deficit ſubſtitutio, vt omnes docent: ergo ſubſtitutio in donatione per Caſtrenſem eſt ſecunda donatio: cum ſit independens à validitate primæ.

5 Idem etiam ſupponit Menochius *conſ.325. à n.* 1.*vel.* 4. Decius *conſ.* 239. *col. penul. ver. nec obſtat ſi dicatur* & *l. traditionibus Co. de pactis* vbi ait, ſubſtitutum in donatione ſub conditione ita admitti, vt purificata conditione, ſub qua fuit ſubſtitutus agere poſſit rei vendicatione ad conſequẽda bona donata: vnde ſupponit, tranſire ad ſubſtitutũ non tãtum ius ad res donatas ſub conditione; ſed etiam ſtatim, purificata conditione dominium rerum, ſine quo actio reuendicatoria nõ datur.

6 Hoc poſito: ſic arguo: in prima donatione, ſeu renunciatione facta per Caium profeſſionem emiſſurum Titio fratri venerunt omnia iura, actiones, ſpes futuræ ſucceſſionis, &c. tam ex cauſa de præterito, quam ex cauſa de futuro, vt *quæſt.* 2. & *ſeqq.* probatum eſt: ergo etiam in ſecunda venerunt omnia iura, actiones, ſpes ſucceſſionum, &c. prout in dictis *qq.* dicitur, quia militat eadem ratio nempe præſcriptio conſtitutionum Societatis Ieſu, quæ volunt, vt renunciatio fiat omnium prorſſus rerum, ita vt profeſſus Societatis Ieſu, ſit omnino pauper abſque vlla ſpe ſuccedendi, vt *d. quæ.* 2. ſatis dictum eſt: ſed inter iura, actiones, ſpes ſuccedendi erat etiam, & præcipue ius ſuccedẽdi in bonis fratris forte prouenturis ex aliquo caſu fortuito, v. g. morte ipſius ab inteſtato, vt patet: ergo Caius Societatis profeſſus per illam ſubſtitutionem factam Societati tẽpore, quo non dum erat profeſſus, in caſu, quo Titius frater moreretur ſine liberis, non ſolum renunciauit Societati Ieſu ea, quæ dedit Titio fratri, ſed etiam ius ad bona ipſius Titij quandoquidem, hoc ius erat inter bona ipſius Caij, & ad alios poterat transferri, vt in ſuperioribus quæſtionibus dictum eſt. præſertim qu. 3. &. 6. & per conſequens Societas Ieſu renunciataria, poſt profeſſionem Cai ſuccedet in bona Titij per ſecundam renunciationem ſibi factam ſub conditione; ſi Titius ſine liberis moreretur, ex vi iuris ſibi ex tunc tranſlati, cum Caius fecit renunciationem ſub conditione, vt præc. quæſ. probauimus.

7 Confirmatur 1. quia Societas Ieſu non repræſentat Titium: ſed Caium Fratrem donantem tempore donationis argum. *l. contrahendi* §. *cum filiæ ff. de vul. ſubſt.* vbi notant ſcribentes omnes, ſubſtitutum ſuccedere teſtatori, & in bonis ipſius, ab eoque beneficium accipere, & non ab eo, cui ſubſtituitur, & in donatione expreſſe Menochius *conſ.* 325. *num.* 8. & Caſtreus *conſ.* 385. *vol.* 1. *col.* 1. dicunt, ſubſtitutum ſuccedere primo donanti, non primo donatario; ſed Caius frater tempore donationis habebat inter alia ſua bona, & iura, ſpem, ac ius ſuccedendi in bona Titij morientis ab inteſtato, vt ex Bologneto, Laderchio, Sanchez, & alijs per multis probauimus *in d. quæ.* 2. *&* 3. Ergo Societas Ieſu ſubſtituta ſuccedit Caio ex vi renunciationis ſibi factæ in bonis Titij mortui ab inteſtato eo pacto, quo ipſe Caius ſi non eſſet profeſſus, & renunciationem nõ feciſſet, ſuccederet; nam ex dictis quæſ. 1. & *quæ.* 5. *præſertim* §. 1. poteſt hoc modo ſuccedere

So-

Societas suis religiosis, nam sicuti aliæ religiones succedunt ex eo, quod in illis fuit emissa professio à suis religiosis, sic Societas Iesu succedit ex vi renunciationis sibi factæ à suis professis ante emissam professionem.

8 Cõfirmatur secũdo, quia in renũciatione fit extẽsio de casu ad casũ, & de hæreditate vnius ad alterius hęreditatẽ, vt si dubitetur: an in renunciatione fuerit comprehensa hæreditas Titij, vt est in casu nostro, ea censeatur inclusa. sic in terminis Menochius cons. 335. num. 15. & quamuis in verbis renunciantis non sit clare casus hic expressus: tamen ex mente renunciantis, ad eum sit extentio Roma. *cons.* 22. *vol.* 2. Cor. *cons.* 291. *col.* 3. *lib.* 4. Couar. *cap. quamuis pactum* §. 3. *p.* 3. *n.* 4. & alij.

9 Imo cum adest eadem ratio non dicitur fieri extensio, sed censetur renunciatio comprehensa ijsdem verbis, sic cum Bal. Castr. & alijs Grauet. *con.* 183. *num.* 3. Tiraq. *in l. si vnquã ver. liberis num.* 45. *Co. de reu. donat.* Oldr. *cons.* 185. *fine*: ergo cum Caius renunciauerit omnia præsentia, &c. fratri, vt maneret perfecte pauper, eadem censendus est renunciasse Societati ob eandem rationem.

10 Confirm. 3. quia renunciatio generalis nõ restringitur ad specificata, quando ratio recti sermonis id nõ patitur Graue. *Cons.* 209. *n.* 6. Alex. *con.* 46. *t.* 1. Gozad. *con.* 92. *n.* 21. Cæph. *con.* 463. *n.* 25. *lib.* 4. Paris. *cons.* 150. *nu.* 11. *l.* 4. Sed ratio recti sermonis in renunciatione conditionata facta Societati non patitur, vt non includat ius, & spem succedendi Titio fratri: aliàs aliquid renuncians sibi reseruaret, vel excluderet Societatem à potiori spe, & iure, quod non esse dicendum, mox ostendam; ergo quamuis in substitutione, seu renunciatione facta in persona Societatis non fuerit specifica mentio hæreditatis fraternæ, adhuc ea intelligitur comprehensa.

11 Confirmatur 4. ex ipsis verbis donationis, nam videtur apertè duplex donatio, & secunda independens à prima; nam in secunda dicitur ex nunc pro tunc, & contra, & fit donatio Societati cum clausula constituti, quod nõ inuenitur in prima donatione facta Titio; vnde ista secunda est amplior, facitque, vt donatio sumat initium tam ex tempore futuro, quam ex præsenti, in quo donatur, quia tempus præsens inest futuro, & contra. vt cum Angelo, Imola, Alex. *l. huiusmodi ff. de verb. obligat.* Bald. *in auth. contra, in princ. Co. ad Trebell.* Iason. l. 1. *in fine. C. de codicillis.* Alex. *cons.* 83. *col.* 3. *ver. confirmatur sub num.* 6. *vol.* 6. Franc. *decision.* 213. *n.* 1. docet Fabius de Anna *decis.* 39. *n.* 2. & alij apud ipsum. Ergo cum initio numerasset omnes succesſiones fraternas, maternas, &c. & in renunciatione facta in personam Societatis tam amplè, addit; iuxta supradicta, censetur etiam Societati renunciare ius succedendi ipsi fratri ab intestato.

12 Neque opus est, vt tempore mortis Titij Caius sit capax ad hoc, vt Societas renunciataria succedat, sed sufficit si Caius superuiuat, vt in casu omninò simili docet Rouit. decis. 85. n. 2. vbi ait, Marcellum succedere in bonis Ioannis Baptistæ ex vi renunciationis factæ per auunculos iam professos, quia dicit ipse. sufficit quod sint Religiosi renunciãtes, licet per professionẽ incapaces, vt Marcellus renũciatarius succedat.

§. II.

Proponitur Secunda Ratio ex Aduersariorum argumento.

SVMMARIVM.

Etiam facta suppositione, quod sit substituta Societas Iesu adhuc conclusio posita est substinenda n. 13.
Renunciatio realis quænam sit, ibi.
Renunciatio vniuersalis quid comprahendat n. 14.
Renunciatio vniuersalis an cōprahendat ius, quod habet renuncians succedendi ipsi renunciatario, in casu mortis ipsius ab intestato. n. 15.
Incapax succedendi, an possit ad alterius commodum, seu substituti capere. n. 16.
Ex præmissis ratio conclusionis desumitur n. 17.
Confirmatur conclusio ex inuerisimilitudine contrariæ opinionis n. 18.
Affectio disponentis est potentior cōiectura in renunciationibus, in quibus semper est iudicandum ex coniecturis ibi.
Epilogus totius assertæ conclusionis n. 19.

13 SEd vt magis veritas nostræ Resolutionis appareat. demus Societatem Iesu esse in vera, & propia substitutione, ita vt in id solum admittatur per substitutionem, quod fuit à Caio donatum Titio. adhuc dico, Societatem Iesu moriente Titio sine filijs, & sic purificata conditione, sub qua fuit à Caio substituta succedere in bonis ipsius Titij ab intestato morientis, quod probo hoc discursu. Certum est, Caium renunciasse Titio fratri omnia prorsus iura, & spes successionis futuræ, &c. quia illa renunciatio fuit realis, vidimus enim qu. præced. renunciasse, vt omnibus bonis se spoliaret intuitu Religionis ex Bart. *l. qui Romæ §. duo fratres, q. 6. n. 9. de oblig. verb.* Alex. *in cons. 13. nu. 6. lib. 5.* Ruin. *cons. 1. n. 20. lib 1.* Molfes. *tit. de renunc. qu. 2.* & propterea renuncians se spoliauit omnino omni iure succedendi, vt ex Baldo, & omnibus in c. 1. de eo qui finem agnatis fecit. docet Menoch. *cons. 335. n. 30.*

14 Fuit etiam vniuersalis, quia renunciauit omne ius, &c. & ob id complectitur omne genus successionis *l. omnia ff. si cert. petatur.* & ita complectitur omnes successiones, &c. vt comprehensa censeantur omnia, quæ excogitari possunt; ita quod nulla persona, nullusue locus exceptus dicatur, vt sentit Baldus. *cons. 326. col. 3. lib. 1.* & in terminis renunciationis Crauetta in *cons. 290. num. 4. ad fin. & cons. 294. num. 1. & 2.* Menoch. *d. cons. 335. n. 20.* Petrus Bimius *cons. 178. n. 24.*

15 Quare comprehendit quantum fuit ex parte renunciantis etiam ius, & spem succedendi ipsi Titio fratri ab intestato morienti, alias nón renunciasset omnia, vt per se clarum est. Quod autem Titius fuerit incapax iuris succedendi sibi ipsi in suis bonis tum ratione personæ, quia post mortem deberet succedere, tum ratione rei, quia erant suamet bona, hoc non officit, quin potuerit illud ius capere, & statim trāsmittere ad substitutum sub conditione, qualis est in casu nostro Societas.

16 Hanc doctrinam accipe ab insigni Iurisconsulto Ioan. Petro Bimio *cons. 65. nu. 11.* vbi ita loquitur. [Hinc fit etiam, vt licet minime habilis, & capax non possit ad suam vtilitatem capere, po-

potest tamen capere ad alterius commodum, vt alteri restituat, quia tunc, cum quod accipit seruare non possit, nec retinere perinde habetur, ac si non cepisset, & capax non fuisset, nam persona vere capientis spectanda est, non autem persona ministerium adhibentis, vt alter capiat *l. cum dotem. ff. ad l. falcidiã.* & pulchrè tradit Bald. inter consilia Castrens. *cons.* 264. *vol.* 1. quia ista momentanea acquisitio non est consideratione digna *l. cogi. §. si qui solidum. ff. ad Trebellian. l.* 3. *§. item si quis. ff. de legat. præstan. col. vlt. §. vlt. Cod. de bonis, quæ liber. &* tradit Decius. *Cons.* 277. *sub nu.* 1. *& cons.* 569. *num.* 1. & infra, & cum auctoritate tantorum Patrum vndique verissima resonet, & consonet eadem veritas decisionis casus nostri, pluribus verbis hoc idem non prosequor] hucusque Bimius, in cuius verbis aduerto, incapacem nominari à Bimio illum, qui vel ratione rei legatæ, aut ratione personę non potest aliquod sibi relictum retinere, & præcisè quando res sua alicui traditur, nam ad cosiderandum quisnam dicatur incapax, vel ratione personæ, vel rei remittit legentes ad Azonem. qui in tit. infortiat. si cui plus per legem falcidiam licuerit, legatum esse dicatur, postquam dixerit, quempiam capere non posse varijs modis, &c. addit hunc e. g. [vel mista consideratione habita rei legatæ, & legatarij, vt quia res est sua, vel militia seruo legata, &c.] eamdem doctrinam docuit Baldus supracitatus inter Consilia Castrens. consil. 264. vbi concludit, donationem factam ab vxore marito cum substitutione in personam filiorum valere ex eo quia, & si maritus capax non fuisset donationis, tamen potuit capere, vt filijs saltē quoad proprietatem, vt loquitur Baldus, acquireret.

17 Ex quibus sic formo argumentum: Quando fit donatio alicui incapaci tam ratione personæ quam rei donare, si addatur substitutus capax, potest incapax recipere, vt substituto bona deueniant: sed Caius fecit donationem omnium iurium, &c. Titio fratri, inter quæ erat ius succedendi ipsi Titio, cuius ille erat incapax, vt volunt aduersarij: at Societas substituta fuit capax, ergo Titius potuit totam donationem omnium Iurium, &c. accipere, vt id, cuius erat incapax ad Societatem substitutam perueniret.

18 Confirmatur nostra resolutio, quia non est credibile, quod Caius renuncians omnia sua iura, actiones, spes, &c. in fauorem Societatis in casu mortis Titij sine filijs cum amplissima clausula, & constituto, noluerit ius, seu spem succedendi in bonis ipsius Titij renunciare Societati, cum hæc spes fuerit magis probabilis in Caio, quia erat fundata in vinculo arctiori, quam fuisset de hęreditate futura alterius consanguinei, vt *qu.* 5. *a n.* 1. ex Rouit. *Decis.* 85. *n.* 25. Baldo, & Surdo probauimus.

19 Et cum Societas fuerit ceteris omnibus cōsanguineis magis dilecta Caio renuncianti, ac cęteris prætermissis, illam in casu mortis Titij fratris sine liberis voluit omnia iura actiones, &c. habere, vanissimum est negare, Caium nō renunciasse ius succedendi Titio fratri ab intestato, ac voluisse in eo succedere extraneos veniētes ab intestato, & non Societatem, quam præ ceteris omnibus dilexit, & præposuit omnibus alijs præter fratrem, cum affectio dis-

ponentis sit potentior coniectura cęteris, vt docet Soncin. *conf.* 23. *n.* 21. *vol.* 1. Alciatus *consil.* 122. *n.* 9. *l.* 9. & alij passim, & in renunciatione coniecturis, & circumstantijs concurrentibus iudicandum esse tradunt Bald. Salyc. Paul. Decius, Roman. Parisien. Alex. Claud. Soncinas Iun. Ruynus, Aymon. Crottus, & eos citans Tello. *l.* 6. *Tauri n.* 44. & 45. & Sanch. *l.* 7. *n.* 18. hos, & alios referens Molina *to.* 3. *de. iust. disp.* 579. & infra in 4. arg. videbimus.

19 Concludo igitur Societatem esse vere renũciatariam iuris succedendi Titio morienti ab intestato virtute renunciationis factæ à Caio omnium iurium, actionum spei, &c. in personam Titij cum conditione quod si ipse moreretur sine liberis in omnibus succederet Societas, etiam supponendo doctrinã aduersariorũ, quod Caius in renunciatione facta Titio fratri non donauerit ius succedẽdi ipsi Titio absolute, & simpliciter.

§. III.

Proponitur tertium argumentum ex communi, & verissima doctrina desumptum.

SVMMARIVM.

Renuncians Titio ius, quod habet succedendi ipsi Titio, an renunciet quod habet renunciatarius n. 20.

Motiua vnde posset conclusio nostra infirmari n. 21.

Renunciatio intelligenda est iuxta ius consuetudinarium, ac materiam subiectam. n. 22.

Renunciatio facta in Societate an sit odiosa, & stricte accipienda n. 23.

Ius succedendi ipsi renũciatario quomodo possit ipsimet renunciari. n. 24.

Filia non obstante renunciatione Patri, succedit in bona primi matrimonij, eo transeunte ad secunda vota. n. 25.

Filius renuncians ius succedendi patri, cui faciat beneficiũ? n. 26.

Frater quando possit prȩteritus agere de in officioso n. 27.

20 PRobatur tertio nostra principalis resolutio, quia qui renunciat alteri ius succedendi ipsi, non renunciat id, quod habet renunciatarius, sed renunciat id, quod ipse habet, et transfert in donatarium: Ergo cum Caius renunciat ius, quod habet succedẽdi ex aliquo casu ipsi Titio non renunciat id, quod Titius habet, sed id, quod non habet, et sic sensus renunciationis factæ à Caio professionem emissuro in personam Titij fratris erit: Renuncio tibi ius, quod habeo succedendi in tuis bonis, et in omnibus alijs bonis futuris, &c. et moriente te sine liberis, volo, vt succedat Societas loco tui, & per consequens sicuti Titio, fuit renunciatum à Caio ius, quod ipse Caius habebat succedendi ipsi Titio fundatum in frate nitate, ita Societas Iesu, quę suc dit loco Titij habet hoc ius succedendi ipsi Titio in eius bonis ex vi substitutionis.

21 Confirm. 1. quia si renunciatio facta à Caio in personam Titij fratris non comprehenderet ius succedendi ipsi fratri morienti ab intestato, vel id esset, quia renunciatio intelligitur tantum de bonis præsentibus, et non futuris ex caussa de futuro, vel quia, cum sit odiosa, debet, quantum fieri potest restringi, vel denique quia Titius erat incapax iuris succedendi sibi mortuo, nullum ex his dici potest in casu nostro; ergo asse-

asserendum est, Caium in renunciatione facta, cum esset professionem emissurus renunciasse fratri etiam ius succedendi ipsi ab intestato in aliquo casu fortuito.

22 Maior patet ex dictis aduersariorum. Minor probatur, et quidem quod in casu nostro renunciatio intelligatur de omnibus bonis tam præsentibus, quam futuris, ex quacumque caussa probauimus satis superque à *quæst.* 4. ex Sanchez *lib. 7. cap.* 1. *num.* 71. et præter Doctores ibi citatos, tenet Molfesius *tit. de renunciat. qu.* 2. *n.* 10. *& sequ.* vbi probat, renunciationem debere intelligi iuxta habilitatem Iuris consuetudinarij, et iuxta subiectam materiam, citatque Surdum *decis.* 212. *nu.* 1. *decis.* 288. *n.* 43. et alios apud ipsum. Sed iam supra d. qu. ostendimus, quod iuxta promissionem factam a Caio in ingressu Societatis, et iuxta Constitutiones ipsius debebat renũciare omne ius succedendi penitus, et omnino ex quacumque causa: ergo.

23 Nec obstat secundum quod renunciatio sit odiosa, et debet restringi, nam in nostro casu ista renunciatio est facta ad hoc vt Caius sit verè, et perfectè pauper, & sic est maximè fauoribilis, & extendenda ad renũciationem perfectissimam omnium iurium. Immo sicuti dicimus, Caium renunciasse omnino omni futuræ successioni ipsi Titio, itaut Titius succederet in aliquo casu fortuito, non Caius renuncians, ex eo quia renunciatio facta à Caio fuit realis, quæ tollit de medio renũciantem, & facit illum haberi pro mortuo, vt loquitur Molfesius *d. q.* 2. *n.* 14. ob eãdem rationem dicendum est, Caium renũciasse etiam ius succedendi ipsi Titio.

24 Neque tandem potest dici, quod Titius fuerit incapax iuris succedendi, nam Caius non relinquit, vt diximus, ius succedendi Titio, quasi vero Titius succedat sibi ipsi; sed quia hoc ius, quod ipse habebat aliquo modo succedendi illi remisit ad hoc, vt penitus omni iure successionis se spoliaret.

25 Idque posse fieri plane ostenostenditur ex doctrina Molfesij tit. de renunciatione qu. 2. num. 35. vbi ponit casum de filia renũciante in beneficium patris in amplissima forma, & ait, quod si pater transeat ad secundas nuptias, tunc filia non obstãnte renũciatione, succedit in bonis, quæ pater habebat ex primo matrimonio, quia bona illa ex noua caussa pertinent ad filiam, nempe in pęnam secundi matrimonij.

Ex qua doctrina apparet Patrem fuisse capacem renunciationis sibi factæ à filia bonorum ipsius patris; nam in tantum filia non excluditur, in quantum pater transiuit ad secundas nuptias, & hic casus non censetur comprehensus: ergo similiter Caius, cum renunciat ius succedẽdi fratri, non renunciat aliquid, cuius frater est incapax, nam ita se habet Pater in ordine ad successionem in suis bonis, sicuti frater in ordine ad successionem in suis proprijs bonis: sed Pater est capax renunciationis iuris succedendi in suis bonis; ergo frater est capax renunciationis factæ ab alio iuris succedẽdi in suis bonis.

26 Confirmatur, quia renunciãs Iuri succedẽdi Patri non solum facit beneficium alijs venientibus ab intestato, sed principaliter ipsi Patri, vt docet Menochius *d. cons.* 335. *nu.* 42. citans Alexandrum *cons.* 29. *nu.* 5. *l.* 3. Soncin. *in cons.* 34. *n.* 5. *v. secundo respondetur l.* 5. Paris. *cons.* 26.

nu.

nu.27. l.3. Capic. *decis.* 190. *ibi.* [Qui (nempe citati DD.) quidē scripserunt, hanc renunciationē (nempe factam de hæreditate Patris ipsi Patri) factam esse ad augendam hæreditatem patris ad beneficium, & commodum quorumcumque succedentium ab intestato ipsi Patri] Immo ex hoc ipso, quod filia renũciat Patri hæreditatem intelligitur renunciare ius succedendi in bonis paternis ipsi Patri, & alijs; itaut Pater tam pro se stipuletur, quam pro hæredibus ex *l. si pactum ff. de probat.* Decio *in cons.* 213. *num.* 7. Tiraquell. *in tr. de retract. conuē.* §. 1. *Gloss.* 6. *n.* 2. & 3. ergo similiter Caius, cum facit renunciationem omnium Iurium, &c. renũciat etiam ipsum Ius succedendi ipsi Titio: & is stipulatur tam pro se, quam pro suis.

27 Nec dici potest, quod frater propter renunciationem Iuris succedendi factam à fratre nullũ emolumentum habet, cum possit de suis bonis disponere ad libitum: nego enim hoc, nam habet maximum emolumentum, nempe ita disponendi in quascũque personas, vt non possit frater præteritus agere de in officioso testamento, quod si non fecisset renunciationem fratri, agere posset in aliquo casu *l. fratris Cod. de inofficioso testamento.* Quare dicendum est, Caium renunciasse ius succedendi Titio in suis bonis, & per consequens hoc Ius venire Societati, cui renunciauit omnia, quæ donauerat Titio fratri sub conditione: si hic sine liberis decederet.

§. IV.

Proponitur quartum argumentum ab auctoritate desumptum.

SVMMARIVM.

Renunciatio est interpretanda in fauorem renunciantis, & contra eum, qui se fundat in verbis renunciationis n. 28.

Religiosus censetur velle suam religionem ditare ibid.

Renunciatio facta ad fauorem fratris, præsumitur facta in beneficium masculorum de familia, vbi an sit conditionalis. n. 29.

Renuncians omnia iura, &c. fratri, non excluditur à successione ob mortem fratris renunciatarij sine filijs n. 30.

Ipso renunciante incapaci ad succedendum mortuo fratre renunciatario, succedit substitutus. n. 31.

28 EX rationibus allatis apertè conuincitur nostra resolutio; at eam firmare nunc debemus Doctorũ auctoritate, & eorum, quos aliquis fortasse putabit stare pro contraria opinione. (si in hoc casu contraria opinio esse poterit.) Et peimo adducā doctrinam Surdi *cons.* 446. *n.* 23. vbi cum Gratiano *cons.* 17. *nu.* 4. *vol.* 1. Bursat. *in cons.* 347. *n.* 44. qui citat Card. Decium, & Curt. Iun. Becan. *cons.* 111. *n.* 31. Hõdad. *cons.* 29. *nu.* 93. Cœph. *cons.* 25. *n.* 38. Corbul. *de caus. priuat. ob non solutum canon. limit.* 4. *n.* 8. Molfesius *tr. de renunciat. qu.* 1. *n.* 38. qui omnes docent, renunciationem semper interpretandam esse, vt minus noceat renũcianti, & contra eum, qui se fũdat in verbis renunciationis.

At si Caius non censeretur renunciasse Titio ius succedendi in bonis ipsius, vel si non renunciasset Societati, nocumētum magnum haberet, nam vnum ex his absurdis deberemus dicere,

vel quod ipse Caius hoc ius sibi retinere voluerit contra suas cõstitutiones, & promissionem factam Societati de renunciando omnẽ spem futuræ successionis, & contra paupertatem, quam professi Societatis profitentur, & reputantur, vt supra dixi, velut mortui, vel dicendum est, quod hoc Ius voluerit relinquere extraneis venientibus ab intestato, & Societati, cui renunciauit in casu mortis fratris sine filijs proprium patrimonium, & omnia Iura, & spes etiam de futuro, & remotas, noluerit renunciare Ius tam bene fundatum, & ex caussa de præsenti, nempe in fraternitate, vt *qu.* 5. *n.* 1. probauimus ex Rouito: Cum supra luce clarius viderimus, Caiũ solũ fratrẽ *Titiũ*, eiusq; descendẽtes præposuisse Societati, nam ipsis eam substituit, hoc est illi fecit secundam renũciationẽ sub cõditione, præsertim cũ Religiosus cẽseatur velle quam maxime suam religionem in communi ditare; & loco filij eam diligat, vt suse alijs adductis ego ipse probaui, to. 4. tr. 2. qu. 99. quod sane argumentum à verisimili in materia renũciationis admittit Rota Rom. *de Pinis.* 10. *febr.* 1620. *ver. & est satis verisimile coram sacrato, &* coram Caual. *dec.* 340. *num.* 5. Surd. *cons.* 431. *n.* 15.

29 Secundo affero doctrinam, quam teste Rota Romana Renunciationis 7. *Iunij* 1634. tenet multis allatis Fran. Aponte *cons.* 39. *nu.* 1. & 3. Iacob. Cancer. Variar. Resol. *c.* 15. *de renunciat. n.* 17. 24. & *sequ.* Io. Maria Nouarius *qq. foren.* 67. *p.* 1. *fol.* 101. Paris. *cons.* 3. *n.* 27. *l.* 2. Salic. *in l. pactum quod dotalis n.* 5. *ver. aut. paciscitur filia. Cod. de pactis.* & alij apud ipsos, nimirũ [renunciationem factam ad fauorem fratris semper præsumi in beneficium descendentium masculorum de familia, vt bona in eis conseruentur, vel vt frater libere de bonis renunciantis disponere possit, tacitamque de iure habeat in se conditionem, dummodo aliquis masculus, vel descendens fratri superuiuat, vel ipse de bonis renunciantis aliquo modo disponat (prout euenit in præsenti casu) renunciatio non nocet, perinde ac si facta non fuisset, vt in terminis renunciationis factæ à Moniali ad fauorem fratris tenet Ioannes Franc. Aponte, &c.] sic in D. Rota Romana in casu in quo Vincẽtia professionem emissura renunciauit Scipioni, & Petro fratribus; aitque, Vincẽtiam non excludi à successione hæreditatis Scipionis ob renunciationem factam omnium Iurium, &c. quia præsumitur facta intuitu filiorum descendentium, & vt Scipio, & Petrus possent disponere libere de bonis donatis (vbi obiter vide, numerari inter bona à Doctoribus ius succedẽdi in bonis fratris, de hoc enim est quæstio) Ergo cum Caius expresse renunciauerit Titio fratri omnia Iura, &c. solum in casu, in quo ipse haberet liberos, & si sine liberis decesserit, voluit vt omnia ad Societatem deuenirent, sequitur aperte iuxta dictos DD. ob factam renunciationẽ non excludi Caium à successione hæreditatis Titij mortui ab intestato, sed admittit, & cum non possit in propria persona succedere, vt fuit Vincentia Monialis, succedet Societas, sicuti successit ibi Monasterium: non quia Societas habet Ius succedendi ex vi professionis Religiosi; sed quia habet Ius fundatum virtute renunciationis sibi factæ sub conditione si frater Caij moreretur ab intesta-

to,

to, vt latissime qu. præcedentibus probauimus. Quam sane resolutionem docent merito citati DD. esse æquam, veram, communem, & iudicatam, & ab ea non esse recedendum in iudicando, & consulendo, sicuti appellant in casu illo omnino Simili de renunciatione facta à Vincentia in personam fratrum, qui postea, ipsa professa, ab intestato mortui sunt.

30 Tertio Hæc est aperta decisio D. Rotæ Ronanæ (habetur apud Tamburinum de iure Abbatissar. Dec. 6.) vbi in casu omnino, vt dixi eodem, ac in terminis nostris, cũ controuerteretur; an ob renunciationem factã à Vincentia professionem emissura (dictu; à Caio professionem emissuro) fratribus omnium Iurium, &c. ex quauis caussa, &c. excluderetur Vincẽtia à successione in bonis ipsius fratris morientis ab intestato, negauit Rota excludi, ex eo quia sub illa amplissima forma Verborum non censetur comprehẽsum Ius succedendi in bonis ipsorum fratrum renunciatariorum, casu quo morerentur sine libris, & proponens n. 26. difficultatem quoad renunciationem, quod renunciatio illa fuit stipulata pro fratribus, & hæredibus, & sic superstitibus alijs hæredibus ab intestato, non redibat ad Vincentiam renunciantem, respondet *nu.* 26 dupliciter in hęc verba [Placuit enim responsio, istam conclusionem procedere, quando recipiens renunciationem decedit testatus, vel instituto certo hærede, qui absque dubio renunciantem excluderet, vt firmant Maran. in suis *disp.* 10. *n.* 14. dictus Aponte cum alijs supra relatis.

Vel (nota quæso) sibi vendicare locum, quando decedit intestatus superexistente tamen persona, cuius contemplatione renunciatio expresse, vel tacite recepta præsumi posset, secus vero quando nulla superest persona, prout in præsenti casu cum Moniales Sorores Vincẽtiæ, nec expresse nec tacite fuerint in renunciatione consideratæ.

31 Ergo cum Titius renunciatarius acceptauerit renũciationem factam à Caio fratre in fauorem suorum descendentium tantum, & post mortem ipsius ab intestato extet Societas, in cuius fauorem expresse fuit renunciatum à Caio in casu mortis ipsius Titij sine liberis, & sub hac conditione & non aliter fuit facta renunciatio, & à Titio acceptata, sequitur manifeste, quod à successione hæreditatis ipsius Titij in iure succedendi, quod competebat Caio si non renunciasset, excluduntur omnes alij excepta Societate, quæ extat, & in cuius fauorem fuit acceptata donatio sub cõditione mortis ipsius Titij decedentis ab intestato. Quam resolutionem dicitur in ipsa decisione Rot. esse Paris. *cons.* 26. *n.* 26. *l.* 3. Rotæ *p.* 1. *recent. decis.* 587. *sub nu.* 8. Franc. Aponte *cons.* 39. *n.* 1. & 3. Marant. *disp.* 10. *n.* 14. Crauet. *cons.* 42. *num.* 1. & 2. Gabriel. *cons.* 135. *n.* 4. & 34. *l.* 2.

§. V.

Proponitur Quintum Argumentum & Rotæ Decisio in contrarium adducta explicatur.

SVMMARIVM.

Siue dicatur renunciatum fuisse ius succedendi ipsi Titio Renunciatario, siue non, Societas succedet vt repræsentans Caium renunciantẽ, ob renunciationẽ sibi factã n. 32.

Osten-

Ostenduntur soluta dubia in contrarium adducta n. 33.
Rotæ decisio pro nobis aperte stat n. 34.
Actus frustratorius nō est præsumēdus in operante ibid.
Inuerisimilitudines in casu à Rota positæ, non esse in nostro ponderatur n. 35.

32 EX his dictis huc vsque, vt omnia breuiter complectamur sic formo argumentum ad probandum Societatem Iesu succedere in bonis Titij, in quibus succederet Caius, si non esset professus, virtute renunciationis factæ à Caio ante professionem ipsi Societati, Caius renuncians omnia sua bona Iura actiones, & spes succedendi Titio, vel renunciauit illi ius etiam succedendi ipsi Titio, vel non. Si primum, cum renunciauerit Societati omnia, quæ Titio, & suis descendentibus renunciauit, vt volunt aduersarij (nā nos in primo argumēto vidimus plus Societati renunciasse & esse diuersam donationem, & pleniorē prima, quam fecit Titio) sequitur quod eueniente conditione, nempe mortuo Titio sine filijs, Societas succedat in bonis ipsius Titij.

Si dicas secundum, sequitur quod Caius non intelligatur exclusus ex vi renunciationis à Iure succedendi in bonis Titij fratris mortui ab intestato, sed solum quia per professionem in societate reputatur mortuus. At hoc non obstat, nam Societas repræsentat ipsum Caium virtute donationis, seu substitutionis sub conditione factæ ante professionem, vt ex Menoch. *cons.* 325. *num.* 8. Castrense *cons.* 385. *vol.* 1. *col.* 1. *&* alijs probauimus in 1. argumento. sicuti in alijs Religiosis professis, & per professionem iam mortuis, succedit monasterium ex vi professionis, Probauimus enim qu. 5. quod eumdem parit effectum quoad successionem donatio, seu renunciatio facta ante professionem in Societate ad hoc vt ipsa sit capax succedendi in bona prouenientia iā professis, quē habent ceteræ Religiones ex vi professionis factæ à suis Religiosis, & *in hac qu. in* 2. 3. *&* 4. *argumento*, probauimus apertissime præsumēdum esse, Caium renunciasse Societati ius succedendi Titio suo fratri morienti ab intestato, nec contrarium esse omnino verisimile.

33 Et per hæc soluta manent quę in contrarium initio quæstionis adduximus, ad rationē.n. tripliciter respōsum est 1. quod Societas non est Titio substituta proprie loquendo, sed succedit ipsi Caio, & per consequens in iure quod habebat Caius succedendi suo fratri morienti ab intestato.

Secundo dato quod Societas esset vere substituta, adhuc succedet in iure succedendi, quia Caius renunciauit fratri omnia iura, & quamuis frater fuisset incapax istius donationis, seu renunciationis Iuris sibi succedendi; poterat tamen in casu nostro acceptare illud, vt substituto deferret; vt latè ostendimus in 2. argumento.

Tertio addidimus, reuera Caium nō renūciasse Titio id, quod suum erat; sed quod erat Caij proprium, nempe ius succedendi, vt sic Titius liberius disponeret, nec daretur querela inofficiosi, si aliquādo Caiū pręteriret, & pręcipue quia iā fuit illa renūciatio facta in fauorē alterius dilecti, nēpe Societatis, cui illud Ius, & nō venientibus ab intestato Caius voluit relinquere, vt ex validissimis rationibus probauimus 3. argumento

Ad Rotæ Decisionẽ assero, eam
34 pro nobis esse in terminis, nam in ea non dicitur, renunciationem Iuris succedẽdi fratri factam ipsi fratri esse nullam, & fratrem esse incapacem talis iuris, nemo enim hoc dicet, passim namque fiunt huiusmodi renunciationes, vt in tertio argumento abunde dictum est, sed dicit, Vincentiam non excludi à iure succedẽdi ipsi fratri per renunciationem omnium Iurium, &c. factam ante professionem, nec renunciationem illam includere hęreditatem Scipionis, ad cuius fauorẽ fuit renũciatũ. Idque tribus rõnibus. [Tũ ex qualitate materiæ, de qua agitur (nempe renunciationis, quę stricte est interpretanda, vtpote odiosa renuncianti, vt n.8. dicit) tum ex virtute verborum, tum ex præsumpta mente contrahẽtium (quæ ponderatur num.9.) tum denique ex inuerisimilitudine, & ineptitudine stipulationis] quæ ineptitudo, et inuerisimilitudo probatur n. 16. his verbis. [Quia nulla vtilitas resultabat Scipioni, vt Virginea (olim ante professionem Vincẽtia) eius hæreditati renunciasset, cum ad libitum de ea disponere poterat; vnde non est præsumendum quod comprehendẽdo hanc hæreditatem, actum frustratorium facere voluisset, vt in his terminis firmat Moder. Ciriac. *cont. for. contr.* 292. Decius *cõs.* 95. *n.* 5. Surd. *cons.* 431. *n.* 29. Vltra quod non poterat dari casus, quod Virginea habitura esset ius in hæreditate Scipionis, nisi eo mortuo, quo casu renunciatio dicti Iuris vti collata post mortẽ Scipionis, et sic ad tẽpus, quo esset incapax dictæ Renũciationis inanis redderetur, vt alias firmauit Rota in D. Romana de Pinis.] Hæc in D. Rota: vbi, vt dicebã, vides, nõ dici non posse ius succedẽdi alteri, illi ipsi renũciari; sed tantum non posse in hoc casu posito à Rota præsumi, & sub his terminis, nempe quod renũciatio non est præsumenda, vbi non est aliquis finis, seu ratio, vt loquuntur Decius, & Surdus citati, & certe satis prudenter conuincitur, Virgineam numquam intendisse renunciare Iuri succedendi ipsi fratri Scipioni, quia non erat renunciatio realis facta primo, & per se, vt omnibus se spoliaret; sed erat tantum facta ob amorem fratrum, & agnationis, vt eadem Rota in facto supponit, & sic potius erat præsumẽdum quod Virginea voluerit renunciare in casu, in quo fratres frui possent suis bonis, et alij de agnatione, et in casu quo eueniret casus mortis fratrum, potius ipsa succedere, quam venientes ab intestato, cum renunciatio interpretãda sit, vt quam minus noceat renuncianti, vt diximus.

At in casu nostro longe aliud dicendum est, et ex suprapositis coniecturis aliter est præsumendum. Quia Renunciatio facta à Caio fuit realis facta primo, et per se, vt omnibus bonis, et iuribus se spoliaret iuxta Societatis præscriptum, et hac occasione potius voluit Caius renuncians, vt Titius frater, et eius filij haberẽt bona, quam alij, at potius voluit, vt in casu mortis fratris sine liberis Societas remaneret loco familiæ, quam extranei, vt fusius supra dictum est.

35 Nec inuerisimilitudines, quæ militabant in casu posito à Rota, in nostro militant, sed oppositæ. non prima, nam esto Titio non resultasset vtilitas ex Renunciatione sibi facta Iuris succedendi in suis bonis à Caio, cuius contrarium probauimus supra in

ter-

tertio argumento; tamen sequebatur Societati, quam Caius volebat vt succederet in suis bonis, & loco fratris Titij, & si non renunciasset hoc Ius Titio, Societas non potuisset succedere in hæreditate Titij, vt prætendunt ipsi aduersarij, ergo ex hoc capite præsumendum est, Caium renunciasse Titio etiam Ius succedendi in suis bonis.

Non militat secunda: nam Renunciatio facta à Caio Iuris succedendi in bonis ipsius Titij non fuit facta, vt in ipso extingueretur, vt supponit Rota in casu Renunciationis factæ à Virginea, in quo non fuit substitutio, & sic certe frustranea fuisset, sed fuit facta taliter, vt firma semper remaneret, & bona numquam venirent hæredibus ab intestato; sed nominatis à Caio, vnde substituit Societatem, quæ perpetua est.

Quare concludimus, Rotam non dicere absolute, quod in renunciatione omnium Iurium, &c. non veniat Ius succedendi in hæreditate ipsius Renunciatarij, nam contrarium supponit n. 8. fine. his verbis [quapropter cũ in toto contextu renunciationis nulla fuerit facta expressa mentio hæreditatis Scipionis, sequitur illam non fuisse in renunciatione comprehensã] ergo fuisset comprehensa si mentio de ea facta fuisset, ergo Rota solum dicit in hac Renunciatione, de qua agebatur, non venire, idque ob dictas præsumptiones sane bene fundatas in casu illo posito à Rota: at in nostro contrarium est præsumendum, etiam si non essent alia argumenta, & tandem Rota etiam in illo casu posito dicit n. 27. Renunciantem excludi à successione hæreditatis illius, cui fuit renunciatum quando extat persona in cuius fauorem expresse, vel tacite renunciatio facta, & recepta præsumi posset, & per consequens vult, renunciationem in illo casu intelligi, etiã quo ad hæreditatem ipsius Renunciatarij decedentis ab intestato, vt de se patet, & sic aperte sentit, alios hæredes ab intestato venientes excludi à successione hæreditatis, seu portionis competentis Caio ob mortem Titij morientis ab intestato, & in eam succedere Societatem, quæ extat post mortem Titij, cui fuit renunciatio facta, & acceptata, etiam in fauorem Societatis, vt potest, & debet præsumi, quando aliud ex alijs rationibus, & verbis Caij nõ appareret, vt de facto apparet, & ex dictis est manifestũ, quod erat probandum, vt propositæ Questioni satisfieret.

QVAERES VIII.

An Caius renuncians Titio fratri omnes successiones, &c. censeatur renunciare ius succedendi ipsi fratri, siue ex testamento, siue ab intestato translatiue, ita vt etiam ipsum Ius transferatur in ipsum Titium, & successiue in alios vocatos. An solum sit censendus renunciasse abdicatiue, seu extinctiue, nempe extinguendo in persona ipsius renunciantis hoc ius?

SVMMARIVM

Explicatur ratio dubitandi in contrarium. n. 1.

Hæreditas viuentis repudiari non potest n. 2.

Renunciatio quando sit translatiua quando mere abdicatiua. n. 3.

Renunciatio facta illi, de cuius successione agitur si fiat verbis significantibus de futuro &c. est trãslatiua n. 4.

Afferuntur Doctores pro nostra opinione n. 5. & seqq.
Renuncians, si superuiuat ei, cuius hæreditatem renunciauit, quando excludatur à successione n. 8.
Filia renuncians patri intuitu religionis, an excludatur ab hæreditate patris morientis ab intestato, aut monasterium, in quo ipsa est professa n. 9.
Renunciatio hæreditatis deferendæ est transmissiua, quando non stat sub meris terminis renunciationis n. 10.
Assensus renunciatarij requiritur in renunciatione facta illi, de cuius hæreditate agitur n. 11.
Institutũ Societatis Iesu debet in foro externo, & in iudicijs seruari n. 13.
Renuntiatio facta à professuro in Societate, est translatiua non mere abdicatiua n. 13.

1 HAEc est vltima difficultas, quam putant potissimam, quæq; videtur excludere Societatem renunciatariã in casu mortis Titij sine descẽdentibus: nam dicunt aduersarij, Societas Iesu succedet in omnibus, quæ donauit Caius Titio, at hoc Ius succedendi in bonis ipsius Titij morientis sine filijs, numquam fuit à Caio donatum Titio; sed tantum quia cum voluerit facere professionem, & per consequens realem renũciationem omnium Iurium, ac omnimodæ spei cuiuscumque successionis, illam circa fraternam hæreditatem à se extinctiue abdicauit, hæc est quæstio, & difficultas circa illam, quæ licet ex dictis Quæstionibus præcedentibus facile dirimi posset, placuit tamen ad maius commodum de ea separatim hic agere.

2 Respondeo igitur affirmatiue, dictamque Renunciationem fuisse translatiuam, & non mere abdicatiuam, & extinctiuam, quia hæreditas viuẽtis repudiari non potest *l. qui superstitis ff. de acquir. hæred. l qui potest. §. quod quis ff de reg. iuris.* ergo cum Caius ex vi professionis emittendæ debebat omnino etiã Titij Viuẽtis fratris hæreditatẽ renũciare; dicendum necessario est illam renunciationem fuisse donationem, & translationem.

3 Secundo quia, vt loquitur Fabius de Anna cons. 45. n.46. quãdo renuncians voluit acquirere illi, cui renunciat, & suis hæredibus, pro quibus fuit facta stipulatio, necesse est quod sit trãslatio, ex quo si esset repudiatio, vel extinctio, non acquiretur sibi, et suis hæreditatibus, et ita considerat Soccin. Cons. 34. *col.* 1. *vol.* 4. et licet loquatur de hæreditate delata, tamen eadem ratio militat in deferenda, facto casu successionis] sic Fabius de Anna. Sed in casu nostro Caius renuncians voluit acquirere fratri, cui renunciauit, et suis descendentibus, et in defectu eorum Societati, et fecit renunciationem omnium prorsus iurium, et successionum, etiam hæreditatis illius, cui renunciauit, vt debet esse certum ex fine, quo renunciauit, et supra probauimus: ergo talis renunciatio fuit translatiua, et per consequens transtulit ius succedendi Titio ipsi, cui renunciauit, et sic eo mortuo sine filijs, defertur ad Societatem.

Prima pars quod Caius renũcians omnia sua bona præsentia, et futura, etiam renunciauit hæreditatem fratris, seu ius quodcumq; succedendi in quibuscumque bonis siue paternis, siue maternis, siue etiam fratris, satis meo iudicio probata manet in præ-

præcedentibus Quæſt. in quibus vidimus Caium voluiſſe penitus ſe ſpoliare omni ſpe ſuccedendi, vt ſic eſſet perfectus pauper, & præter rationes validiſſimas, & Doctores ibi citatos docet expreſſe Horatius Giouagnoinius *lib.* 1. *Reſp.* 85. *nu.* 7.

4 Secunda pars quod talis renunciatio ſit tranſlatiua, & non mere abdicatiua. Probatur, Quia quoties fit renunciatio cum verbis, quæ futurum reſpiciunt, & cauſſam de futuro, etiam ſi fiat illi, de cuius ſucceſſione agitur, non eſt mere abdicatiua, ſed tranſlatiua, ſic in terminis Fabius de Anna *Conſ.* 45. *nu.* 31. 32. *&* 33. vbi citat Bartol. *in l.* 1. *Co. de pactis*: quem dicit ab omnibus ſequi, cuius verba mox referam. Sed Caius cum renunciauit omnia ſua bona præſentia, & futura, &c. Titio fratri, & ab eo acceptatur, renunciat verbis, quæ futurum reſpiciunt, & hæc etiam debent comprehendere ſucceſſionem, ſeu ius futuræ ſucceſſionis ipſius Titij: Ergo Caij renunciatio etiam quo ad hæreditatem Titij eſt tranſlatiua.

5 Hanc concluſionem docuit in terminis Fabius de Anna *d. conſ.* 45. *à nu.* 31. vbi loquitur expreſſe de renunciatione facta illi, de cuius ſucceſſione agitur, vt eſt in caſu noſtro, in quo agimus de renunciatione Caij circa bona ipſius Titij, cui fuit facta renunciatio, verba huius Doctoris ſunt [& hoc (nempe quod renunciatio ſit tranſlatiua) in renunciatione hæreditatis viuentis, quo caſu nec ſpe, nec re competit, vt declarat Caſtrenſis *d. l.* 1. *col.* 1. *n.* 5. per pactum iuratum procedat, quando ſcilicet fieret illi, de cuius ſucceſſione agitur, vel licet alteri fieret, agetur de hæreditate incertæ perſonę iuxta textum *in Caquamuis de pactis in* 6. tex. *in l.* 4. §. *de illo ff. pro ſocio.* Caſtrenſ. *in d. l.* 1. *n.* 7. Caguol. n. 78. fine, Cur. iun. *n.* 49. vt alios recentiores omittam, & conſuluit Decius *conſ.* 31. & vltra ipſum optime Iacobus Mandellus *conſ.* 11. *n.* 14. vſque *ad* 18. *l.* 1. Hæc igitur renunciatio, quia per pactum, & cum ampliſſimis verbis fit, operatur tranſlationem, non autem repudiationem, ſiue abdicationem, quamuis de hæreditate deuoluenda fiat] huc vſque Fabius loquens in fortibus terminis, quando eſt merum pactum de non ſuccedendo: ergo multo magis in caſu noſtro, in quo ſunt verba explicantia donationem cuiuſcumque hæreditatis, &c. vt probat idem de Anna *d. conſ.* 45. *nu.* 40.

6 Hanc etiam concluſionem tenet Molfeſius *tit. de renunc. qu.* 6. *n.* 31. vbi citat multos, inter alios Annam *d. conſ.* 45. *à nu.* 28. vſque *ad* 31. vbi docet noſtram concluſionem, & ſic eamdem tenet Molfeſius.

7 Idem docet Rota Rom *Renunciationis 7. Iun.* 1634. apud Tamburin. de Iure Abbatis 6. in ordine, vbi *nu.* 27. loquens de renunciatione hæreditatis illius, cui fuit facta renunciatio, vt eſt in caſu noſtro, dicit, renunciationem talis iuris transire ad eum [cuius contemplatione renunciatio expreſſe, vel tacite recepta præſumi poſſet] ſupponit ergo euidenter Rota, Renunciationem hæreditatis ipſius renunciatarij eſſe tranſlatiuam, & trãſire ad eos, qui expreſſe, vel tacite præſumuntur vocati, at quis negabit in renunciatione facta à Caio etiam hæreditatis fraternę ipſi Caio eſſe Societatem expreſſe ſubſtitutam, vel ſaltem poſſe pręſumi per ea, quæ Qu. preced. dixi.

Hanc

8 Hanc etiam docet Guttierrez *in Ca quamuis pactum in 6. pag.* 424. *col.* 2. *n.* 4. & 5. vbi dicit, quod [renuncians si superuiuat ei, cuius hæreditati renunciauit, excluditur si superuiuat, quando essent alij descendentes, qui succedant ei, cuius hęreditati renunciatum est cum iuramento, quorum fauore emissa præsumitur renunciatio, &c.] vbi vides quod Guttierrez supponit renũciationem hæreditatis illius, cui renunciatur, esse transmissiuam, & non mere abdicatiuam: nam si esset abdicatiua in omni casu excluderetur, & non solo casu, quando superuiuunt descendentes ei, cuius hæreditati renunciatũ est, & cum Guttierrez idem docent Anton. Gomez. Suarez. Roland. à Valle, & alij apud ipsũ.

9 Nostram resolutionem docet expresse Donatus de Marinis dicens esse omnium, is enim *lib.* 2. *cap.* 189. *tractat. de renunciatione facta à filia Patri*, cum probasset virtute huius renunciationis filiam non excludi à successione hæreditatis ipsius patris Renunciatarij morientis ab intestato in tribus casibus, ab ipso positis *n.* 22. ponit casum nostrum, nimirum quando Caius renunciauit intuitu Religionis, & ait. [In quarto autem casu, & sic in renunciatione, quæ fit à Moniali, fateor, omnes conuenire, vt semper illa dicatur realis, ita vt patre ab intestato defuncto, filia, quæ renunciauit, seu Monasterium ex illius persona non modo à descẽdentibus; sed etiam à quocũque collaterali defuncto proximiore penitus excludatur, idque tam attenta mente renunciantis, quæ est, vt Deo seruire possit, & mundum relinquere, quam attenta mente Patris, qui renunciationẽ recepit; cum non sit verisimile, eam renunciasse, vt deficientibus descendentibus succedat Monasterium: sed potius proximiores consanguinei sic sane rescripserũt DD. de Frãchis *Decis.* 375. Roui. *cons.* 43. *n.* 7. & 44. *n.* 7. Mastrill. *Decis.* 65. Caput. *ad Consil. Neapol. si moriatur, par.* 3. §. 8. *n.* 12. & alij relati per Merlinum *contr. forens. cent.* 1. *cap.* 5. *per totum*, vbi docte loquitur] ex quibus verbis vides, renunciationem hæreditatis quoad successionem ab intestato, factam ab ingressuro religionem ipsimet, cui succedendũ erat nõ esse mere extinctiuam iuris; sed translatiuam, nam Doctores non ex hoc probant, filiam excludi; quia fuit dicta donatio extintiua, sed quià fuit facta cum hac mente, & cum hac fuit à Parte acceptata, vt in morte ipsius ab intestato ipsa excluderetur, & succederent alij consanguinei: ergo fuit translatiua, vt de se patet, quia interfuit donatio ex parte renunciantis, & acceptatio ex parte renunciatarij, & fuit facta ipsi renunciatio quoad successionem ab intestato in bonis ipsius renunciatarij, ergo in casu nostro Caius, qui intuitu religiosæ professionis renunciauit fratri omnia iura succedendi, &c. etiam renunciauit ius succedendi ab intestato ipsimet Titio renũciatario, casu quo moreretur sine descendentibus, & cum non solum ex præsumpta mente renunciantis, & renunciatarij renunciationem acceptantis, appareat talem renunciationem fuisse in fauorem descendentium, & ipsis deficientibus, in personam Societatis Iesu; sed etiam expresse, vt quæs. precedenti §. 1. pręsertim probauimus, sequitur manifeste, quod mortuo Titio ab intestato, illud ius succes-

ſucceſſionis in ſua hæreditate in caſu mortis ipſius ab inteſtato transfertur in Societatem; quia Societas Ieſu ſuccedit in omnia iura renunciata à Caio ipſi Titio, & in ipſum translata, vt dant omnes: ſed per renunciationem omnium iurium, &c. factam à profeſſionem emiſſuro venit etiã ius ſuccedendi ab inteſtato ipſi renunciatario, & talis renunciatio eſt tranſmiſſiua ad Titium, vt ex Donato probauimus; ergo Societas Ieſu, mortuo Titio, ſuccedit in ius ſuccedendi ipſi morienti ab inteſtato.

10 Denique hanc concluſionem tenet Horatius Iouagnionius *lib.* 1. *ver.* 91. vbi ait, renunciationem hæreditatis deferendæ eſſe tranſmiſſiuam, quando non ſtat ſub meris terminis renunciationis, vt eſt in caſu noſtro, in quo ſunt verba denotantia donationem cum clauſula conſtituti, &c. quæ ſignificant tranſmiſſionem ſic *num.* 12. 15. & 19. & quàmuis ipſe videatur num. 18. dicere, eſſe mere repudiationem, quando fit illi, de cuius hæreditate agitur: tamen non eſt contra nos: nam non loquitur niſi quãdo fieret renunciatio [vt ille habeat auctoritatem inſtituendi, quem velit] at in caſu noſtro eſt contrarium, nec renunciatio eſt facta in contemplationem deſcendentium tantum, & ſic fuit acceptata: ergo eſt tranſlatiua.

11 Quia, vt bene notat Fabius de Anna, *dic. conſ.* 45. in renunciatione, quæ fit illi ipſi de cuius hæreditate agitur, requiritur aſſenſus renunciatarij, & addit [ſi enim eſſet repudiatio, aſſenſus non eſſet neceſſarius, vt poſt Frecciam ſupra deductum fuit] & nos id probauimus ſupra ex Menoch. & alijs.

12 Cæterũ quamuis omnia prædicta in hac quæſtione deeſſent, probari poteſt efficaciter noſtra aſſertio ex inſtituto Societatis Ieſu, quod, cum fuerit à Sede Apoſtolica confirmatum, debet etiam in foro externo, & in iudicijs ſeruari, vt probat Sanchez *lib.* 7. *c.* 2. *num.* 58. & diximus etiam *quæ.* 1. At tale inſtitutum non ſolum petit, vt fiat renunciatio omnium bonorum præſentium, &c. abdicatiue, ſed etiã translatiue, nam vt aduertit Sãchez *l.* 7. *ſum. cap.* 1. *num.* 31. [in examine cap. 4. §. 11. præſcribitur, vt ingreſſuri Societatem Ieſu debeant ante primũ ingreſsũ tẽporalia, quæ habuerint diſtribuere, & renunciare, & diſponere de his, quę ipſis obuenire poſsẽt in opera pia, & sãcta iuxta propriam deuotionem] ſubiungitur autem in eod. cap. §. 3. (ſubdit Thomas Sanchez.) [vt ſi velint aliqua erogare conſanguineis, non aliter id efficere poſſint, quam interueniẽte iudicio, & arbitrio duorum, qui vita, & doctrina commendentur, & ab ipſis eligantur, & à ſuperiore approbentur] & addit idem Sanchez, prędictam renunciationem fieri debere de hęreditate futura, quam ſperant, & Greg. 13. in *extr. Aſcendente:* agens de eadem renunciatione vtitur illis verbis Chriſti, ſi vis perfectus eſſe vade, & vende, &c. et da pauperibus, quę verba certe translationem ſignificant.

13 Et loquendo expreſſe de renunciatione cuiuslibet hęreditatis futurę, ſeu ſperatę, quod ea fiat translatiue, et non mere abdicatiue ex vi noſtri inſtituti ſic ait Sanchez cap 2. n. 58 circa finem lib. 7. ſum [ſed reſpondetur conſtitutionem à ſede Apoſtolica confirmatam veriſq; proſpexiſſe; nam non tãtum petit, vt religio-

ligiosus abdicet à se spem bonorum, sed vt ea cedant in pauperũ vsum iuxta consiliũ euang.] hæc ille.

Aduerto tamen, hanc quæstionem non procedere, nisi dato, quod in casu nostro esset vera substitutio, quod tamen negauimus §. 1. *quæst. precedentis*.

QVAERES IX.

An legatum relictum Professo Societatis Iesu competat Renunciatario, cui caussa Professionis facta est renunciatio, an legatario?

SVMMARIVM.

Proponitur Casus cum rationibus dubitandi n. 1.

Affirmatiua sententia quod competat legatũ collegio, in quo habitat professus n. 2.

Religiosus *Societatis quando dicitur habitare in Collegio &c. n.* 3.

Renunciatio *facta in amplissima forma, an & quando comprehendat legata futura casu fortuito n.* 4.

Renunciatio *omniũ bonorum, &c. facta in Societate non comprehendit iura, quæ non pugnant cum paupertate Societatis Iesu n.* 5.

Vnde probat Em. Delugo nostram resolutionem n. 6.

Legatum professo relictum competit domui Societatis iuxta capacitatem, quam habet ipsa domus n. 7.

Doctrina Pellezarij procedit ex errore amanuensis n. 8.

An professus, cui legatum annui redditus sit, possit e domo professa, mitti ad collegium, vt redditus annuos retineat ibi.

Professi Societatis, aut coadiutores formati non sunt capaces hæreditatis, ex testamento, vel ab intestato siue in domo professa habitent, siue in Collegijs etiam ex Pellezario n. 9.

1 Titius, ante professionem in Societate Iesu emissam renunciauit omnia sua bona, Iura, actiones, &c. tam præsentia, quam futura Sorori. facta professione, degebat in quodam huius Prouinciæ Collegio; interim moritur eius Matertera; quæ hæredem instituit Caium, & reliquit pro legato magnam domum Titio nepoti. Quæritur: cui ex his competat legatum. Contendebat Caius, legatum esse caducum, quia erat factum Religioso Professo in Societate Iesu, quæ est incapax cuiuslibet successionis, vt putauit Giouagnonius *lib.* 1. *resol.* 85. *à nobis qu.* 1. relatus. Soror vero Titij ad se legatum pertinere dicebat ob renunciationem sibi factam omnium Iurium, & actionum, tam ex caussa de præsenti, quam ex caussa de futuro, per ea quæ à q. 2. diximus, præsertim ex Bologneto vbi ait, posse relinqui spem capiendi mortis caussa etiam respectu extraneorũ ex *l. fin. cod. de Pactis*, vbi ad id citat Curtiũ, Decium, Riminal. & Aquẽsem, vt ibi videri potest, & ex Menochio *l.* 3. *pr.* 115. *n.* 37. cum alijs ibidem relatis, qui docent in generali renunciatione venire etiam Ius superueniens. Vtrique tamen, me consulente, à petitione recesserunt.

2 Dixi enim cum in facti contingentia de hoc per literas consultus essem, legatum competere Collegio; in quo tempore mortis Testatricis Titius reperiebatur tamquam subditus illius Collegij. Probatur, quia Religiosus Societ. Iesu etiam professus est capax legati sibi relicti, illudque acqui-

acquirit Collegio, seu domui, vbi habitat. Sic Sanch. *lib. 7. sum. c. 27. n. 25.* ibi [Non sunt tamen legati incapaces, sed in eisdem casibus, & eodem prorsus modo quo Societas Professa est capax legati, sunt quoque ipsi capaces, vt de Fratribus Minoribus diximus cap. præced. nu. 9. quia tantum interdicitur, eos hæredes institui, quod non excludit posse esse legatarios, quandoquidē Religio Fratrum Minorum, & ipsi nequeunt hæredes institui, at legari ipsis optime potest. Id autem legatum acquiretur Domui Professæ, aut Collegio, vbi Professus ille habitarit, sicut, & alia ipsis donata, aut alio modo acquisita, non obstante paupertatis voto] Hæc Sanchez, & post ipsum Emin. Delugo *de Iust. disp. 3. n.* 100. Pellizar. *man. Reg. tr. 4. c. 2. n. 126.* & alij.

3 Dixi, legatum deberi Collegio, vbi Titius reperitur tamquam subditus, vt excluderem illud Collegium, in quo forte aut missionis causa, aut recreationis, aut Valetudinis reperiretur etiā per aliquot menses reuersurus ad Collegiū, vnde profectus est, quia hic non dicitur habitare in eo Collegio, in quo manet vti hospes, vt ex *l. licet in factum. ff. de naut. caup. stabul.* docet. Aretin. Archidiacon. & Io. Andr. *cap. pen. de verb. signific. in 6.* quod ipsum explicat etiam Delugo. *l. cit.* dum ait, legatum competere Collegio, in quo Religiosus professus residet.

4 Non obstat Renunciatio facta sorori in amplissima forma quia esto, quod huiusmodi renunciatio comprehendat etiam legata pro futuro tempore; tamen in nostro casu id dici non potest: nam cum ex intentione donantis, & renunciantis sit explicandū, quid fuerit donatū nec ne, & ex subiecta materia, vt satis super que superioribus quæstionibus probatum est ex Molfesio *tit. de Renunciat. q. 2. à n.* 10 cum Surdo *Decis. 212. n. 1. d. 288. n.* 43. & alijs, & cum renuncians omnia Iura, &c. præsumatur facere talem renunciationem iuxta Constitutiones Societatis, vt esset perfecte pauper iuxta suam Religionem, vt etiam ibidem probauimus, plane sequitur quod cum Societatis paupertas excludat omne Ius succedendi via hæreditatis, siue ex testamento, siue ab Intestato, non autem legatum aut donationem factam, quorum ipsa est capax tam in communi, quam in particulari, idest ex persona sui Religiosi, vt in hac quæstione vidimus. Sequitur inquam quod Titius non censendus sit renunciasse sorori, nisi illa Iura, quæ paupertatem suam, quam erat professurus, impediebant, non vero legatum, aut donationem aliquam futuram, seu Ius ad legata futura, quod nō repugnat cum paupertate Societatis Iesu.

5 Confirmatur quia si renunciatio debet explicari vt minus noceat renūcianti ex Surdo *Cōs.* 446. *n.* 23. Gratian. *cons.* 17. *n.* 4. *vol.* 1. Bursat. *Cons.* 347. *n.* 44. & alijs, quos supra *qu.* 7. §. 4. adduximus; certe negari non potest, renunciationem factam, à Titio sorori, explicandam esse, vt non cōprehendat nisi Iura, quæ sunt incompatibilia paupertati Societatis Iesu, & non ea, quæ non repugnant, & optime stare possunt cum tali paupertate.

6 Post hanc datam resolutionem, gaudeo in lucem prodijsse responsa moralia Emin. Delugo, qui *lib. 4. dub. 5. n. 9.* ex hoc præsertim sustinet legatū dictū com-

petere Collegio Societatis, quia intentio renunciantis omnia iura, &c. ante professionem non extenditur ad legata, quamuis Pellezarius in man. *tr.2.cap.9. n.*59. putet tale legatum post factam renunciationem competere legatario: at nullam affert rationem, & nescio quo pacto possit stare cum doctrina, quam ex ipso subdemus.

7 Aduertit, & bene Delugo *di. dis.3.n.* 100. *de iust.* & Pellezarius *d. tr.*4.*c.*2.*n.* 124. legatum relictũ professo Soc. Iesu, aut coadiutori formato competere domui Societatis iuxta capacitatem ipsius, v. g. si annui redditus legentur Titio, & is reperiatur in Collegio, aut Nouitiatus domo, vel alia, quæ non sit domus professa, vt est Panormi domus tertiæ Probationis sub titulo S. Xauerij: potest collegiũ, seu domus illa retinere illos annuos redditus, quia collegia, & aliæ domus non professæ Societ. sunt annuorum reddituum capacia: si vero reperiatur Titius Societ. Professus, ac legatarius in domo professa, tunc cum ea non sit capax retinendi annuos redditus, illi debent vendi, & summa competit domui professæ, quia domus Professa Societatis est quidem capax, vt possit hæres institui in rebus etiam immobilibus, & stabilibus, &c. licet non possit res immobiles retinere; sed pretium earum venditarum, vt certum est, & probant citati Doctores ex constitut. Soc. & ex *d. Extrauag. Ascendente Domino*,

8 Cauendum tamen est à Pellezario, qui *d. tr.*4.*c.*11.*n.* 124. dicit, posse consulto professum Societatis Iesu, cui hæreditas relicta est, mitti ad Collegiũ e domo professa, vbi erat quando fuit relicta hæreditas intra tempus ad deliberandum de adeunda hæreditate datum, ad hoc vt eo casu Collegiũ nõ sit coactum vendere illam; sed possit retinere redditus, prædia, &c. cauendum inquam est; nam est error manifestus amanuensis, vel Typographi. Ea enim doctrina vera est de legato annui redditus; de quo ipse agebat, nimirum posse mitti e domo professa ad collegium Titium professum, vt adueniente die legati adipiscendi possit Collegium retinere annuos illos census legatos, neque hoc est fieri in fraudem: cum Prouincialis vtatur iure suo mutandi subditum de vno loco in alium: neque legatum, vt supponimus, fuit statim acquisitum Titio dum erat in domo professa, quia aut testator non dum mortuus fuerat, aut legatũ erat sub conditione, tunc enim legatum competet illi domui, in qua reperitur vt subditus modo prædicto Titius tempore mortis testatoris, vel impletæ conditionis ex *l.* 1. §. *seruus ff. ad Sillanum* regula, quæ *legata* 17. *ff. de reg. iur.*

9 Quod autem doctrina tradita à Pellezario sit falsa, & error amanuensis patet; quia is immediate post, nempe in *num.* 126. disertissime ait [quæres 58. An Professi, & coadiutores formati Societ. Iesu sint capaces successionis hæreditariæ siue ex testamento siue ab intestato, sin minus quoad domos professas saltem quoad collegia, & domos probationis. Respõdeo non esse, & patet quia Pontifices, qui cõfirmarunt institutum societatis ijsdem verbis vtuntur, quibus vtitur *Clement. exiit* §. *cum enim de verb. signif.* reddens minoritas incapaces hæreditariæ successionis. Vnde fit, vt sicut institutio

stitutio illorum non valet, neq; quoad æstimationē etiam in foro conscientiæ, (& hoc etiam si illi instituantur, vt vendant hæreditatem) ita, si hæres instituatur aliquis professus, aut coadiutor formatus Societatis irrita sit institutio, cum perinde sit incapax, ac Frater minor ita Sāchez. sup. n. 24. hinc inferens, hæreditatem in tali casu pertinere ad substitutum, aut cohæredem, aut veniens ab intestato, & quidē quod coadiutores formati tam spirituales, quam temporales sint incapaces cuiuscumque hæreditariæ successionis habetur expresse in const. Greg. 13. *Ascendēte Domino, &c.*] non ergo potuit Pellezarius paulo ante n. 124. dicere [Et in tali casu puto, professum consulto mitti posse ad collegium in subditum illius, intra tempus præscriptum iure ad deliberandum de acceptanda hæreditate, ad effectum, vt collegium possit acquirere hæreditatē relictā] sunt enim hæc verba, & veritati contraria, & doctrinæ ab ipso Pellezario, quæ verissima est, traditæ, & sic error fuit Typographi, aut amanuensis illa apponere, vt diximus.

QVAERES X.

An legatum relictum Professo tempore, quo is erat ob hæresis suspicionem captus, & vt hæreticus damnatus acquiratur religioni, an potius fisco.

SVMMARIVM.

Quænam religiones sint capaces succedendi nomine suorum religiosorum n. 1.

Legatum relictum cæteris religiosis competit Monasterio, in quo legatarius emisit professionem ibi.

Hæreticus est incapax cuiuscumque successionis, & legati ibi.

Religiosus mortuus naturaliter nil prorsus suo monasterio acquirit n. 2.

Hæreticus pro mortuo habetur, quāuis sit occultus n. ibi.

Legatum relictum hæretico habetur pro non scripto. n. 3.

Videtur quod Societas non possit succedere in legato suo religioso hæretico relicto, quamuis aliæ religiones succederent n. 4.

Probatur vera resolutio, legatum relictū religioso hæretico competere religioni n. 5.

Professus quomodo dicitur capax, aut incapax successionis, &c. n. 6. & 8.

Delictum religiosi nō nocet Monasterio n. 7.

An noceat Tertio renūciatario ibid.

Hæreditas delata religioso an ipsi immediate, an potius monasterio acquiratur remissiue n. 9. quid in legatis ibi.

Mors ciuilis non operatur omnes effectus, ac mors naturalis n. 10.

Bona, quæ de licentia possidet religiosus non confiscantur n. 11

Monachus excomunicatus cui acquirat hæreditatem, &c. sibi datan. 12.

Apostatæ cui aquirant n. 13. remissiue.

1 CAsus habet locum tam in religionibus capacibus succedendi nomine suorum religiosorum, vt sunt omnes religiones exceptis fratribus minoribus ex *Clem. exiuī §. cum enim de ver. signif.* & Societate Iesu *ex 6. par. const. cap. 2. §. 12.* & ex Extrauag. Greg. 13. *Ascēdente Domino:* nam, vt vidimus, quæs. præc. sunt legatorum capaces, ita vt legatum relictum fratri Minori, aut Professo, seu coadiutori formato Soc.

acquiratur religioni iuxta modum dictum, quæ. præc. in alijs vero religionibus acquiritur ipsi monasterio, in quo religiosus emisit professionem vt tradit Tãbur. *de Iure Abbat. dis.* 11. *q.* 4. *n.* 6. tum propositus casus locum habet, pone enim, quod Deus auertat, religiosum illum, cui legatũ relinquitur esse hæreticum, quo casu secundum communem fere opinionem, is est incapax cuiuscumque successionis, & legati, vt docet Castrop. *tr.* 4. *dis.* 5. *pun.* 26. *n.* 4. & late probans Menoch. *cons.* 185. *a n.* 10. Faber *in §. legari inst. de lega.* Rojas *sing.* 37. & nouissime multis adductis Ricciullus *de iur. person extra grem. eccl. exist. lib* 5. *cap.* 27. tunc oritur nostra quæstio.

2 Pro parte fisci, quod nimirum tale legatum illi competat, & nõ religioni, cuius est Professus legatarius hæ vrgent rationes. Primo quia si religiosus esset Mortuus vtique nec legatum, nec quidquam illi relictum acquireretur monasterio siue capaci, siue incapaci, vt docet Sanchez tanquam certum in sum. *lib.* 7. *cap.* 17. *n.* 7. sed hæreticus etiam si sit occultus ex quo est legati incapax habetur pro mortuo *l.* 1. *§. sed si Patronus ff. de coniug. cum emancipata* ibi (*pro mortuo habetur*) ergo si religiosus est hæreticus legatum illi relictum non acquiritur Monasterio.

3 Secundo inter religiosum capacem acquirendi legatum, & inter incapacem, vt supponimus esse religiosum hæreticum, debet dari differentia, vt patet ex terminis, sed hæc non potest esse alia nisi quod religiosus capax legati illud acquirat Monasterio, & non sibi, incapax vero nec sibi nec Monasterio, nam legatum relictũ hæretico habetur pro non scripto ex Tello *l.* 4. *Tauri num.* 49. ergo. Et hæ rationes militant contra religiosos cuiuscumq; ordinis.

4 At, contra religiosos ordinis succedendi incapacis fortius vrget hæc consideratio, v. g. Societas Iesu est incapax succedendi nomine suorum religiosorũ, seu ex vi professionis in ea emissæ, vt explicauit Greg. 13. in D. toties *bulla Ascendente Domino*: ergo quamius aliæ religiones succederent in legato relicto Monacho incapaci ob hæresim, quia succedunt ex vi professionis in eis emissæ, non potest Societas Iesu succedere in legato relictò professo aliàs incapaci, quia non potest dici, quod succederet nomine sui professi, vt faciunt aliæ religiones capaces succedendi.

5 Confirmatur quia Societas Iesu est capax tam legatorum, quam hæreditatis, vt cum Sanchez *lib.* 7. *cap.* 27. *num.* 24. docent omnes, & tamen si Professo relinquatur hæreditas, Societas Iesu non succederet, & hoc ex eo, quia professus est incapax hæreditatis, si vero relinquatur legatum Professo, succedit Societas ex eo, quia is, est capax legati, & sic quidquid acquirit suus religiosus professus, ipsa acquirit, vt bene Delugo *lib.* 4. *resp. mor. dub.* 5. ergo quod Societas succedat, vel non sui religiosi professi nomine, pendet ex capacitate, vel incapacitate religiosi, posito igitur quod Professus ob hæresim sit legati incapax, Societas Iesu non succedet in legato illi relicto.

6 His tamen nõ obstantibus, puto, tala legatum competere religioni, & non fisco. Fundamentum est quia religio quæcumque non succedit in legatis suo professo relictis ex capacitate, quam ha-

habet religiosus, sed ex capacitate, quam ipsa habet, & ex vi iuris acquisiti in ipsum religiosũ ob professionem in ea emissam: vnde cum dicitur religiosus capax legati, idem est ac dicere: religio succedit secundum suas constitutiones in legatis ex vi professionis sui religiosi: cum autẽ dicitur professus incapax hæreditatis, idem est ac, religio est incapax acquirendi hęreditatem nomine sui professi: nam religiosus semper est incapax quidquam sibi acquirendi, ergo legatum religioso hæretico relictum, quamuis ob hæresim incapaci, acquiritur religioni.

7 Consequentia patet, quia delictum Monachi non posset tollere ius acquisitum monasterio, & sicuti si ante delictum dedisset sua bona alicui tertio, illa, post delictum non competerent fisco, quia ille tertius ius acquisiuit in illis bonis, vt est apertum, & videri potest Simancas de cathol. inst. tit. 9. n. 56. ita, cum ex vi professionis in ea emissę religio acquisierit ius succedendi in omnia bona sui professi ex §. *si qua mulier auth. de sanctis. Episcopis, &* §. *si illud quoq; auth. de monachis, c. quia ingredientibus* 19. *q*. 3. & alibi, hoc ius per hęresim religiosi nõ potest monasterio tolli, sicut neq; tollitur quin ille reuera sit talis religionis professus, & si peccabit contra 6. præceptum erit sacrilegus.

8 Antecedens est doctrina Lessij *l*. 2. *c*. 41. *num*. 87. *de iust*. Delugo *d. l*. 4. *dub*. 5. *n*. 3. *in respon. moral*. Molinæ *tom* 1. *de. iust. dis*. 140. *col*. 8. ibi [quare cum dicimus, monasterium acquirere quidquid acquirit monachus nõ est ita accipiendum; quasi professus quidquam sibi acquirat, & id postea ad monasterium transferat, est enim professus incapax quidquã sibi acquirendi, sed vt ratione, & nomine illius professi omnia ea monasterium immediate acquirat] ita Molina, & alij passim.

9 Et quamuis in hæreditate delata Monacho post emissam professionem in religione capaci sit in opinione Doctorum, vtrum hæreditas immediate acquiratur religioni, an prius religioso, & eo mediate ad religionem spectet, de quo videri possunt Doctores, quos ad satietatem affert Sanchez, *lib*. 7. *sum. c*. 12. *n*. 35. *&* 36. tamen in legatis omnes cõuenient, quod ea, si religioso professo relinquãtur, immediate acquiruntur religiosi sine facto religioni, etiam eo nolente, & repudiante, ita Parisius cap. in pręsentia n. 106. de prob. Guillel. Bened. *ca. Raynutius ver. si absque liberis* 2. *num*. 86. *fin. de testam*.

10 Nec, mors ciuilis, qualis est hæc incapacitas succedendi debet in omnibus æquiparari morti naturali, ac producere omnes effectus illius ex Ang. *l*. 1. *n*. 4. *ff. de testam*. Felin. *cap. in præsen. n*. 56. *de prob*. Ripa *l. ex pacto ff ad Trebell*. Caldas *de nomin. emphyth. q*. 6. *num*. 19. & alias supra innuimus. Et per hæc soluta manent, quæ incontrarium adduximus.

11 Tantum nota, hanc sententiã à fortiori, & absque vlla controuersia procedere de rebus, quas religiosus possidet, etiam de licentia sui Prælati, etiam si essent redditus aliquot ad proprios vsus, hæc enim propter hæresim non confiscantur, quia dominiũ est apud religionem, vt bene notauit Pellezarius *trat*. 9. *cap*. 4. *n*. 210. *ver. extant*. qui etiam putat, legatum deberi monasterio, nullam tamen affert rationem.

12 Et quæ dicta sunt de religioso here-

hæretico, eadem à fortiori dicas de monacho excommunicato, & publice denunciato, quæ enim ipsi tunc relinquuntur religioni acquiruntur, etiã si teneas, quod hæreditas vel legatum deferatur monasterio ex persona religiosi; nam excommunicatus etiam denunciatus potest hæres institui Vgolin. *tab. 2. de censur. cap. 21.* §. 1. Sayr. *lib 2. de excom. cap 9. n.* 9. & alijs.

13 Quid dicendum de religosis Apostatis, vide Pellezarium *in manuali tom. 2.*

QVAERES XI.

An coniugatus transiens ad religionem Soc. Iesu teneatur dare vxori dotarium post vota bienny.

SVMMARIVM.

Dotarium statim debetur dissoluto matrimonio per professionẽ n. 1.

Ratio pro affirmatiua opinione ponderatur n. 2.

Vota bienny Societatis Iesu tollunt irregularitatem defectu natalium n 3.

Vera sententia negatiua probatur ex natura d. votorum n. 4.

Dotarium an debeatur si maritus fiat professus in religione capaci n. 5.

Professi in religione, & Scholares Societatis Iesu quomodo sint capaces beneficiorum n. 6.

Scholastici Societ. an teneantur beneficia resignare, aut pensiones, & quo iure n. 7.

Argumentum ab vsufructu ad dotarium quam vim habeat n. 8.

Vsus fructus an amittatur professione ibid.

Professus an possit à coniuge reuocari n. 9.

Vota bienny Soc. Iesu an dissoluant matrimoniũ ib.

Coniugatus si exeat post vota bienny Societ. Iesu aut nouitiatus tempore, an teneatur ad vxorem redire. ibi.

Nouitius semper is dicitur, qui professionem validam non emisit. n. 10.

Matrimonium ratum an dirimatur per vota scholasticorum Soc. Iesu ib.

Ingredi religionem quis dicatur n. 11.

Scholastici Soc. per vota biennii an dici possint ingressi in Societatem ibi.

Irregularitas ex natalibus an per solam professionẽ tollatur n. 12.

An dẽtur religiones cum votis simplicibus ibi.

Dispensatus in irregularitate per vota, in Societate emissa an si ab ea dimittatur reincidat in d. irregularitatem n. 13.

1 SVpponit præsens quæstio cõmunem fere opinionem, nimirũ dissoluto matrimonio per professionem religiosam, deberi à viro profitente dotarium statim, & non esse expectandam mortem naturalem ex *l. Deo nobis Cod de epis. & cler.* ibi [& in hoc tantummodo lucri nomine consequatur ab eo, qui solitariã vitam elegerit, quod debuit legitime, vel ex pacto per causam mortis exigere] vbi Paulus Castr. ait, [habetur tamen ingrediens pro mortuo, vel mortua, & sic vendicat sibi pactum, vel statutum de certa parte dotis lucrãda] de qua quæst. videri etiã potest Cassaneus ad consuetud. Burgundiæ *rub. 4. femme mariée* §. 6. vbi adductis hinc, inde opinionibus, rem late, & erudite pertractat, Molfesius *part. 7. q. 10. num. 5. ad consuet. Neapol.* Diecastillus de matrim *dis. 6. num. 216. & 219.* Couarr. *cap. 2. de testam. num. 6.* Posi-

2 Posita itaque hac opinione, quod dotarium debeatur vxori, dissoluto matrimonio consummato post mortem ciuilem mariti, nempe per professionem religiosam, idem videbatur dicendum quibusdam doctis neotericis de his, qui in Societate Iesu emittunt tria vota post expletũ nouitiatum. Eos, scilicet teneri ex tunc tradere dotarium, seu antefatum vxori, a qua sunt separati legitime, & vt suppono seruatis seruandis; de quibus late dixi *lib. 7. de matr. à disp.* 33. ducebantur præcipue hi Doctores, quia hi emittentes vota biennij sunt vere religiosi, atq; adeo cõpetit ipsis dispositio *d. l. Deo nobis*, quod non obscurre significant Doctores passim Docentes, deberi dotarium post ingressum in religionem Mariti, consummato iam matrimonio, at hi sunt ingressi religionem cum per illa vota post nouitiatum emissa iam sint facti veri religiosi, vt est iam certum, ac definitum à Greg. 13. in bulla, toties dicta, *Ascendente Domino*: ergo.

3 Confirmatur, quia per talia vota biennij in Societate emissa tollitur irregularitas ex defectu natalium ex Sanch. *sum. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 13. quam non nisi per professionem tolli, docent Felinus *c.* 15. *qui de filijs Pres. in* 6. *n.* 11. vbi alios affert Riccardus *in* 4. *d.* 25. *art.* 4. *q.* 3. Suarius *tom.* 5. *de censur. dis.* 50. *sec.* 5. & alij. ergo vota biennij, quæ etiam vota scholasticorũ Doctores nostrates appellant, pariunt eundem effectum, ac professio religiosa, & sic si per professionem debetur dotarium dissoluto matrimonio, debetur etiam per hęc vota biennij.

4 Sed prorsus dicendum est, dotarium non deberi vxori ab eo, qui societatem ingreditur post vota biennij; sed à die professionis, aut votorum coadiutorum formatorum, de quibus dictum est quæst. 1. & seq. Fundamentum est, quia quamuis hęc vota faciant verum religiosum, tamen illa habens non censetur ciuiliter mortuus, retinetq; dominium suorum bonorum, ac potest succedere tam ex testamento, quam ab intestato, vt vidimus dicta quæst. 1. ergo cum omnes Doctores ad vnũ dicant, esse necessariam mortem ciuilem ad hoc, vt dotarium debeat dari vxori ante mortem naturalem mariti, certum est non deberi per vota biennj, per quæ talis religiosus non est ciuiliter mortuus.

5 Hanc consequentiam dabunt omnes cit. DD. & præsertim qui docent, dotarium non deberi vxori, si maritus profiteatur in religione capaci possidendi bona in communi, quia tunc talis religiosus non censetur mortuus ciuiliter, cum religio possit bona retinere nomine ipsius religiosi, qui sane Doctores videri possunt apud Cassaneum loco cit. ad cõsuet. Burgundię *femme maree* §. 6. quibus accedit Sanch. *lib.* 6. *de mat. dis.* 17. vbi loquens de donatione, inter coniuges, ait cõfirmari morte ciuili, quando donans professionem emisit in religione incapaci possidendi bona in communi, citat Rosellam *donatio* 1. *num.* 35. Sylucst. *donatio* 2. *q.* 4. Ludoui. Lopez. *lib.* 2. *de contrac. cap.* 47. §. *tertio confirmatur*.

6 Confirmatur 1. nostra resolutio, quia quamuis professi in cęteris religionibus, & in Societate Iesu statim amittant beneficia, & pensionem, tamẽ hi qui emittunt vota simplicia, seu hęc tria

vota

vota scholasticorũ in Societate Iesu possunt pensiones, & beneficia retinere attento iure communi, & instituto Societatis, vt fuit iudicatum lite mota, teste Sanchez. *l. citand.* & decretum est in 1. *congreg. Generali can.* 1.

7 Quamuis *in V. cong. can.* 5. statutum sit, vt nostri ante vota biẽnij resignent beneficia, quod decretum, cum non loquatur de pensionibus, possunt scholares Societatis Iesu retinere pensiones: vt notat Sanchez. *lib. 7. cap.* 29. *num.* 10. et *cap.* 4. *num.* 7. Pellezarius *tra.* 3. *cap* 4. *num.* 52. ergo si possunt ex vi votorum simplicium biennij, et beneficia, et pẽsiones retinere, quę vacant ipso iure post professionem ex *cap. beneficiũ de regul. in 6.* et hoc ideo, deciditur, quia sunt per professionem mortui mundo, vt notat Staphil. de literis gratię tit. de varijs modis vacationis in sexto vacationis modo num. 1. et seq. in secunda ratione: ergo si beneficia non vacant per vota biennij, signum est habentes talia vota ex tunc dare vxori dotarium.

8 Confirmatur 2. quia ex vsufructu ad dotarium licet argumentum ducere, vt facit Cassaneus loco supra citato ad consuet. Burgundię, femme maree §. 6. at vsusfructus non amittitur per professionem in religione capaci, ex eo quia, vt diximus, professus ibi non censetur mortuus ciuiliter, cum religio quo ad hoc ipsum religiosum repręsentet, vt patet ex *auth. ingressi Cod. de sacrosa. Eccl. auth. deniq. C. de bonis, quæ liberis*, et docent expresse Angelus, Syluest. Tabiena, Sayr. Azorius, et alij, quos citat, et sequitur Sanchez. *lib. 7. sum. cap.* 13. *num.* 53. Et Molina *tom.* 1. *de iust. disp.* 9. *colum. antepen. ver. vlterius dubium est*, vbi ait, vsum fructum durare in Societate Iesu vsque ad professionem, vel vota coadiutorum formatorum: ergo dotarium durat etiã apud eum, qui Societatẽ Iesu est ingressus, donec emiserit professionem.

9 Confirmatur 3. et ni fallor, satis aperte, quia in tantum Doctores dicunt dotarium deberi, post professionem emissam à viro in religione incapaci succedendi, quia iam coniux censetur mortuus ciuiliter, et matrimonium ita est dissolutum, quoad cohabitationem, vt non possit dari amplius regressus in sæculũ viri professi, nec coniux remanens in seculo de cuius licentia professus is est, potest eum reuocare vt probaui ex multis cum Sanchez. *lib. 7. de matr. dis.* 32. *& seqq.* sed per vota biennij cum sint simplicia, matrimonium, non dissoluitur, ita vt si à Generali talis scholasticus dimictatur, teneatur ad vxorem redire; sicuti docet Sanchez *lib. 7. de matr. dis.* 32. *num.* 13. cum Hostiense, & Greg. Lopez de eo, qui ingressus religionem de vxoris licentia exiret nouitiatus tempore; ait enim, hunc cogendum esse redire ad coniungem relictam in sæculo, quamuis ea votum castitatis emiserit, quia tale votum fuit emissum ob causã professionis faciendæ ab altero coniuge, habens autem vota biennij in Societate Iesu, si dimittatur, est liber ab omnibus votis, ac est nouitius, & si non esset vxoratus, vel vxor obierit, posset matrimonium contrahere.

10 Imo ingrediens religionem, donec professionem emittat semper dicitur Nouitius, vt aduertit Pellezarius in *Manual. reg. tr.* 2. *cap.* 9. *num.* 49. Sanchez. *sum. l.* 5. *cap.* 5. *num.* 55. agentes de emit-

emittente professionem nullam, & specialiter qui vota post biennium emiserunt dicuntur esse in probatione in ordine ad professionem, vel ad statum coadiutorum formatorum in *part. 4. cap. 4. constitut. litera E.* ergo cũ habentes vota simplicia possint ad sæculum redire, si è societate, dimittantur,& teneantur stare in matrimonio prius contracto, non potest dici eorum matrimonium dissolutum, vt dicitur de professione, & perconsequens, nec tenebuntur dare dotarium vxori, donec profiteantur, vnde bene docent Suarius *tom. 4. de rel. tr.* 10. *lib. c. 3. num.* 3. Sanchez *sum. l. 5. c.* 1. *num.* 29. Vasquez 1. 2. *q.* 96. *ar.* 9. *dis.* 165. Filiuccius *trac.* 10. *n.* 61. & alij, matrimonium ratum non dirimi per vota hæc simplicia, sicut dirimitur per professionẽ iuxta dicta a me *lib. 2. de matrim. à disp.* 18.

11 Non obstant quę in contrariũ initio attulimus, nam Doctores dum dicunt, dotarium deberi per ingressum religionis, intelligunt secuta professione, quia in iure ingressus in religionem, per solã professionem habetur, qua quis cum effectu ingreditur ex *capit. vltim.* 19. *qu.* 3. *cap. ex publico de conuers. coniug.* & docet Sanchez. *lib. 5. sum. cap.* 5. *num.* 12. Lezana *tom. 1. sum. c.* 24. *nũ.* 36. & alij: cum igitur habentes vota biennij in Societate, & si sint religiosi, professionem tamẽ non emiserint, non tenẽtur dare dotarium eo tempore, quia reuera non sunt Societatem ingressi, sed promittunt ingredi in Societatem prout explicatur *Const. par. 5. cap.* 1. *littera A.* ibi [tertio modo, & magis proprio Professos, & coadiutores formatos dumtaxat continet (nempe Societas Iesu) & sic accipiendus est in Societatem ingressus, quem scholastici promittunt, scilicet, vt inter professos, vel coadiutores formatos illius numerentur.]

12 Nec etiam obstat nostræ resolutioni, quod scholasticorum vota tollunt irregularitatem ad ordines suscipiendos, prouenientem ex natalibus, quia *caput 1. de filijs presby.* ad delendam irregularitatem ex natalibus, non requirit professionem; sed quod fiant religiosi, ibi [illegitime nati ad ordines non promoueantur, nisi aut monachi fiant, vel in congregatione canonica regulariter viuentes] quod certe verificatur in his votis biennij, per quæ constituitur ea emittens verus religiosus, vt toties diximus; Doctores autem dicunt, hanc irregularitatem tolli per professionem, quia iura exigunt, vt fiat religiosus, & cõmuniter religiosi fiunt per professionem, & non per vota simplicia prout est in Societate Iesu, vt videri potest Basilius Põtius de Matr. *lib. 7. à cap.* 1. *ad* 12. vbi ostendit, hoc non esse in Societate nouum; sed etiam antiquitus fuisse religiones cum votis simplicibus, vnde Suarez de censuris *dis.* 50. *sec.* 5. *num.* 12. caute dixit, non deleri eam irregularitatem, donec illegitimus professionem, aut vota emittat, per quæ verus religiosus fiat, vt optime notauit Sanch. *d. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 13.

13 Qui etiam mihi placet, quatenus nu. 14. subdit, dispensatum iam, in irregularitate, per hæc vota simplicia in Societate emissa, si ę Societate dimittatur, manere etiam ab Irregularitate liberum, quia illa dispensatio est facta fauore status religiosi semel assumpti, cui assentitur Pel-

lezarius *tr.7. c. 5. num.38.* Barbosa de *iure eccl. lib. 1. cap. 42. num.* 192. vbi citat Suarium, & Santarellum, esto contrarium putet Turrianus *de cens. lib. 9. dis. 71. dub. 2.* quem sequitur eruditissimus Diana *p.4. tr. 2. res. 66* licet nostram putet probabilem.

QVAERES XII.

An Collegium Societatis Iesu possit succedere in hæreditate sibi relicta ab eo, qui post vota biennij egressus est è Societate ipsa, cum animo, & voto emisso coram Prouinciali iterum ad Societatem redeundi.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ proponitur n. 1.
Sentẽtia affirmatiua statuitur n. 2.
Dimissus legitime, è Societate Iesu ante professionem succedit, & potest hæres institui n. 3.
Dimissio habentium vota simplicia in Societate potest fieri à Generali sine consensu dimissi n. 4.
Dimissus post vota biennij statim acquirit bona à se renũciata sub conditione perseuerantiæ, quamuis statim iterum regrediatur in Societatem ibi.
Dimissus e Societate si statim redeat an debeat facere nouitiatũ n. 5.

1 CAsus propositus est; Titius ante ingressum in Societatem renunciauit omnia suo Patri; ea tamen conditione, vt talis renunciatio cẽseretur facta donec ipse remaneret in religione, ita vt, eo egresso, statim renunciatio predicta corrueret ipso facto, interim mortuo iam patre ipsius Titij renũciatario, moritur enim ab intestato patruus, qui omnia fratris sui bona, inter quæ erant illa à Titio renunciata, hæreditauerat. Titius petit à Patre N. Generali licentiam abeundi e religione, quam post multas repulsas tandem obtinuit; ante vero, quam egrederetur emisit votum coram P. Prouinciali, qui eum ex Generalis prescripto dimittebat, iterum in Societatem redeundi, cũ primum res suas domesticas cõposuerit. inter hæc postquam Titius patrui hæreditatem habuit, ac omnia sua bona obtinuit mortuus est, relicta hæreditate Collegio Societ. Iesu. statim fuit lis exorta: an Collegium potuerit succedere, & ratio dubitandi fuit, quia conditio repetendi sua bona renunciata non fuit verificata, nam Titius data opera exiuit, vt excluderet hæredes ab intestato, imo apparenter, & non reuera fuit dimissus; sed ex quadam collusione cum Superiore, qui ficte illum dimisit. Vbi vides totam difficultatem oriri ex voto emisso a Titio redeundi in religionem.

2 Cæterum assero, etiam stante huiusmodi voto, Collegium indubitanter succedere in hæreditate sibi à Titio relicta, quod ita videor manifeste probare: Si hoc votum nõ interuenisset nulla esset difficultas, dimissionem Titij fuisse legitimam, & per consequens illum potuisse succedere in omnibus bonis, ac succederet, si nunquam in societate fuisset: sed tale votum iterum redeundi in religionem non obstat, quin eius dimissio sit legitima, & is sit vere laicus ita, ac si numquam in religione fuisset; ergo Titius fuit legitime dimissus, & potest succedere ac merus laicus, non obstante tali voto, à se emisso antequam exiret è religione.

Maiorem suppono ex his, quę docte satis, ac mature dixit Em. Delugo

Delugo lib. 4. conſ. dub. 3. vbi ponit hunc caſum, & probat Titium fuiſſe legitime dimiſſum, ac iure optimo potuiſſe hæredem inſtituere Collegiũ Societatis, & de facto Rota Romana ſic iudicauit, prout mihi teſtatus eſt Pater Georgius Tagliauia, qui tunc erat Prouincialis, ac pro ſuo collegio cauſam ſtrenue, vt ſolet peregit, & ideo, ne actum agam, ſolum probabo minorem propoſitionem, in qua noua litis cauſa fundatur, nec de ea meminit Delugo, & ego conſultus ſum per literas, vt circa hoc meum ſenſum aperirem.

Probo igitur minorem, ſcilicet votum redeundi in religionẽ emiſſum à Titio coram P. Prouinciali non obſtare, quo minus is fuerit valide, ac legitime è religione dimiſſus.

4 Primo, quia Titius ante emiſſũ tale votum redeundi in Societatem erat ab ea dimiſſus: nam dimisſio fit per P. Generalem, neque requiritur acceptatio ipſius Titij: nam etiam, eo inuito, poteſt talis dimisſio à P. Generali fieri *ex cap 6. exami. §. 2. & 2. part. conſtit. cap. 1. & 2.* ita vt quamuis dimiſſus renuat, & nolit veſtes deponere, censẽdus ſit extra Societatem, & cogitur per iudicem illas, velit, nolit deponere, vt ſæpius practicatum vidi, & ſic ſtatim Titius ius acquiſiuit ad ſua bona renũciata, quia iam non extabat cõditio; donec permanſero in Societate, ita vt ſi iterum in Societatem eſſet admiſſus ſtatim, adhuc ſuorum bonorum, quæ prius renunciauerat eſſet dominus, vt docet Pellezarius *trac. 2. cap. 9. num. penultim.* ergo votum ingrediendi iterum in religionem non potuit reddere irritam dimisſionem, quæ illud præceſſit, & extitit quando iam P. Generalis miſit literas patentes, & ipſe eas acceptauit, & ſic nec impediuit, quin Titius ſua bona renunciata recuperaret, deficiente conditione, ſub qua fuerunt renunciata.

5 Confirmari hoc poteſt ex doctrina Delugo *lib. 4. conſ. dub. 1.* aſſerit enim Doctisſimus vir ibi, quod ſcholaſticus, qui literas patentes, in quibus erat à Patre Generali dimiſſus acceptauit, at uix elapſis nouem horis redijt, & conſtantisſime petijt, ne dimitteretur, debebat nihilominus facere nouum nouitiatum ex integro; quia per dimisſionem iam vota fuerunt ſoluta, & nouitiatus factus, ſeu probatio erat iam extincta.

§. I.

Quid iuris, ſi votum iterum ingrediendi Societatem fuit ante dimiſſionem.

SVMMARIVM.

Vota emiſſa à religioſo Societatis *eo dimiſſo, an corruant n. 6.*

Quid ſi ſit votum in ea perſeuerandi ibi.

Votum perſeuerandi in religione ad quid obliget n. 7. An differat à voto ingrediendi ibi.

Dimisſio, e Societate ſi fieret per colluſionem non liberat dimiſſũ ab obligatione religioſa n. 8.

Votum ſimplex ingrediendi religionem an det aliquam actionem religioni n. 9.

Dolus quãdo posſit præſumi in actionibus iure approbatis n. 10.

Actus dimittendi e Societate ex cauſis ſuperiori bene viſis eſt iure approbatus ibi.

Societas Ieſu multoties reddit re-

nunciantibus bona prius renunciata sibi n. 11.

P. Mutius Vitellesius V. Generalis celebratur ibi. 721

6 SEd demus, Titium non dum fuisse è religione dimissum quando votum emisit ante actualem, & vt ita dicam, materialem egressum, adhuc probo, tale votum non obstare eius legitimæ dimissioni hoc discursu.

Si quilibet tertius v. g. Caius cum esset in Societate habens vota biennij fecisset votum perseuerandi, ac profitendi in ea, si à Societate dimittitur post tale votum est vere, & legitime dimissus, & liber ab omnibus votis, & obligationibus iuxta Societatis formam, & per consequens posset succedere in bonis à se renunciatis sub illo modo; donec in Societate perseuerauero; ergo etiam dimissio Titij est valida, ac legitima, & per eam redditur capax is omnino repetendi sua bona, & succedendi, &c. ac merus laicus, quamuis ante egressum vouerit iterum ad Societatem redire.

Antecedēs est doctrina Sãchez *in summa lib. 6. cap. 9. num.* 63. vbi ait, omnia vota emissa in Societate iuxta formam ipsius, statim corruere, emittente dimisso è Societate, & habetur *in 2. part. const. cap.* 4. §. 3. & addit, omnia alia vota durare, & esse absoluta vnde infert, [quare si fuisset votum perpetuæ perseuerantiæ in Societate, vbi Expellatur, iudicandum est ac de illo, qui vouit religionem, ac perseuerantiam in illa, & postea expellitur, de quo diximus *lib. 4. cap. 16. num.* 106. quo loco ait idem doctissimus vir, teneri explusum iterum ad religionem redire: ergo etiã iuxta Sanchez, dimissus post vota biennij e Societate, si habebat votum perseuerandi emissum in ipsa Societate, tenetur iterum ingredi, & se offerre Societati.

7 Consequentia, scilicet, quod si habens votum perseuerandi in Societate, ab ea dimittatur, sit legitime dimissus; etiam habens votum redeundi ad Societatem emissum antequam ab ea egrederetur, sit legitime dimissus, ac verus laicus, non obstante eo voto, patet: nã eadem est obligatio contracta à Caio ex voto perseuerandi in religione emisso post vota biennij, ac illa quam contrahit Titius ex voto iterum redeundi ad religionem quòd hoc: quia votum perseuerandi in religione obligat ad redeundum iterum ad religionem, vt ex multis probat idem Sanch. *lib. 4. cap. 16. nu.* 81. Suarez. *tom. 1. de relig. lib.* 4. *c.* 4. *num.* 15. cuius doctrina communis est: quamuis quid dicendum sit, dixi cum de voto in qq. moralibus *tr. 3. d.* 4. *q.* 95. *&* 96. in hoc tamen casu quando quis post vota biennij emisit votum perpetuæ perseuerantiæ, est verissima, & omnino amplectenda; nam tunc cēsetur emittere votũ incorporãdi se cũ religione per professionē, vel formatorũ vota eo modo quo potest. Sed Caius expulsus à Societate post vota biēnij Paupertatis, Castitatis, & obedientiæ, manet omnino liber ab his. & per consequens non est amplius religiosus, etiam si sit obligatus iterum redire ad religionem ex vi voti, & obligationis contractæ in Societate; ergo etiam Titius valide dimissus est, ac legitime, & non est amplius religiosus, quamuis teneatur redire ad societatem ex vi voti, & obligationis cõtractę ante quã egrederetur. Pro-

8 Probatur secũdo dicta Minor, quia si non fuisset vera dimissio, è Societate, sed tantum collusoriè, & ad tempus, quo Titius posset hæreditatem capare, is nõ vouisset ad religionem redire; nam iam erat verus religiosus, posito quod non fuerit realiter dimissus; sed tantum apparenter, & sic tale votum fuisset vanum, & tantum inseruisset vt occasio litis.

Quod probo: quia tale votum iterum ingrediendi Societatem non poterat deseruire pro foro interno, nam facta suppositione aduersariorum, quod Titius nõ fuerat reuera e Societate dimissus; sed solum apparenter, erat verus religiosus, & manendo in sęculo extra Societatem vltra tempus permissum a superiore, fuisset verus fugitiuus, & apostata coram Deo.

9 Neque potuit tale votum deseruire pro foro externo, cum ob illud nullã actionem comparauerit religio, qua posset Titiũ cogere, vt iterum rediret; nam votum simplex, sistendo intra voti limites, nempe quatenus est promissio facta Deo non includens aliam promissionem factam homini, non dat alteri ius, & actionẽ, vt si quis voueat dare centum Ecclesiæ, etiam si hoc votum manifestet rectori illius, nõ habet rector actionẽ cõtra vouentem ad exigenda centum, quæ vouit, vt late dixi *in qq. mor. tr.* 3. dis. 1. q. 51. cum Gaet. quodl. *tom.* 2. *tr.* 11. *q.* 3. *de voto* Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 9. *quæ.* 12. Nauarr. sum. cap. 12. n. 78. Sanchez. in numeris citat. lib. 4. summ. *cap.* 41. *num.* 7. *vbi num.* 14. addit, hoc esse intelligendum, quamuis pauper, vel rector in cuius vtilitatem votum emittitur esset præsens, & acceptaret, adhuc eius acceptatio non daret actionem, quod etiam docet Fagund. in *præc. decal. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 49. *num.* 11. & omnes alij supponunt, ad quid ergo huiusmodi votum ingrediendi iterum Societatem, vbi res suas composuerit, fuit à Titio emissum, si dimissio fuit simulata, & non vera?

10 Probatur 3. eadẽ minor quia in actionibus iure approbatis dolus non potest presumi, nisi adsint perspicua doli indicia *l. dolum Cod. de dolo*, & tanquam ab omnibus receptum probat Berous *cap. in præsentia num.* 204. *de prob.* nec sufficit quod habeant aliquam speciem simulationis, & malitiæ, nam in dubio tenemur eas in bonam partem interpretari *l. merito ff. pro socio Co. de reg. iur.* Menoch. *lib.* 6. *præs.* 78. *num.* 3. *& lib.* 4. *præs.* 82. *num.* 10. *& præ.* 81. *num.* 29. Ergo cum actus dimittendi è Societate Iesu scholasticos ex causis superiori bene visis, sit à Sede Apostolica approbatus, & votum redeundi in Societatem factum ab eo, qui dimittitur etiam ipso instante, sit naturali iure, ac diuino approbatum; cum sit de meliori bono: melius enim est exire è Societate cum animo iterum in eam ingrediendi, ac moriendi in religione, vbi causæ exitus cessarint, quam exire sine animo illo; non est cur præsumamus, dimissionem Titij non fuisse veram; sed fictam ad hoc, vt is recuperaret bona à se renunciata, & succederet in hæreditate: nam aperte contra talem præsumptionem ius reclamat.

11 Certe nulla huius tam fœdæ collusionis habemus indicia in Societate Iesu, scit enim vniuersus fere Christianus orbis; Societatem Iesu multas renunciationes sibi factas à suis alumnis irreuo-

uocabiliter, eisdē post egressū repudiasse, & cū nō posset acquisita semel absq; alienationis vitio, ac pęnarum incursu repudiare, Patrem Generalem ipsum à Pontifice licentiam impetrasse. Tantum abest, vt Mutius Vitellescus vir omni virtutum genere ornatissimus, & in hoc genere renunciandi hæreditates ijs, qui è Societate dimittebantur, vt sic dicam, religiose profusus, qui tunc erat Generalis, & hunc Titium dimisit, potuerit colludere in re tam aperte iniusta, & cooperari cum Titio in manifesto crimine repetendi contra ius fasque bona consanguineis renunciata sub conditione, seu modo: donec in Societate perseuerauerit eo reuera adhuc in religione perseuerante, ac vere religioso existente.

§. II.

Obiectis occurritur, & præcedentia confirmantur.

SVMMARIVM.

Conditio si non impletur defectu illius, qui illam posuit, an censeatur impleta n. 12.
An Conditio si in religione perseuerauero, censeatur impleta si quis e Societate dimittatur ob instantiam factam ibid.
Conditio quando possit a promittēte impediri nec ne n. 13.
Renunciatio sub conditione si perseuerauero in religione an obliget renunciantem, quando egressio non est ex causa mere necessaria n. 14.
Epilogus solutionum ad argumenta n. 15.
Substitutus sub conditione si Caius sine filijs decesserit an excludatur, si Caius in articulo mortis uxorem ducat n. 16.
Explicatur l. in executione ff. de ver. oblig. n. 17.
Conditio suspensiua quæ sit ibi.
Conditio resolutiua quid, & an actum faciat conditionalē n. 18.
Vouens sub conditione an teneatur voto, si conditionis euentum impediuit ibi fine.

12 Dices, quoties conditio non impletur defectu illius, qui illam apposuit, toties habetur ac si fuisset impleta ex *l. in executione §. finali ff. de verb. oblig.* ibi [*quicumque sub conditione obligatus curauerit, ne conditio existeret, nihilominus obligatur*] & docent ibi Bart. *§. fin. fine*, Paul. *num.* 2. Imola *fine*: Alciatus *num.* 3. & alij, ergo cum Titius non fuerit a Societate sponte dimissus; sed ipse magna instantia extorsit licentiā à Patre Generali, conditio apposita in renunciatione: donec in Societate perseuerauero, censetur non defuisse, et per consequens renunciatio sub ea facta omnium bonorum, iurium, &c. est valida. Respondeo negando consequentiam.

Primo quia Titius nō causauit impedimētum cōditionis remanendi in religione per petitionē; quia tantum poterat proponere causas, & petere dimissionē à Societate, vt est manifestum ex nostris constitutionibus *par.* 5. *cap.* 4. §. 3. *lit. D.* et ostendit Sanchez *lib.* 9. *sum. cap.* 9. *num.* 61. et sic non potest dici, quod is egressus fuerit, vt impediret conditionis euentum, sub qua renunciatio a se facta fuerat, nempe donec in Societate permansero; nam hæc conditio defecit ob liberam dimissionē factam à Societate iuxta ipsius pium institutum, vt loquitur Conc. Tridentinum *sess.* 25.

25. *de reg. cap.* 16. neque Titius fallacijs, aut dolo extorsit licentiam: sed veritatem manifestando, ac dicendo, se velle exire e Societate, quia volebat sua bona capere, & ea in maius Dei obsequium distribuere, neque P. Generalis motus fuit ad eum dimittendum hoc fine; sed quia putauit illum in posterum semper futurum in Societate animo inquieto, & minus aptum ad munera religionis, vt videri potest Eminentissimus *Delugo d. l.* 4. *dub.* 3. *consilior.*

13 Secundo demus Titium fuisse causam omnino totalem suæ dimissionis, eamque procurasse, eo animo, vt reacciperet bona a se renunciata; adhuc dicendum est, renunciationem dictam, eo egresso e religione, corruisse, & ipsum licite, ac valide excludere suos renunciatarios, ac etiam alios consanguineos à Societate Patrui mortui abintestato; ratio est, quia tunc impediens conditionis euentum tenetur stare cõtractui conditionate inito, ac si conditio impleta esset, quando talis conditio dependet ab alijs causis, aut naturalibus, aut liberis, quæ licite impediri nequeunt, non autem quando conditio de sua natura est talis, vt licite possit impediri a stipulante, vt docent Decius *regula iuiure ciuili num.* 6. *ff. de reg. iur.* Gloss. *in d.l. in executione* 85. § *finali in fine ff. de verb. obligat.* & scribentes ibi. at hæc conditio; donec in Societate perseuerauero est talis naturæ, vt possit ab ipsomet promittente impediri, & quidem licite: nam habens vota biennij potest petere à Societate dimissionem significata sua tentatione, aut difficultate ad perseuerandum, vt loquitur Sanchez. *lib.* 7. *cap.* 6. *num.* 70. vel ad subueniendum parentibus, &c. explico hoc exemplo, quod commune est apud Doctores, v. g. Petrus promittit Paulo dare decem quoties vincetur in ludo, certe potest procurare quantum potest ne vincatur, & sic cesset à solutione decem promissorum sub illa conditione.

Quę doctrina certe habet maximum fundamentum in nostro 14 casu, in quo agitur de renunciatione mere gratuita, & ex mera liberalitate facta; nam cum renunciatio semper debeat interpretari in fauorem renunciantis, & vt quam minus fieri possit ei noceat, vt constat ex supradictis præsertim *quæst.* 8. §. 4. *& seq. quæ.* 9. *ver. confirmatur*; cum Titius renunciauerit omnia sua bona iura, &c. sub illa conditione: donec in Societate perseuerauero, non debemus præsumere, illum voluisse se adstringere solũ quando egressio esset mere necessaria, & quando ex aliqua vrgenti causa è Societate dimitteretur; sed eius intentionem fuisse, vt ex modo loquendi, & conditionis positæ patet, nolle misere viuere, si aliquo casu, & quandocumque esset extra religionem, & ideo non dixit: si à religione dimissus fuero; sed donec permansero in religione, egresso autem eo, siue quia fuit dimissus, siue quia procurauit dimissionem, verificatur quod non permaneat in religione.

15 Et per hæc soluta manent quę in contrarium adducebantur: negamus enim vllam fuisse collusionem inter Titium, & Societatem, & asserimus, eum fuisse reuera dimissum è Societate ob causas bene visas P. Generali, quas ponderat optime Delug. *d. lib.* 4. *c.* 3. *consil.* & satis bene posse

stare

ſtare obligationem iterum ingrediendi cum vera dimiſſione, & expulſione e religione, neque Titium fuiſſe obligatum ad non procurandum egreſſum e Societate, ſed potuiſſe iure illum procurare, quamuis eo fine motum, vt ſua bona renũciata recuperaret, & ſuccederet in hæreditate tamquam Laicus.

16 Sicut poteſt quis iure, & abſq; eo quod dicatur facere in fraudẽ in extremo vitæ contrahere matrimonium, quo filij legitimentur, & ſubſtitutus, qui debebat ſuccedere, illo mortuo ſine filijs naturalibus, & legitimis, excluditur vt ex communi ſententia, pro qua ſtant ſupra 40. Doctores, probaui *lib. 7. de matr. diſ.* 105. ex Sanchez. *& in qq. moral. tr.* 2. *q.* 108. *& ſeqq.*

17 Tandem addo neque d. *legem in executione §. fin. ff. de verb. oblig.* eſſe contra nos: nam lex loquitur quando diſpoſitio eſt conditionalis, & ſic de conditione proprie dicta per ea, quæ dixi *lib.* 1. *de matr. diſ.* 1. et alibi, viderique poſſunt Doctores in materia de legibus. Conditio autẽ proprie dicta eſt conditio ſuſpenſiua, quæ ſuſpendit perfectionem actus ad euentum conditionis, v. g. renuncio omnia Patri, ſi nauis venerit, ſi Petrus cõualeſcet, tunc renuciatio non eſt facta; ſed eſt in pendenti, & ſi nauis non venerit euaneſcet, itaut fructus a die renunciationis debeantur ipſi renuncianti, & non renunciatario, vt ex multis probat Tiraquell. *l. ſi vnquam ver. renunciatur num.* 283. *Cod. de reu. donat.* Molina *lib.* 2. *de primog. cap.* 12. *num.* 19.

18 At in caſu noſtro renunciatio facta à Titio fuit ſub conditione reſolutiua, quæ ſcilicet reddidit ſtatim validam renunciationem, reſoluendam tamen, & irritandam non verificata conditione, quæ vere conditio non eſt: ſed modus, vt loquitur Sanchez. *lib.* 7. *ſum. cap.* 5. *n.* 60. *vol.* 4. cum Caſtrenſi, & Alberi. *in l ſecundã ff. de in diem adiec.* Paritio *conſ.* 92. *num.* 22. *lib.* 3. iſta conditio reſpicit diſceſſum à contractu, qua poſita doctrina, cadit tertia obiectio facta ex *d. l. in executione*, ea enim loquitur in cõtractu cõditionali, & ſic eius diſpoſitio non eſt extendenda ad noſtrum caſum, in quo debemus argumẽtari ex alijs principijs, quod nimirum obligatio non poſſit induci vltra intentionem obligantis, & dum Titius renunciationem fecerit, ſub hoc modo: donec in religione perſeuerauero, & non alteri cenſendus eſt noluiſſe renunciare quocumq; caſu eſſet extra religionem, quia hic ſolum ſe obligauit ad non reuocandam renunciationem donec eſset in religione, non autem ſe obligauit ad nõ exeundum e religione ſiue ſua culpa, ſiue alio caſu dimittetur: prout de facto arguit Suarez late *tom.* 2. *de rel. lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 10. Caſtrop. *diſ.* 1. *punt.* 17. *de voto num.* 12. & alij loquẽtes de voto ſub conditione emiſſo dum dicunt, vouentem non teneri ad votum, etiam ſi ipſe impediuerit euentum conditionis, & addunt, ſi in contractibus humanis conditio cenſetur impleta, id eſſe ob iuris diſpoſitionem: cum ergo in hoc caſu ius non diſponat; ſed loquatur de conditione ſuſpenſiua, quæ ſola conditio dicitur, debemus dicere, Titium eſſe liberum, ac renunciationem corruiſſe non obſtante; quod ipſe procurauerit egreſſum e Societate inſtando apud P. Generalem.

QVAE-

QVAERES XIII.

An vita, & militia debeatur professis Societatis Iesu durante eorum vita.

SVMMARIVM.

Scholasticis Societatis Iesu sine controuersia debetur vita, & militia n. 1.
Vita, & militia debetur professis in religione capaci durante vita naturali professi ibid.
Vita, & militia quam habebat ante professionem renuncians sua bona Societati Iesu, ipsi competit durante vita professi n. 2.
Societas Iesu ob renunciationem sibi factam succedit in bonis sui professi ibi.
Vsus fructus an statim secuta professione, extinguatur in donatario n. 3.
Vita, & militia an possit in alium trāsferri sine assēsu domini ibi.
Vsus fructus quomodo possit in alium transferri n. 4. Et an ab eo ducatur argumentum ad vitam, & militiam ibi.
Fructus maioratus an possint alienari ante professionem in religione incapaci n. 5.
Vita, & militia quid sit ibid.
Vita, & militia an possit renunciari, patre adhuc viuente n. 6.
Legitima, viuente patre, an renunciari queat. ib.
Vita, & militia non competit Societati Iesu ex vi professionis sui religiosi n. 7.
Verius est competere vti probatur n. 8.
Vita, & militia num succedat alimentis ibid.
Vita, & militia est legatum quoddā alimentorum n. 9.
Societas Iesu etiam professo domus quę pacto sit capax annui legati n. 10.
Modicum tempus ad legatum annuum recipiendūm à Societate Iesu quodnam dicatur n. 11.
Assignatur facilis modus, quo possit vita, & militia retineri, durante vita professi, à Societate Iesu n. 12.
Alimenta debētur post capitis diminutionem, aut mortem ciuilem. ibid.

1 LOquor de professo, & idem esto iudicium de coadiutore formato, quia nulla potest esse dubitatio de scholasticis, qui nimirum sola vota simplicia post biēniū nouitiatus emiserūt, nam ipsi retinent dominium suorum bonorum, possunt hæredes institui, &c. & hoc omnes Doctores infra citandi dabunt, cū apud eos certissimum sit, vitam, & militiam competere professo in religione capaci habendi bona in communi, nam quamuis tales religiosi, dicunt Doctores, sint incapaces dominij ob professionem; tamen religio est capax: multo ergo fortius, & absq; còntrouersia erunt capaces religiosi hi post vota biennij vitæ, & militiæ, cum ipsi sint capaces dominij acquirendi de nouo, & habiti retinendi, iuxta Societatis constitutiones, prout in præcedentibus, præsertim 1. & 2. quęst. dictum à nobis est. Sola igitur difficultas est de professis, aut coadiutoribus formatis, et quoniā potest casus tripliciter cōsiderari, ideo tribus conclusionibus rē expediam.

Dico 1. si professus Societatis
2 ante quam emitteret professionē habebat iam vitam, et militiam, puta quia Pater mortuus erat, et ipse erat frater secundo genitus baronis, ea competit Societati Iesu durante vita naturali ipsius

ſius profeſſi, quādo is ante profeſſionē renunciaſſet omnia ſua bona præſentia, futura, &c. Societati, vel in ſpecie renunciaſſet vitam, & militiam. Doceo, quia ſi iſte Profeſſus eſſet in religione capaci ſuccedēdi nomine ſuorū religioſorum, vita; & militia conpeteret monaſterio durante vita naturali talis profeſſi, vt docent fere omnes agentes de vita, & militia: Petr. Greg. *num. 6. q. 4. & in add. lit E.* vbi dicitur ita fuiſſe deciſum in conſ. Neapol, vt refert, Puteus *de re integra feud. f.* 176. Neapod. & alij ibi adducti, Molteſius *conſ. 9. num.* 4. Afflictus *in conſt. comitibus, q.* 3. & 4. Octauius Corſet. *conſ.* 27. *nū.* 8. *& ſeq.* Capanus *de vita, & militia, q. 1. num.* 10. Sed Societas Ieſu ex vi renunciationis ſibi factæ ante profeſſionem à ſuo religioſo ſuccedit in omnia renunciata, non ſecus ac aliæ religiones capaces ſuccedunt ex vi profeſſionis ſui religioſi, vt probaui quęſt. 6. ſupra ex multis, ergo ſi vita & militia profeſſi competit, durante eius vita naturali, monaſterio, quando de ea aliter non diſpoſuit, ex vi profeſſionis; competet etiam Societati Ieſu, quando ante profeſſionem facta eſt ipſi renunciatio à profeſſuro, non quidem vi profeſſionis in ea emiſſæ, ſed vi renunciationis ſibi factæ.

3 Non obſtat huic concluſioni, quod docet Sanchez *lib. 7. ſum. cap.* 13. *num.* 55. nimirum, quod ſi habens vſum fructum illum alteri donet, vel alio modo alienet, & poſtea emittat profeſſionem in religione incapaci, vſus fructus ſtatim extingitur, emiſſa profeſſione, non inquam obſtat, quia vſus fructus talis eſt naturæ, vt ſine conſenſu domini proprietarii non poſſit in alium transferri ex *l. vſu fructu* 58. *ff. ſol. matr.* Gomez. 2. *vari. cap.* 15. *num.* 15. Pinell. *l. 1. par. 3. n.* 40. *ver. ſed dic nuper Cod. de bon. mat.* At vita, & militia poteſt in alium transferri etiam ſine aſſenſu domini, pro vita naturali illam habentis, vt probat Capanus *de vit. & mil. quæ.* 10. & tanquam certum dat Corſetus *d. conſ.* 27. *num.* 11. ex Neapod *in tit. de alimentis*, vbi docet, poſſe alimēta vendi, & alienari.

4 Adde etiam, & fortius d. Sancij doctrinā nō obſtare: nāis ideo aſſerit, vſum fructū non durare in renunciatario poſt profesſionem in religione incapaci; quia non potuit in alium transferri, niſi ſola commoditas vſus fructus, ita vt ſemper proprietas remaneat apud ipsū donātem: poſt profeſſionē vero in religione incapaci proprietas non poſſet remanere in ipſo donāte, cum per profesſionem ſit incapax omnis iuris, & ſic extinguitur illa commoditas, quæ ſine iure proprietatis, ſeu vſus fructus remanere nequit, hic eſt Sancij diſcurſus.

5 At in noſtro caſu res eſt valde diuerſa, quia cum Societas Ieſu ſit capax ſuccedendi in omni iure, quod habebat Profeſſus ob factam ſibi renunciationem, vt dictum eſt, & patet ex dictis quæſt. 1. ex Sanchez *lib. 7. ſum. cap.* 27. *num.* 16. & alijs: hoc incōmodum non ſequitur, quia illud ius habendi quotannis durante vita naturali, vitā, & militiam fuit ob renunciationem factā ante profesſionem translatum in Societatem Ieſu, non eſt igitur ea Sancij doctrina contra poſitam concluſionem.

6 At fauet valde quod ipſe Sanchez. *d. l. 7. cap. 13. num.* 54. tradit, ſcilicet poſſe ante profesſionem in religione incapaci vendi, &

& alienari fructus maioratus in tertium, in quo durabunt durāte vita naturali d. professi: ergo vita, & militia (quæ nil aliud est nisi portio quędam fructuum feudi tradita secundogenitis ad sustentationem, siue loco legitimæ, siue loco alimentorū) poterit Societati donari, & durabit durante vita naturali professi, cū Societas sit capax hæreditatis, donationis, &c. relictæ a suo religioso ante professionem. Quo modo autem possit Societas Iesu retinere vitam, & militiam; cum videatur esse legatum quoddam annuum, dicam in fine huius quæstionis.

6 Dico secundo idem mihi videtur dicendum; nempe vitam, ac militiam competere Societati Iesu quando filius Baronis ante professionem illam non habebat, quia Pater eius erat viuus, at ante professionem renunciauit in forma omnia iura præsentia, futura, &c. ipsi Societati. Hæc conclusio patet ex dictis, à quæs. 1. ad 8. satis enim probauimus ius futuræ successionis posse ab eo, qui in Societate profitetur renunciari vel ipsi Societati, vel alteri Tertio: cum sit in bonis ipsius, ac de præsenti: certe filius Baronis habet ius tam natura ipsa, quàm iure ciuili disponente, vt mortuo patre, debeatur vita, & militia à Fratre Barone successore in feudum, & sicuti cæteri filij ex eo quia habent ius ad legitimam in bonis patris, si renunciarent hoc ius, certe mortuo patre competeret renūciatario legitima; cum ea etiam sit transmissibilis, vt notat Surdus *de alim. tit.* 5. *quæs.* 1. *num.* 5. sic, cum vita, & militia successerit loco legitimæ secundum multos, vt videri potest Rodericus *in l. quoniam in prioribus in* 2. *limit. ver. infero etiam alimenta C. de in off. test.* Couarr. *epit. de spons. par.* 2. *cap.* 8. §. 6. *num.* 15. Molin. *de primog. lib.* 2. *c.* 15. *nū.* 10. multis allegatis Tiraq; *de iure primogenior. q.* 75. *num.* 5. & 8. alios citans; videtur quod si filius ante professionem illud ius vitæ, & militiæ alteri renunciauit, renunciatarius illa fructur durante vita naturali renunciantis, cum mors ciuilis non comparetur morti naturali in tertij præiudicium ex Sanchez *l.* 7. *cap.* 13. *n.* 57. & *ex qq. præcedentibus* satis patet.

7 Dico 3. si filius ante professionem nullam fecit renunciationem Societati Iesu: tunc ipsi non debetur vita, & militia a die professionis, quia Societas Iesu non succedit in bona sui religiosi ex vi professionis sui religiosi, vt supra diximus, & videri potest Molina *tom.* 1. *d.* 139. *col.* 3. & *dis.* 140. & alij citati præc. qq.

8 At quia verior, & probabilior opinio est quod vita, & militia non succedat legitimæ debitæ filijs; sed solum sit data pro alimentis, vt tenet Surdus *de alim. tit.* 5. *quæ.* 1. *num.* 33. & tanquam certum statuit Corset. *d. con.* 27. *nū.* 1. cum Isernia, & Affl. *in const. comitibus,* Perno *cons.* 11. *col. fin. in feudal.* Petro de Greg. *in trac. de vita, & mil. quæ.* 2. & alijs multis sequitur, quod sit valde probabile, ac verior opinio, vitam, & militiam deberi Societati ex vi professionis sui professi, quando is aliter ante professionem non disposuit.

9 Fundamentum est, quia vita, & militia est legatum quoddam alimētorum annuatim debitum durante vita naturali filij secundo geniti, vt patet ex Corseto dic. *con.* 27. *num.* 1. qui ex hoc præcipuo fundamento excludit

Fratres minores Sancti Francisci à vita, & militia post professionem, quia Fratres minores non sunt capaces annui legati nec ad alimenta. Sed religiosi professi Soc. Iesu, seu ipsa Societas succedit in legatis relictis suis professis sicut, & in alijs donationibus ipsis factis dum viuunt in religione ex vi professionis, & solum excluditur à successione hæreditatis, vt dictum est a me supra *quæ.9.&* 10.ex Sanch. Em. Delugo Pellez.& alijs; sequitur quod Societas Iesu possit acquirere vitam, et militiam suo religioso professo debitam durante eius vita naturali; nam sicut cæteræ religiones ex eo quod sint capaces habendi bona in communi, et succedunt suis professis ex vi professionis, habent vitam, et militiam, durante vita sui religiosi: ita Societas Iesu cum sit capax acquirendi legatum suis professis relictum; potest acquirere vitam, et militiam, quam vidimus ex Corseto, et communiori esse legatum, seu præstationem alimentorum.

10 Solũ potest esse difficultas, quia hæc vita, & militia est quoddam legatum annuum, quod non potest competere Societati.

Cæterũ cum in *d. quæ.9.* diximus, professum Societatis esse capacem legatorũ iuxta capacitatem domus, in qua vt subditus degit, v. g. si est in Collegio, seu nouitiatu potest illos annuos redditus retinere, si in domo professa annui redditus sunt vendendi, sic posset dici in casu nostro, & illa spes habendi vitam, & militiam posset vendi, si professus est in domo professa. Nihilominus adhuc dico: satis esse probabile, posse domum professam accipere vitam, & militiam debitam suo professo, ex persona illius, quia est capax legati alimentorũ annui ad modicum tempus: prout sunt fratres minores iuxta communem sentẽtiam Feder. *cons.* 12. *n.* 5. Ant. *cap. in præsentia num.* 25. *de prob.* Abb. *cons.* 66. *num.* 6. *lib.*2.Cardin. *clemen. exiui num.* 13. *de verb signif.* vbi Anchar. *num.* 2. Imola *cap.*2. *num.* 42. *de test.* Anania *num.* 20. Serena conscient. *q.* 20. Cordub. in reg. S. Franc. *cap.* 6. *q.* 11. *punt.* 3. Sborz. *in compen. priu. mend. ver. legata in annot. vers. si vero aliquid annuum* Emm. Sa *v. religio num.* 57. & alij multi, quos citat, & sequitur Sanchez. *lib.* 7. *cap.* 27. *num.* 25. & passim recentiores.

11 Modicum autem tempus quoad hæc legata annua dicit Sanchez. *lib.* 7. *cap.* 26. *num.* 40. esse non solum quando legatum est infra decennium, secundum cõmunem opinionem, sed etiam si relinquatur legatum annuum ad vitam alicuius ex Feder. Ant. & Abb. quod putat etiam probabile Pellezarius in manual. regul. *tom.* 1. *trac.* 4. *cap.* 2. *num* 55. *&* 42. quamuis Delugo *de iust. disp.* 3. *nũ.* 102. dicat de hac re dubitari posse.

12 Et tandem poterit P. Prouinciali ad tollendas omnes difficultates, mittere suum professum ad Collegium, vel aliam domum, vt durante eius vita naturali, habeat vitam, & militiam, (quæ est præstatio quædam vitalitia alimentorum statutam per legem, aut consuetudines municipales,) vt de legato annuo relicto professo commorante in domo professa diximus supra *quæst.* 9. cum Pellezario, posse scilicet professum mitti ad Collegium; ne Societas defraudetur annuo legato. Hanc sententiam proculdubio dabit Surd. *de al[imen]tis*

tit.5. *quæſ*. 5 *nu*.11.vbi cum multis, quos refert docet, alimenta (qualia dixit num. 9. eſſe vitam, & militiam) deberi etiam poſt capitis diminutionem, vel mortem ciuilem, & ſolum extingui morte naturali. Capanus *de vit. & milit. quæſ*. 5. *num*. 4. dum ait abſolute, eam durare durante vita. Affil. *in conſt. comitibus q*. 3. *&* 4. & ipſe Corſetus: nam eius argumenta contra Fratres minores, quamuis non ſint ſolida, tamen non militant contra Societatem Ieſu.





TRACTATVS SECVNDVS

DE ASSISTENTIA IN CHORO A DIGNITATIBVS PRAESTANDA, AC DE PROFESSIONE FIDEI A BENEFICIARIIS EMITTENDA.

Varia fuere circa hanc materiam proposita dubbia ab Episcopo quodam huius Regni, quæ sub eadem prorsus forma verborum, sub qua mihi oblata sunt in gratiam Lectorum cum suis resolutionibus subdam.

QVAERES I.

Quo tempore dignitas præbendata vltra tres menses à Concilio Trid. concessos; possit ab assistentia Chori excusari.

SVMMARIVM.

Abesse a choro quo tempore, & quomodo possit dignitas præbendata. n. 1.
An possit per quatuor menses abesse de licentia Episcopi ibi.
Dignitates debent choro assistere tum festibus solemnibus ministrando per se ipsos Episcopis, tũ etiam omnibus horis n. 2.
Quid si non habeant vocem in capitulo, nec canonicatum n. 3.

1 RESpõdeo nõ posse abesse à choro nisi per tres menses iuxta Cõc. Trid. sess. 24. de refor. cap. 12. & Doctores passim, qui sane menses possunt accipi non solum continue; sed etiam interpolate, v. g. non assistendo per vnũ mensem, & postea per duos assistendo, & per 15. dies, transactis duobus mensibus assistendo, & sic deinceps donec tota absẽta compleat tres menses sic Menochius *de arbitrar. casu* 50. *à n.* 12. Gonz. *ad reg.* 8. *cancell. gloss.* 11. *n.* 8. Sanctarell. *var. resol. qu.* 4. *n.* 20. & alij bene verum est quod de licentia Episcopi, putarunt aliqui, eos posse abesse per quatuor menses, sic Barbosa de pot. Epis. *alleg.* 53. *n.* 123. Armẽd. *in add. ad recop legum Nauarræ l.* 2. *tit.* 23. *de resid. rubrica, vel alij habentes dignitatem teneantur resid. in suis eccles. numer.* 39. Alzed. de præst. dignit. Episc. *p.* 2. *cap.* 9. *numer.* 39. Comitol. Soc. Iesu respon. moral. *lib.* 1. *q.* 59. *n.* 2. & alij quamuis Garsia de benef. *par.* 3. *cap.* 2. *à num.* 401. oppositum doceat, & contendat, Episco-

ſcopum non poſſe dare hanc facultatem, ſed vtrum Barboſæ, & aliorum opinio ſit probabilis, dicam quæſt. ſequenti.

2 Nec ſolum debent Dignitates choro aſſiſtere feſtis ſolemnioribus, vel Dominicis, aut cum debent aſſiſtere Epiſcopo ſolemniter celebranti iuxta eorum dignitatem, v. g. cantando Euangelium, tenendo baculum, &c. (quæ munera debent per ſe ipſos prȩſtare, vel ſi impediti fuerint, per alios paris dignitatis Ex dec. ſacræ congr. apud Garſiam de benef. *p. 3. c. 2. n. 496.*) ſed etiã debent omnibus horis dierum intereſſe, alias amittunt fructus præbendæ, ac ſi non aſſiſterent, vt fuit deciſum à ſacra congregatione ſub die 20. Aprilis 1602.

3 Atque hæc procedunt quamuis dignitates non habeant vocem in capitulo, neque Canonicatum adnexum, vt ex declarat. Cardin. *in cap. 3. ſeſſ. 22. Concil. Trid.* docet Graſſias de benef. *d. c. 2. n. 481.* Vtrum autem peccent mortaliter non aſſiſtendo dixi *de virt. relig. tract. 3. l. 4. à diſ. 4.*

QVAERES II.

Quo tempore dignitas, quæ nullam habet præbendam ſed tantum locum in Stallo, cappucium, & titulum dignitatis teneatur choro aſſiſtere.

SVMMARIVM.

Dignitas non habens præbendam tenetur aſſiſtere choro, ac ſi illam haberet n. 1.

Diſtributiones quotidianæ ad quid dentur ibid.

Canonia quid ſit n. 2.

Præbenda quid ſit, & quomodo à Canonia diſtinguatur n. 3.

Clerici deputati ad chorũ qui ſint, & quoties debent aſſiſtere n. 4.

Canonicus, etiam ſi præbenda ſit modica, tenetur aſſiſtere choro n. 5.

Acceptans beneficium, quod nullum habet fructum tenetur ad horas n. 6.

Canonici, aut dignitates ſi præbendam non habent, tenentur aſſiſtere choro iuxta conſuetudinem Eccleſiæ illius n. 7.

Conſuetudo contra obligationem naturalem an poſſit induci ibid.

Sacra Congregatio negans Canonicos, &c. non teneri ad chorum dum præbendas non habent declaratur n. 8.

1 RESp. teneri eo modo, quo diximus q. præcedenti debere dignitatem præbendatã, concluſionis rationem accipe à Naua. *de orat. cap. 5. n. 19.* vbi ita ait [diſtributionum enim quotidianarum elargitio, aut prouentuum prȩbendarum in eas partitio non inducit, neq; tollit obligationem eundi ad horas canonicas, cum ea naſcatur ex titulo, & poſſeſſione canoniæ, ac præbendæ, quod concilium illud Martini cap. fin. 92. diſ. tranſlatum in caput 1. de celebr. miſſ. innuit, & alia iura probant Clem. 1. de celeb. miſſ. nam præfata elargitio ſolum eſt quoddam calcar, & cauſa impulſiua nos incitans ad eundum ad Eccleſiam] ſic Nauarrus.

2 Pro huius rei maiori intelligentia aduertendum eſt, canoniam eſſe quid à præbenda diſtinctum, prout præbenda dicit ius percipiendi prouentus in Eccleſia ratione officij ex rubr. de preb. & conceſſ. præbend. nam ca-

canonia, & eius habēdi ſedem in choro ad cantandum, & legandum, vocem in capitulo, quod ius prouenit ex receptione in fratrem *ex ca. in Geneſi* vbi gloſ. *ver. vel quaſi de elect.* & *cap. cum M. de elect.* vbi Abbas *n.* 22. Felin. *nu.* 13. Monet. *de opt. canon. cap.* 7. *n.* 6. & alij.

3 Præbenda vero ex ſe nō habet ſedem in Choro, neque vocem in capitulo, & eius titulus eſt collatio, canoniæ vero eſt receptio in fratrem Cardin. *conſ.* 103. Ripa *lib.* 2. *reſponſ. c.* 33. *n.* 4. & patet ex Rota *deciſ.* 2. *vtrum ſi canonicus de præbendis in antiquis*, & *deciſ.* 33. *quidam habens de præſ. in nouiſ.* Barbat. *col.* 3. *n.* 18. quare cum Nauarrus dicit, obligationem aſſiſtendi choro naſci ex poſſeſſione Canoniæ, & præbēdæ, accipit canoniam prout dicit acceptionem in fratrem ac præſtindit à redditibus, qui vocantur etiam præbendæ, & accipit præbendam prout dicit dignitatem habentem ius ad redditus Eccleſiæ, & quamuis Nauarrus loquatur de dignitatibus; eius tamē ratio militat in dignitatibus quāuis Canoniæ non ſint vnitæ, quod etiā aperte manifeſtauit Sacrū Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *de refor. c.* 12. *ver. præterea*, ibi [vt obtinentibus dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones non liceat vigore cuiuſcumque ſtatuti, &c.] vbi primo loco in obligatione reſidēdi, & aſſiſtendi choro (idem enim eſt ex cit. Doctoribus) ponit dignitates vt à Canonicis, & præbendis diſtinctas.

4 Et ratio à priori eſt, quia omnes clerici deputati ad Chorum tenētur aſſiſtere omnibus diebus in Cathedralibus, & Collegiatis omnibus horis *ex cap. vltim. diſt.* 92. & probaui ego ipſe *de vir. relig. tr.* 3. *l.* 4. *diſ.* 4. *q.* 2. *iuncta qu.* 3. cum Suario, Caſtropal. Molfeſio, & alijs ibid. citatis: ſed dignitates, aut Canonici quāuis habeant præbendam ex hoc ipſo quod habent canoniam, vel dignitatem ſunt deputati ad chorum, vt iam diximus, ergo dignitates, aut Canonici etiā non habentes præbendam tenentur ad chorum quotidie in omnibus horis canonicis.

5 Sic etiam præter Nauarr, tradit Comitolus *reſp. moral. q.* 60. vbi dicit, Canonicum habentem paruam præbendam, ita vt ſe ſuſtentare non poſſit nō ex hoc excuſari à reſidentia, & aſſiſtentia in choro, ſed debere canonicatum deſerere, & ſupponunt omnes, vt videre eſt apud me ipſum loc. cit. de virt. relig. Garſiam *part.* 3. *c.* 2. *à num.* 197. dum abſolute dicunt, omnes clericos, & religioſos deputatos ad chorum teneri aſſiſtere, et inter clericos numerant canonicos, Dignitates, et vt quid diſtinctum præbēdas, et ſicut multi religioſi quamuis mendicato viuant, vt aduertit bene Comitolus *d. q.* 60. tenentur ad Chorum ex hoc, quod religioſi ſint, ſic etiam tenentur dignitates, et Canonici, quamuis non habeāt redditus, ex hoc ipſo quod tales ſunt.

6 Confirmatur, quia ex quo dignitatem, ſeu canonicatum receperunt, ac procurauerunt ſcientes ex illis nullam eſſe præbendam, ſeu fructus, ceſſerunt iuri ſuo, vt probaui in ſimili quoad obligationem recitādi priuatim horas iubeneficiarijs, qui ſcienter beneficium acceptarunt, quod nullos haberet fructus *l.* 4. *d.* 13. *n.* 7. *trac.* 3. *de vir. relig.*

7 Id vltro dabo, huiuſmoci dignitates non habentes præbendam non teneri niſi ad aſſiſtendum

dum eo modo, quo viget cõsuetudo assistendi per annos 40. inducta post Conc. Trid. quia cum hæc obligatio in his canonicis, & dignitatibus nõ præbendatis nascatur ex quodam pacto tacito, quo se obligat canonicus quãdo accipit canonicatum, seu dignitatem, cum quibus scit, Ecclesiã coniunxisse assistentiam in Choro, non censetur velle se strictius obligare, quam cæteri sibi similes obligentur: sic fere in terminis Bonacina de hor. Canon. *disp. 2. punt. 1. n. 3.* cum Suario apud ipsum in hæc verba [dixi nisi aliud ferat consuetudo, vt indicarem, consuetudine induci posse, vt canonici non teneãtur singulis diebus ad pensum canonicarum precum in choro recitandũ. dum huius consuetudinis inducendæ iusta subest causa: ratio est quia licet consuetudo contra obligationem quasi naturalem induci nequeat sine causa; nihilominus nõ repugnat induci dũ iusta subest causa, quæ turpitudinẽ contra ius naturę auferat, qualis in præsenti casu censeri potest tenuissimum stipendium, ita Suar. *cap. 10. n. 5. & cap. 12. n. 13.* subdens ad huiusmodi consuetudinem non requiri tempus immemorabile] sic Bonacina.

3 Neque nostræ resolutioni obstat declaratio sacræ congregat. apud Garsiam *d. par 3. de benef. cap. 2. n. 482.* quæ ait, Dignitates nullam habentes prębendam non teneri ad assistentiam eo tẽpore, quo illas expectant, nam loquitur de his, qui accipiunt dignitatem, vel canonicatum, cui præbenda debetur post aliquod tempus, & bene ait, eos interim non teneri, quod ego etiam dixi in simili respectu recitationis priuatæ *d. trac. 3. l. 4. d. 13. n. 8.* non autem de his, qui non expectant præbendam, sed recipiunt canonicatum, vel dignitatem, scientes nullos habere fructus.

QVAERES III.

Quando Vicarius Generalis excusetur ab assistentia in Choro, & ad quantum tempus ratione officij.

SVMMARIVM.

Vicarius Generalis ratione sui muneris an seruiat Ecclesiæ n. 1.
Quomodo excusetur à choro ibid.
Vicarius S. V. an seruiat Ecclesiæ n. 2.
Vicarius Gen. Episcopi si choro non assistat an possit percipere distributiones quotidianas n. 3.

1 RESP. Vicarium G. non excusari præcise ex vicariatu; quia ipse ratione huius muneris non seruit Ecclesiæ, sed Episcopo, Garsia in add. ad tract. de benef. *p. 3. c. 2. n. 348.* Rota *decis. 226. n. 5. par. 7. diuers.* Barthol. à S. Fausto *lib. 3. q. 69.* quare si labores erunt adeo graues, & vrgentes excusabitur, vt excusantur cęteri canonici ob alios labores, aliaque impedimenta: vnde prudentis arbritrio, & prout circumstantię hic, & nunc occurrunt, censendus est excusari, nec potest vniuersalis regula tradi, nisi hęc negatiua: nimirum quod ratione officij Vicariatus nõ excusatur ab assistentia Chori, si sit dignitas, aut Canonicus.

2 Quod tamen de Vicario Generali S. V. nõ procedit, is enim seruit Ecclesię, & succedit in omnibus, quę pertinent ad Episcopalem Iurisdictionem nisi sint in iure expresse prohibita Gloss. & Doctores cap. hic quę, & cap. cum olim de maior. Gutier. ca-

K non.

non. *lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 3. & alij apud Barbosam de canon. & dignit. *cap.* 24. *n.* 61. loquentes de capitulo sede vacante, quod in Vicario repraesentatur, & fauent huic sententiae Cened. & Sanctarellus apud Barbosam *alleg.* 54. *n.* 165. putantes d. Vicarium lucrari distributiones si ratione sui officij absit à choro, quod signum est, eum excusari ab assistentia in choro ratione sui muneris.

3 Vtrum autẽ Vicarius G. Episcopi percipere possit distributiones quotidianas quando non assistit vide Merollam *tom.* 3. *d.* 7. *cap.* 6. *dub.* 6. *n.* 50. docentem ex communi Doctorum, non lucrari, nisi fructus canonicatus consisterent in solis distributionibus, quia aliàs esset inutile priuilegiũ cap. de caetero de cler. non resid. concedens Vicario fructus sui beneficij, etiam si choro non assistat, sic idem Merolla ibid. *dub.* 32. *n.* 313. quod etiam verum est de Vicario S. Vacante iuxta Barbosam *alleg.* 54. *n.* 165. & alios apud ipsum, nisi sit consuetudo, vt Vic. sed. v. absens lucretur distributiones quotidianas, quae est valde rationabilis; cum Vicarius Ecclesię seruiat pro Capitulo, & docent à fortiori Cened. & Sanct. vt diximus.

QVAERES IV.

Quas poenas incurrant Canonici, cum illa imposita à Con. Tridentino circa sequestrationẽ fructuum cõtra non assistentes non possint illis applicari, si fructus non habent.

SVMMARIVM.

Canonici non assistentes choro possunt per Episcopum puniri n. 1.

Poenae à Trid. contra non assistentes latae, an incurrantur à Canonico non habente praebendam n. 2.

1 RESp. hos posse poena arbitraria puniri ab Episcopo, quia cum illae gradationes circa fructuum amissionem à Concilio *cap.* 12. *sess.* 24. praescriptae non possint habere locum in his, & de caetero, vt videmus, faciunt cõtra id, ad quod vi suae dignitatis, & muneris accepti tenẽtur, possunt per Episcopum puniri iuris remedijs v. g. carceratione, suspensione per aliquod tempus, &c. deueniendo vsque ad depositionem, vt tradit Venerus in exam. Episcop. *lib.* 4. *cap.* 40. *n.* 9. Antoninus Butr. cap. ex gestis de cler. non resid. vbi ait, Leonem tertium deposuisse ob non residentiam Anastasium Card.

2 Non obstat doctrina Barbosae *alleg.* 53. *n.* 147. *de pot. Epis.* dicẽtis, poenas à Concilio *d. cap.* 12. latas non habere locum in canonico simplici non habente praebendam, quia hoc intelligitur quoad priuationem fructuum, quos non habet, & quoad aliàs poenas intelligitur quando canonicus non habet praebendam, quam deberet habere, & dum illam expectat iuxta dicta q. 2.

QVAERES V.

An detur aliqua limitatio regulae Generali quando ob defectum assistentiae Ecclesia patitur indecorum.

SVMMARIVM.

Quae causae excusent canonicos ab assistentia chori n. 1.

Absentia Canonicorum quando cẽseatur offendere decorum Ecclesiae n. 2.

Obligatio chori potest per solos nouitios expleri ibi.

1 RESp. non dari, nisi illam generalem, quæ excusat ab alijs obligationibus in præceptis Ecclesiasticis, vt timor mali grauis in se vel in alijs, si Canonicus ad Chorum accedat, omissio magni lucri, &c. de quibus alias tractaui. nam cũ obligatio psallendi in Choro sit de se grauis, & descẽdat supra singulos de communitate, certe tunc singillatim obligabit sub mortali, quando oriretur scandalum graue, & Ecclesiastica officia vilipenderentur, vt dixi de virtut. Relig. *tr.* 3. *d.* 4. *q.* 1. *n.* 9.

2 Aduerte tamen, non posse dici, ecclesiam pati indecorum, seu diuina officia indecenter fieri, eo quod omnes Canonici absint, dummodo sint alij præbendati, & clerici sufficientes: nam sicut obligatio Chori per solos nouitios potest expleri, vt putat Caramuel. *in reg. S. Bẽ. dis.* 101. *dub.* 6. Pellizar. *tr.* 5. *cap.* 8. *n.* 19. *Manual.* sic potest per solos præbendatos fieri absq; eo, quod veniant canonici, neque præcisa alia circumstantia, V. G. magnæ festiuitatis, &c. generat scandalum, videmus enim diuersa officia diebus præsertim ferialibus celebrari absq; eo, quod duo, aut tres sęculares assistant, atq; in his quę in præcedentibus, quæst. dicta sunt mecum sentiunt multi docti Neotherici, inter quos est Pater Franciscus Bardi Doctrina, & ingenio satis notus, cætera de recitat. horarum in Choro valde vtilia, & forte non obuia vide si placet apud me ipsum *in d. tr.* 3. *d.* 4.

QVAERES VI.

An sententia asserens, Canonicos posse de licentia Episcopi abesse per quatuor menses à seruitio ecclesiæ sit contra Trid. sess. 24. de refor. cap. 13.

SVMMARIVM.

Affirmatiuæ sententiæ argumenta recensentur n. 1.
Abrogatio Concilij generalis non fit per clausulas generales ibi.
Quid ad abrogationem Con. Tridẽtini ibi.
Negatiua sententia vt probabilis sustinetur n. 2.
Quid statuerit Tridentinum circa absẽtiam Ecclesiasticorum à suis ab ecclesijs n. 3.
Statutum; vt beneficiati, &c absint vltra tres menses ab Ecclesijs quando teneat n. 4.
Clericus quando nam gaudeat fori priuilegio, etiam si Ecclesiæ non seruiat n. 5.
Propositio modificata an sit contraria absolutæ ibi.
Declarationes, Sacræ congregationis pro nostra sententia adducuntur. n. 6.
Opinio sapientum potest amplecti absque eo, quod veritas talis opinionis, & rationes inquirantur n. 7.
Quid si sit tantum vnius Doctoris ibi.
Argumenta in contrarium adducta soluuntur n. 8.

1 AFfirmatiue respõdet Doctissimus vir in quodam manuscripto, vbi ad quæsitum; an Canonici iusta existente causa possint abesse à choro per quatuor mẽses de licentia Episcopi sic ait [affirmatiue respondere ne-

nequeo, efficaciter enim vrget adeo patens, & expressum Tridentini decretum quod omnino oppositum definit sess. 24. de reform. cap. 12. vt ab ipso prudenter recedere non permittat, scimus enim ad abrogãdum Oecumenicũ cõcilium clausulas valde expressas desiderari. Imo, vt Doctores aiunt, requiri speciales derogatorias, infinitos possem afferre tum ex nostris, tum ex alijs, satis enim est, vt breuitati consulam, Sanchez lib. 3. de matr. disput. 26. num. 7. Molin. de iust. tr. 2. dis. 173. num. 23. & quam plures alij apud Sanchez qui ex Henrico, & Viualdo vult, vt derogetur Tridentino non sufficere apponere clausulas in genere loquentes de concilijs, sed postulare, vt specifice de illo fiat mentio, sed hoc ab omnibus non admittitur: cum sint cõtenti, derogationem fieri per clausulas, quæ derogent Concilijs in communi. Deuenio nunc ad casum nostrum nempe ad decisionem sacræ congreg. quæ pro sententia affirmatiua laudatur, & miror quo pacto præponderare valeat quædam decisiuncula, vt ita loquar, incerta, de qua alia non habetur notitia, nisi ea, quæ ex dicto vnius, vel alterius legitur, cuius clausulas ignoramus, & lata pro casu speciali; miror inquam, qua ratione vim habere queat contra Generale conciliũ. Concludo igitur, non posse dignitatem præbendatam abesse à choro vltra tres menses vt concedit Trid. & ab Episcopo dispensari non posse, vt absentia ad quatuor menses extendatur..] hęc ille. 1

2 Sed his minime obstantibus, dixi sententiam illam esse probabilem ab extrinseco, & nunc assero iterum. Fundamentum est, quia ex vna parte hęc opinio non est vllo modo contra dispositionem Concilij Trid. *sess. 24. de reform. cap. 12.* & ex alia habet Emin. Cardinalium decisiones: ergo est ab extrinseco probabilis, non enim potest per principia intrinseca probari, cum pendeat ex dispositione iuris, & Põtificum: quod canonici absint, vel non absint per tot menses, et non vltra.

3 Quod non sit contra dispositionem Tridẽtini probatur: quia Tridẽtinum solum disponit [obtinentibus in eisdem cathedralibus, aut collegiatis dignitates, canonicatus, prębẽdas, aut portiones non liceat vigore cuiuslibet statuti, aut consuetudinis vltra tres menses ab eisdem Ecclesijs quolibet anno abesse] at hęc opinio, quam dicimus non esse contra Tridentinum, et esse probabilem, non ait, Canonicos posse abesse per quatuor menses ex vi statuti, seu consuetudinis, sed iusta existente causa de licentia Episcopi, habetque bonam rationem, quam insinuat Comitolus mox citandus: nimirum sicut, non obstante quod Concilium Trid. *sess. 23. de ref. cap. 1.* prohibet Episcopis, et alijs Prelatis curam animarum habentibus, ne absint ab eorum Ecclesijs: nisi ad summum per tres mẽses; tamen ex legitimis causis, quas idem Concilium numerat, eas Papa, vel Metropolitano, aut eo absente Episcopo viciniori approbante, possunt diutius abesse; sic etiam ex legitima causa beneuisa Episcopo possunt sui Canonici preter tres illos menses abesse: quia vt ait Comitolus *lib. 1. res. mor. quæs. 59. num. 2.* [quod Prelatus cũ Romano Põtifice, aut Metropolitano facit, sat est, vt idem Canonicus cum suo Prelato faciat.] Con-

4 Confirmatur. quia non est cõtra dispositionem dicti Decreti Trid. quamuis expresse dicat [nõ liceat vigore cuiuslibet statuti] asserere esse licitum abesse, vltra tres menses vigore statuti confirmati à Papa ante dictum decretum ex Garsia de benef. *par. 3. ca. 2. n. 191. in 1. & 3. declaratione* Armend. *in add. ad recop. l. Nauarr. lib. 2. tit. 23. de res. rubrica. an Canonici, vel alię dign. teneantur resid. num. 21. & 23.* quos citat, & sequitur Barbosa *in collec. ad Trid sess. 24. de refo. cap. 12. num. 56.* ergo maiori ratione nõ erit contra d. decretum Trid. asserere, quod Canonici, & aliæ dignitates Episcopo subiectæ possint abesse ex iusta causa de licẽtia Episcopi vltra tres menses, nam Concilium non dicit: non liceat vigore cuiuslibet facultatis, seu licentiæ.

5 Similiter in Trid. *sess. 23. de refor. cap. 6.* dicitur, non gaudere fori priuilegio Clericum [nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum, aut tõsuram deferens alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruiat] & tamen sacra Congreg. Concilij 18. Mart. 1628. apud Eruditissimum Dianam part. 5. declarat [fori priuilegio gaudet Clericus incedens in habitu, & tonsura descriptus in cathalogo clericorum, qui in synodo Dioecesana obedientiam præstiterit Ordinario, & per paucas vices in choro & in processionibus interfuerit, attentis circumstantijs, quamuis alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi non inseruiat, vel beneficium ecclesiasticum nõ habeat] Neque quis dicet has, & alias huiusmodi declarationes authenticas, & in praxi receptas a Doctoribus, & in iudicijs esse contra dispositionem Conc. Tridentini: quia certum est, propositionem modificatam non esse contrariã, nec se opponere propositioni absolutæ, seu sine illa modificatione prolatę; nec enim qui diceret: Christus Dominus prout homo est Patri minor, dicet contrariũ illius propositionis: quod Christus, & Pater vnum sunt: oppositio enim est repugnantia duarũ enũciationum eodem subiecto, prædicatoque constantium secundum eandem partem, & respectu eiusdem, eodem tempore, loco, & modo, vt docuit ex Aristotele Albert. *tract. de opposit. cap. 1.* & hæc quoad primam partem antecedentis, nimirum illam opinionem nõ esse contra Tridentinum.

6 Quoad secũdam verò: scilicet eam habere Emin. Card. Declarationes, sic ait Comitolus *in res. mor. d. quæst. 59. num. 2.* [Ac de quatuor mensium spatio dubitari non debet. Amplissima enim Cardinaliũ congregatio his verbis respondit; ob legitimam causam Episcopi dare possunt Canonicis suis facultatẽ, vt possint abesse per quatuor menses] aliã etiam declarationem sacræ congregationis affert Garsia de benef. *par. 3. cap. 2. num. 408.* [sic etiam procedit alia declaratio eiusdem sacræ cõgregationis, quę ait; Episcopus potest ob legitimam causam dare licentiam Canonicis, vt absint ab Ecclesiæ suę seruitio, legitima enim causa dicitur, quæ est a lege approbata, & in iure expressa] vbi vides, Garsiam afferre hanc declarationem absolute dicentem, posse Episcopum concedere Canonicis, vt absint ab Ecclesię suę seruitio, licet ipse illam interpretetur. Et de absentia per quatuor menses num. 411. affert aliam declarationem sacræ congregationis factam

tam Episcopo Cauriensium, quæ sic ait [Episcopus potest dare licentiam Canonicis, vt ab eorum Canonicatibus per quatuor mẽses abesse possint] dicitq; ex hac declaratione Zerolam, & Zecchium docuisse, quod Episcopus dare potest licentiam Canonicis se absentandi per quatuor menses, sic ipse loquitur. Hanc etiam opinionem teste Barbosa pluribus in locis, & præsertim *de potest. Episcopi alleg.* 52. *num.* 23. tenet Armẽdar. quem ipse sequitur ibid. & *num.* 145. Alezed. *de praem. Epis. dignit. par.* 2. *cap.* 9. *num.* 39. Ergo cum in hac materia non possimus aliunde speculari, nisi ex iure positiuo, vt dicebam initio, & ex vna parte videamus, eam opinionem non esse contra Trid. decretum, & ex alia extent Cardinal. declarationes, quæ expresse asserunt; Epicopum posse dare licentiam suis Canonicis absendi à choro, & præcise assignent etiam terminũ quatuor mensium, idque Doctores tam in Theologia, quam in iure Canonico valde versati asserant, & vt certum sequantur: nõ video cur nõ debeam putare illã opinionem probabilem, nam quod Garsia conetur illas declarationes explicare, & primam dicat intelligi, quando adsũt causę in iure expressæ; secundam vero datam esse Episcopo Cauriẽsium pro casu particulari, nec meminerit de illa declaratione, quam affert Comitolus, non tollit, quin hæc opinio sit probabilis ab extrinseco, saltem ob auctoritatem Doctorum eam asserentium, cum magno fundamẽto in declarationibus Cardinalium; sed tantum facit, vt non sit omnino certa.

7 Hunc sane discursum sumo ab ipso Bardi *de consc. dist.* 4. *cap.* 2. *num.* 3. vbi ait [Dico secundo nõ tenetur quisque sequens sapientum opinionem regulariter, seu per se loquendo inquirere talis opinionis veritatẽ, & rationes. sic à fortiori Granadus *part.* 2. *contr.* 2. *tract.* 12. *dis.* 4. *sect.* 1. *num.* 7. *& sect.* 2. *num.* 8. Ouied. *par.* 2. *tr.* 5. *contr.* 3. *p.* 1. *num.* 11. Cum hoc affirment, etiam quando opinio est vnius tantum Doctoris. Cõclusio autem ostenditur, quia ad recte, & honeste operandum satis est per se loquendo sequi opinionem, quam viri sapientes, & prudentes probabilem existimant, proinde operans iuxta illorum dictamen efficacem habet præsumptionem suę honestę operationis, idcirco poterit vi talis præsumptionis formans prattice sibi conscientiam iudicare licitum esse ita operari] nec dici potest Doctores illos non considerasse decretum Conc. Tridẽtini quia de hoc in terminis loquebantur: cur ergo non potest hæc opinio vt probabilis tuto amplecti. Si enim esset contra Concilium Trid. digna esset, vt censuraretur, vt docet ipsemet *loc. cit. cap.* 1. *num.* 6. at cum à multis fuisset ea doctrina tradita & multoties typis mãdata, & iterum repetita multis annis continuis, nullam videmus censuram contra eam.

8 Ex his ni fallor, soluta manent quæ afferebantur ad probandũ, sententiam Comitoli, Barbosæ, Alez. Armendar. Zerolæ, & Zecchij, quam ego vt probabilem adduxi, nullo modo esse admittendam, negamus enim eius fũdamentum, nimirum eam derogare Concilio Tridentino *in d. sess.* 24. *de ref. cap.* 12. quod aperte ostendimus, neque dictus recentior in illo manuscripto suũ assertum probat, sed supponit, &

& totus eſt in probando id, quod vltro damus, & cũ Sâchez tradidimus *lib. 3. de matr. diſ. 26. nu. 2.* nimirum ad abrogandum Concilium requiri clauſulas ſaltem generales; nec poſſe inferiorem Papa illi derogare; quis hoc negat? quare potuiſſet vir ille doctiſſimus omnia, quæ ibi addidit omittere, vt pote non facientia ad intentum, & ſolum debuiſſet probare, hanc opinionem derogare Concilio Trid. & per conſequens non eſſe admittendas declarationes Cardinalium, quæ illam aſtruunt ob defectum conditionum requiſitarum, de quibus quæ. ſeq. circa finem. & non alia via incedere, quæ non adducit ad eneruandas Cardinaliũm declarationes, quas adducunt ſeptem Canoniſtæ, inter quos eſt Garſia, quamuis contra ſentiat, at illas nõ vt incertas, & ab vno, vel altero relatas reſpuit, ſed admittit, & exponere conatur, vt vidimus, ego tamen ſatis oſtendi, illam opinionem non eſſe cõtra Trident. & habere optimos Patronos?

QVAERES VII.

An Canonicus poſſit percipere fructus Præbendæ ſi abſit cauſa ſtudiorum, & ſtudeat in Collegio Panormitano Soc. Ieſu

SVMMARIVM.

Negant aliqui ex declarat. Cardinal. n. 1.
Studium generale quod nam dicatur ibi.
Affirmatiua opinio eligitur n. 2.
Vniuerſitas ſtudiorum qualis ſit ibi, & n. 1.
Abſens cauſa ſtudiorum vbi debet ſtudere, vt fructus percipiat ibi.
Textus cap. tuæ fraternitatis de Cleri. non reſid. ponderatur n. 3.
Panormitani ſenſus ad rem adducitur ibi.
Numerantur ſcholæ, & earum exercitationes in Collegio Panormitano n. 4.
Aſſeruntur doctores affirmatiuam ſententiam confirmantes n. 5.
In Collegio Panormit. Soc. Ieſu ſunt priuilegia vniuerſitatis, & qualia n. 6.
Priuilegia à Pontificibus Societati concesſa docturandi in ſuis collegijs ſtudentes, &c. ſunt confirmata à noſtris Inuictisſimis Regibus n. 7.
Exponuntur Cardinalium declarationes adductæ in contrarium n. 8.
Cardinalium declarationes quas conditiones debent habere, vt fidei illis habeatur n. 9.
Doctores recentiores pro noſtra ſententia, aſſerẽtes ſatis eſſe ad fructus in abſentia percipiendos ſi ſtudeant Theologiæ, aut iuri canonico n. 10.
Quot annis poſſunt Canonici abeſſe cauſa ſtudiorum n. 11.
An poſſint lucrari diſtributiones quotidianas abſentes cauſa ſtudiorum n. 12.

1 NEgatiuam ſentẽtiam conabatur probare non indoctus Theologus ex Garſia de benef. par. 3. *cap. 2. num.* 55. vbi is ait Canonicos; ad hoc vt poſſint fructus præbendæ percipere in abſentia ob cauſam ſtudiorum, debere ſtudere in ſtudio Generali, ſeu celebrari vniuerſitate, illudque eſſe ſolum tale, quod eſt inſtitutum, ac erectum à Papa, Rege, ſeu Principe ſupremo, probatque id ex textu *cap. tua fraternitatis de cler. non reſident. & cap. 2. de priuil. in 6.* & ex declarationibus Sacræ Congr. quarum

rum vnam refert num. 81.d. cap. 2. vbi dicitur [quando alicui Parocho conceditur facultas studendi in curia, vt fructus suos faciat hæc infrascripta seruari debent: Primo vt studeat theologiæ, aut iuri Canonico in celebri vniuersitate. Secundo, &c.] alteram adducit *d. cap. 2. p. 3. nũ.* 117. quæ habet [scholares in Ecclesijs cathedralibus non gaudent iisdem priuilegijs, sicut studentes in studijs publicis, vel Academijs] Garsiam sequuntur Barbosa *de pot. Episc. alleg.* 56. *nũ.* 21. & 22. Castropalaus *tom.* 2. *dis.* 3. *punt.* 9. §. 9. *num.* 1. Pellezarius *in manu. reg. trac.* 5. *cap.* 8. *num.* 161. & alij.

2 His minime obstantibus, affirmatiue respondendum censeo cum Moneta de distribut. quot. *par.* 2. *quæ.* 10. *num.* 17. vbi loquens de conditionibus requisitis in his, qui volunt ob studium percipere fructus Canonicatus, seu præbendæ in absentia, ait [alterum est non sufficere, vt illud studium, ad quod aliquis accedit, qualecumque sit, sed debet esse generale, vt patet ex d. cap. tuæ fraternitatis de Cler. nõ resident. & d. cap 2. de priu. in 6. ex quibus etiam iuribus cum suis Gloss. & ibi traditis per Doctores colligere licet, non requiri quod sit Vniuersitas studiorum secum habens rectorem, & cætera priuilegia, quæ vniuersitatibus studiorum iure competunt, quale erit illud Ticini, Patauij, Pisarum, & similia; sed sufficere generale, vt olim erat Romanum d. cap. 2. & nunc est mediolanẽse in Gymnasio Societatis Iesu, saltem quoad studium Theologiæ, quæ ibi optima methodo legitur cuicumque audire volenti] hæc Moneta, qui optime sane dixit: Ex dictis iuribus posse colligi, non requiri, ad hoc vt beneficiati absentes causa studiorum percipiant fructus, quod studeant in publicis vniuersitatibus erectis Imperatorum, Regum, &c. Priuilegio: nam reuera nec textus, neque Glossa id requirunt.

3 Et quidem textus. *d. cap. tuæ fraternitatis.* sic habet [quæsiuisti præterea, vt cum interdum Canonici; quibus studiorum gratia est indultum, vt in absentia sua fructus percipiant præbendarum suarum, accepta licentia, se ad villas transferunt, vel castella, in quibus nullum est, vel minus competens studiorum exercitium; vtrum præbendarum suarum fructus sint talibus conferendi? &c. vbi Glos. *ver. studiorum* post aliqua cõcludit [sed sufficit si sit studium conueniens siue mediocre ff. de ædil. edic. sciendum §. illud, & l. si quid §. vẽditor] & certe textum legẽti fit manifestum, non requiri aliud, nisi quod præbendatus studeat in studio aliquo Generali; nempe vbi sit studij exercitium, et spes profectus in literis, ita aperte Panormitanus *hic. num.* 4. vbi hæc habet [Hostiensis hic dicit quod si non in fraudem confert se ille ad villam, vel castellum, vt quia ibi est summus Doctor, & competens exercitium studiorum, satis gaudet priuilegio (percipiendi fructus in absentia causa studiorum) pro hoc facit ista litera, vbi solum ponderatur, quod ibi nullum erat, vel minus competens exercitium studiorũ, quod satis mihi placet; vt consideremus potius mentem priuilegiantis, quam verba; nam priuilegium est indultum, vt possit proficere in studio, & scientia non autem ratione loci: nam cathedra non facit magistrum; sed magister cathedram 12. dist. cap.

non

non loca] quid melius ad rem nostram dici poterat?

4 Et quis his rationibus à Panormitano tam ingeniose, et solide põderatis negabit, gaudere priuilegio percipiendi fructus præbẽdæ in absentia causa studiorũ Canonicum, qui studet in Collegio Panormitano Societat. Iesu, in quo est lectio sacræ scripturæ, Duæ lectiones Theologiæ, altera de mane, altera de sero: duæ itẽ lectiones casus conscientiæ a distinctis magistris habitæ. Lectio logicæ; phisicę, ac metaphysicæ linguę hæbraicę, Græcæ, Mathematicæ, Moralijs philosophiæ: vnaqueque suos habens distinctos magistros, tandem lectio Rethoricæ, duę humaniorum studiorum classes; sex grammatiæ, binæ per ordinem primæ, secundę, ac tertiæ classis distributæ, singulæ singulos habentes præceptores. In quo sunt duo studiorũ Præfecti, vnus veluti supremus omnium studiorum Cancellarius, ac moderator. alter quoad mores regendos, & ad inferiora studia destinatus, vbi habentur Academiæ Princepa. Assistentes, Secretarius, disputationes, ac cõcertationes literarię mẽstruæ, hæbdommadariæ, ac diurnę, quis inquam negare poterit, si hunc textum legat, quem adduxi, & alium *capit.* 1. *de priuil. in* 6. huic similem, Collegium Panormitanũ Societatis Iesu excludi à Pontifice ob id, quod non sit studiũ generale, seu vniuersale erectũ à Papa, Rege, &c. ad hunc effectũ; includere verò alias vniuersitates, v. g. Calatabieronensem in hoc Regno Siciliæ Principis priuilegio erectam.

5 Hãc nostram sententiam pręter Monetam, qui illam in terminis docet, loquens de Collegio Soc. Iesu Mediolani, meo iudicio dabit aperte Panormitanus, vt ex eius rationibus paulo ante adductis patet. Ioannes Andreas *in d. cap. tuæ fraternitatis*, vbi ait, studium competens requisitum à Papa, esse illud, in quo sunt scholares sufficientes, cum quibus potest conferri. Hostiensis *in sum. tit. de magistris ver. quam scientiã, & in d. cap. tuę*, vbi ait, esse arbitrarium, quod nam dicatur studium Generale, & non requiri, vt sit vniuersale, seu vniuersitas.

6 Imo in hoc Collegio Panormitano nec potest dici, quod desint priuilegia vniuersitatis: cum enim ex Abbate *d. cap. tuæ de Cler. non residentibus num.* 3. priuilegia vniuersitatis sint, vt possint in ea doctorari aliqui ex Priuilegio Papæ, vel Imperatoris; studentes in hoc Panormitano Collegio possunt [quoscũque baccalaureatus, licentiaturæ, magisterij, & doctoratus in artibus, & Theologiæ gradus accipere, & postquam promoti fuerint in eis legere, disputare, & alios quoscumque actus ad id necessarios facere, & exequi, omnibusque, & singulis priuilegijs, prærogatiuis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, antelationibus, gratijs, & indultis, quibus alij in vniuersitatibus studiorum generalium rigoroso examine præuio, ac aliàs iuxta illarum ordinationes, vsus, ritus, & mores pro tempore promoti de iure, vel consuetudine, aut alias quomodolibet vti, potiri, ac gaudere possint; non solum ad eorum instar; sed pariformiter, & æque principaliter, absque vlla pænitus differentia, vti, potiri, & gaudere valeant in omnibus, & per omnia, perinde ac si gradus in vniuersitatibus, & non in collegijs huiusmodi accepissent] Ita

Iulius III. in bulla *Sacra relig. an.* 1552. *die* 22. *Octobris* Pius IV. *in bulla exponi nobis an.* 1561. *die* 19. *Augusti* Greg. 13. in Bulla *quanta in Ecclesia Dei.*

7 Quod priuilegium à tribus sũmis Põtificibus cõcessum, fuit ab Inuictissimo Imperatore Carolo V. & à Nostris Gloriosissimis Regibus cõfirmatũ, & passim singulis annis gradu doctoratus, post studiorum expletos cursus, scholares in Aula Collegij decorãtur: ergo etiam stando in sententia eorum, qui dicunt, perdictos textus *cap.* 2. *de priu. in* 6. *& cap. tua fraternitatis de Cler. non resid.* non gaudere priuilegio percipiendi fructus canonicatus, aut beneficij non curati eos, qui non student in vniuersitatibus erectis à Papa, Imperatore, &c. habentibus Vniuersitatum priuilegia; adhuc dicendum est, studentes in Collegio Panormitano Societatis Iesu gaudere hoc priuilegio fruendi, ac percipiendi fructus præbendæ in absentia: nam Collegium Panormitanum Societatis Iesu habet à Papa, & à Rege priuilegium doctorandi, & in eo doctorati, vt vidimus, sunt ac illi, qui in cæteris vniuersitatibus doctorantur, gaudentque ijsdem prorsus priuilegijs; nec alia sane fuit rationibilis mens Pontificum, dum voluerunt, Canonicos nõ posse fructus percipere in absentia causa studiorũ, nisi studerent in vniuersitate, scilicet, vt non satis esset quodcũque studiũ, sed deberet esse tale, in quo studentes proficere nõ mediocriter possẽt, ac euadere aliorũ magistri ob bonũ vniuersale Ecclesiæ.

8 Ad declarationes Sacræ Congregationis, quas adducit Garsias *loco cit.* 3. *part. cap.* 2. *num.* 81. *& num.* 117. facilis est solutio ex dictis, primo, Collegium Panormitanum Societatis Iesu habere requisita, quoad ea, quæ pertinent ad profectum discipulorum celeberrimę cuiuscumque vniuersitatis: imo etiã quoad pręcipua vniuersitatis priuilegia: quoad doctorandos suos studentes, ijsque communicandi omnia, & singula priuilegia cæterarum Vniuersitatum.

9 Facilius tamen, & expeditius dico, Cardinalium declarationibus [tam impressis, quam imprimendis, quam manuscriptis nullam fidem esse in iudicio, vel extra a quoquam adhibendam] nisi illis [quæ in autentica forma solito sigillo, & subscriptione Eminentiss. Cardinalis Præfecti Secretarij eiusdem congregationis pro tempore existentis munitæ sint] prout ex speciali decreto SS. D. N. Vrbani VIII. ann. 1631. in eadem sacra congregatione declaratum est, vt refert Lezana ex Barbosa *sum. tom.* 3. *v. sacra congreg. num.* 10.

10 Ita præter Gloss. Ioan. And. Abbatem, Hostiens, Monetam; quos citaui, aperte docet Archidiacon. in *cap.* 2. *de priui. in* 6. vbi dicit, requiri, vt studeant in studio generali, & non particulari Filiucc. *tom.* 3. *cap.* 6. *n.* 28. *v. tertio* assignari solet, Bassæus in *flor. theol. moralis num.* 7. *ver. residentia*, & alij, qui non requirunt, vt studeant in vniuersitatibus canonici, aut alij præbẽdati adhoc, vt fructus absentes percipiant; sed tantum; vt studeant iuri canonico, aut Theologiæ, & dum citant *cap.* 2. *& cap. tua fraternitatis* videtur intelligere, prout Glossa, & alij insignes canonistę intellexerunt, & sane vt ipsi textus, & ratio dictant.

11 Tantum noto, dictos Canonicos, secundum valde probabiliorem etiam opinionem, posse cau-

causa studiorum per septem annos abesse, vt ex Zerola Zecchio, & alijs probat Castropal. *dis. 3. pu. 9. num.* 11.

12 Imo si ex consuetudine in aliqua Ecclesia inductum sit, vt Canonici absentes causa studiorum lucrẽtur distributiones quotidianas, valet talis consuetudo, sic ex multis Sanch. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 110. *num.* 3. *in cons. mor.*

QVAERES VIII.

An professio fidei possit fieri in manibus alterius, quam Episcopi de illius commissione.

SVMMARIVM.

Auctores, qui affirmatiuam sententiam expresse tradunt, aut tenere videntur n. 1.
Professio fidei à Prouinciali electo facienda coram quo fieri debeat ibi.
Professio fidei facienda ab Episcopo nouiter creato, an possit emitti coram alio, ab eo, cui commisit Papa ibi, & n. 10.
Professio fidei ab habentibus beneficium, &c. an possit fieri per procuratorem n 2.
Iuramentum fidelitatis an possit fieri per procuratorem n. 3.
An possit fieri in manibus alterius, quam domini n. 4.
Canonicos non posse facere professionem fidei coram delegato ab Episcopo, vel Vicario n. 5.
Delegatus Principis non potest nudum ministerium subdelegare n. 6.
Excipere professionem fidei an sit actus iurisditionis ibi.
Assistere matrimonio non est actus iurisditionis n. 7.
Parochus cur non possit delegare nõ Sacerdoti, vt matrimonio assistat n. 8.
Regulares ex quo iure debeant emittere professionem fidei n. 9.
Opinio Fagundez n. 1. *positi, quam probabilitatem habeat n.* 10.
Argumentum in contrarium soluitur, & disparitas assignatur inter actũ faciẽdi professionem, & illam excipiendi n. 11.

1 AFfirmatiuam sententiam docere videtur Tamburinus in decal. *lib.* 2. §. 12. *n.* 1. vbi loquens de precepto ecclesiastico emittendi professionem, ait [tria circa hoc quoad beneficiatos decreta inueniuntur, primum est Trid. sess. 24. cap. 12. de reformat. vt prouisi de beneficijs curatis emittant professionem in manibus Episcopi, vel eo impedito (probabiliter sufficit si is adhuc non impeditus alij vices suas demandet) in manibus Vicarij, idque intra bimestre adeptæ possessionis beneficij] Tãburino fauere videntur Peyrinus de *reg. Præl. qua.* 2. *cap.* 2. *n.* 2. ibi [& debet fieri talis professio coram capitulo, vel Prælato deputando] & Fagundez in præc. dec. *lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 51. vbi docet Episcopum; quẽ designauit Põtifex, vt in eius manibus emitteretur fidei professio ab eo, qui nouiter creatus esset Episcopus, posse alteri id committere, quia delegatus Principis potest subdelegare; nisi Papa expresserit nomen proprium in designatione v. g. facias fidei professionem in manibus Ioannis Antonij Capobianco Episcopi Siracusani, vel nisi addatur in commissione; cum de tua prudentia confidamus, tibi mandamus, vt excipias professionem fidei ab N. emittendam: ergo sicuti Prælatus, coram quo à regularibus in suis Prælaturis, facienda est fidei professio, & Capitulum possunt

 id

id alteri committere iuxta Peyrin. Et Episcopus à Papa designatus per Fagũdez potest id alteri committere; ita etiam inferri potest, quod secundum hos Doctores, possit, Episcopus, vel Vicarius Gener. à Tridẽtino designati, alterum constituere, qui excipiat fidei professionem. Et hanc sentẽtiam docet in terminis, & expresse Vgolinus *de off. & pot. Epis. pa. 2. cap.* 50. §. 16. sed nullam affert rationem, aut auctoritatem.

2 Confirmari etiam posset dicta sententia hac cõsideratione: Concilium Trid. *d. cap.* 12. præcipit, vt fidei professio emittatur ab habentibus beneficium, &c. corã Episcopo, vel Vicario eius, & tamen præter multos antiquiores, quos citat, & sequitur Barbosa de can. & dignit. *cap.* 17. *n.* 5. Homobonus in consul. & resp. *quæs. mor. p.* 1. *res.* 16. Tambur. de iure Abbatum *t. 1. d.* 8. *quæ.* 3. *n.* 11. Campanili in diu. iur. Can. *rub.* 8. *cap.* 3. *n.* 19. Nauar. in sing. Canon. *singul.* 114. *n.* 8. Peyrinus *tom.* 2. *priu. q.* 2. *cap.* 5. *n.* 7. Fagundez *lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 45. *in præc. decal.* Castropal. *tr.* 4. *dis.* 1. *punt.* 19. *n.* 10. Bassæus *in flor. Theol. mor. v. fides* 2. & alij docent, posse emittere hanc professionem non per se ipsos, sed per procuratorem, tum quia qui potest per se ipsum aliquid facere, potest per procuratorem *l.* 1. *ff. de procurat. cap. qui per alium*, *& cap. potest quis de reg. iur. in* 6.

3 Tum quia hæc professio non est aliud, quam solemne iuramẽtum: at hoc etiam si sit fidelitatis potest præstari per procuratorem, Domino Feudi consentiente ex *cap.* 1. §. *verum de Statu regul. in* 6. Roman. *singul.* 807. *habuistis*. Ego ipse in *tractat. de vir. relig. tr.* 4. *lib.* 2. *d.* 13. ergo à pari quamuis Concilium mandet, vt fidei professio fiat in manibus Episcopi, vel eius Vicarij, eo impedito, videtur posse fieri in manibus eius, quem Episcopus designauit.

4 Probatur hæc vltima consequentia, quia iuramentum fidelitatis, quod ipsi Domino feudi præstandum est, potest fieri in manibus alterius cõstituti à Domino feudi per ea, quæ habet à Rossental. *de iur. feudal. tom.* 1. *cap.* 6. *tit. quibus modis feuda acquirantur concl.* 38.

5 Nullatenus tamen adhærere possum doctis Tãburino & Vgolino, quia nullam sui dicti afferunt rationem, vnde cum de hoc casu consultus essem à quodam Canonico, qui ante lapsum duorum mensium debebat facere professionem fidei, nec poterat procuratorem cõstituere in sua Diœcesi ob temporis angustias, & quia facultatem obtinuerat à suo Episcopo, volebat eam emittere hic Panormi coram procuratore ad hoc constituto ab Episcopo, dixi, non posse dictam fidei professionem fieri, nisi corã proprio Episcopo, vel eius Vicario Generali.

6 Fundamentum est quia delegatus etiam Principis non potest alteri subdelegare nudum ministerium sibi commissum, vt probat Felin. *cap. vltim. col. vlt. ver. quarto limita de. off deleg.* ex decis. Rotæ *decis. vlt. de off. Vicarij in antiquis* Paul. de Leaza. *in clem. Iudices de off. deleg.* Menoch. *cons.* 17. *vol.* 1. *n.* 12. Sanchez *de matr. lib.* 8. *d.* 27. sed recipere fidei professionem, seu assistere, dum illa emittitur à beneficiario, est nudum ministerium; non enim est actus iurisdictionis cum is consistat in iure dicendo, vel æquitate statuenda, vt constat:

ſtat: Epiſcopus vero, vel eius Vicarius nil aliud præſtare debent quam meram præſentiam, neque vllum verbum in formula profeſsionis fidei, quam per extenſum ponit Quaranta *ſumm. bullarij v. fidei profeſsio,* ad ipſum Epiſcopum dirigitur.

7 Probatur hæc minor, quia aſſiſtere matrimonio non eſt actus iuriſdictionis vt probaui *lib. 3. de matr. diſ.* 21. *n.* 2. ex Sãchez. ibi, & Henriquez *lib.* 11. *c.* 3. *n.* 4. *&* 5. & præter Doc. ibi cit. docent Pontius de matr. *l.* 5. *c.* 17. *n.* 14. Hurtad. *diſ.* 5. *diff.* 8. *n.* 26. Perez. *de matr. d.* 40. *ſeſ.* 4. quos citat, & ſequitur Dicaſtill. de matr. *diſ.* 3. *dub.* 10. *n.* 72. Caſtropal. *diſ.* 2. *de matr. pu.* 13. §. 10. *n.* 8. & alij, ergo etiam nec erit actus iuriſditionis aſſiſtere fidei profeſsioni emittendæ à Beneficiarijs, etc. nam Tridentinum tam in *d. ſeſ.* 24. *de reform. cap.* 12. requirit, vt profeſsio fidei fiat coram Epiſcopo, vel eius Vicario; tam in *ſeſsio.* 24 *de matr. cap.* 1. requirit, vt matrimonium contrahatur coram Parocho: ergo ſi Parochi aſſiſtentia dum contrahitur matrimoniũ non eſt actus iuriſditionis, ſed nudum miniſterium, ex eo quia is nullã tunc fert ſententiam, vt citati Doctores tradunt: etiam aſſiſtẽtia Epiſcopi, quando emittitur profeſsio fidei coram ipſo, non erit actus iuriſditionis, ſed nudũ miniſterium, quod non poteſt alteri ſubdelegari, vt diximus.

8 Probatur ſecundo noſtra reſolutio, non poteſt Parochus alteri committere, vt aſsiſtat matrimonio, niſi hic ſit ſacerdos, & hoc ideo quia Concilium Trid. præſcripſit, vt matrimonium contraheretur coram Parocho, vel alio ſacerdote de eius licentia, vt dixi *lib.* 3. *de matr. diſ.* 20. *n.* 5. ex Nauarr. *lib.* 4. *conſ.* 2. *edit. tit. de cland. deſp. con.* 6. & Henriquez *lib.* 11. *cap.* 3. dicente omnes id tenere: ergo cum in caſu noſtro Concilium preſcribat, vt fidei profeſſio fiat coram Epiſcopo, vel eo impedito coram eius Vicario Generali, non debemus dicere, poſſe fieri coram alio præter Epiſcopum, vel eius Vicarium.

9 Non obſtant meo iudicio, quę adduximus in fauorem contrariæ opinionis: nam doctrina Peyrini procedere poteſt, quia regulares ad prælaturã in ſuis ordinibus promoti tenentur facere fidei profeſſionem ex vi conſtitutionis Pij IV. *iniunctum*, habetur *tom.* 2. *bullar.* Cherub. *conſt.* 89. ibi tamen non determinãtur perſonæ, coram quibus ſit emittenda talis profeſſio, & ſic mirum non eſt, quod ſic vſu interpretante fiat coram ſuperiore præterito, vel eo, quem capitulũ elegerit; at Cõcil. Trid. aſſignauit Epiſcopũ, vel eius Vicariũ corã quibus facienda ſit profeſſio fidei à Canonicis, & beneficiarijs.

10 Opinio etiam Fagundez non modicam patitur difficultatem ob primum noſtrum argumentum, illa enim aſſiſtentia eſt nudum miniſterium, quod alteri delegari non poteſt, ſed demus illam opinionem eſſe veram; tamen non procedit, quando Papa delegans expreſſe voluerit, vt talis, & non alius Epiſcopus aſſiſteret, vt etiam concedit ipſe Fagundez, qui ad cognoſcendam Pontificis mentem recurrit ad modum commiſſionis, ſi fuerit, nec ne expreſſum nomen Epiſcopi, cui committitur, &c. prout ſupra diximus. in noſtro caſu certe Fagundez contrarium dicet, quia Concilium expreſſit, vt profeſſio fidei fieret in manibus

bus

bus Episcopi, vel eo impedito coram Vicario, neque reliquit libertatem substituendi aliũ, qui illam exciperet.

11 Et per hæc solues etiam rationem dubitandi in contrarium propositam, concedo enim vltro posse professionẽ fidei emitti per procuratorem (quamuis sciã sacram Congr. Conc. Tridentini *cap.* 12. à multis afferri pro cõtraria sententia, ac declarasse, nõ posse per procuratorem emitti, idque multos sentire, quos sequitur Sigismundus *de Cler. Prel. dub.*50. *à nu.* 3.) At nego receptionem, seu assistentiam, quam debet præstare Episcopus, vel eius Vicarius posse fieri per procuratorem. disparitas est, quia Conc. Tridentinum cum exprimit eos, qui debent emittere professionẽ fidei, non addidit aliquid expresse prohibens, ne fieret per aliũ, vt patet, nec est aliud vnde posset deduci talis prohibitio; nam finis Concilij fuit, vt beneficiati, & Canonici fidem suam palam profiterentur, qui optime, & integre seruatur, si fiat per procuratorem; is enim est merũ instrumentum Domini ipsum cõstituẽtis, adeo vt, si falsum ex cõmissione iuret, non ipse sit periurus, quoad pœnas periurij, sed Dominus; vt dixi de vir. relig. *tract.* 4. *lib.* 2. *d.* 13. *num.* 14. cum Castropalao, Bonacina, Trulench. ibi. at cum Concilium assignat modum huius professionis non solum dicit, fieri debere publice, sed etiam addit, coram Episcopo, & vt clarius ostenderet suam esse intentionem designãdi præcise personam, coram qua emittenda esset professio, ob rei grauitatem assignauit Episcopũ, & eo impedito, eius Vicarium, quę disparitas soluit etiam rationem vltimo loco positam; non enim in præstatione iuramenti fidelitatis assignatur præcise persona Domini, corã quo sit emittẽdum, sed assignatur Dominus tanquam terminus, cui honor, & fidelitas debetur, sac enim lex disponeret, vt ipsi Domino pręstetur iuramentum, & casu quo non posset ipse esse præsens, eius filio, certè non posset alijs præstari, quia ex hoc cognosceretur mẽs legis esse, vt præcise coram his fiat, & non coram alijs.

QVAERES IX.

An ad hoc, vt professio fidei emittatur coram Vicario, requiratur Episcopi licentia.

SVMMARIVM.

Vicarius Generalis Episcopi potest professionem fidei excipere sine Episcopi licentia n. 1.

An possit talem professionem excipere, etiam renuẽte Episcopo n. 2.

Quid intelligat Tridentinum dum ait, professionem fidei esse faciendam coram Episcopo, vel eo impedito, coram Vicario ibi.

1 NEgatiue videtur respondẽdũ, sed sufficit, quod sit cõstitutus Vicarius Generalis ratio est, quia Conc. Trid. non expressit, requiri ad hoc licentiam Episcopi, sed simpliciter statuit, vt talis professio fieret coram Episcopo, vel eo impedito, coram Vicario, per quæ verba si dicas, Concilium nolle coarctare beneficiarium, aut Canonicum, vt prius Episcopum requirerent, & si is nõ posset assistere tunc emitterent professionem coram Vicario, sed tantum significare conuenientius esse illam facere cessante impedimẽto, coram Episcopo, vt probabiliter

tra-

tradunt Garsia de beneficijs *p.* 3. *cap.* 3. *n.* 33. Filiuc. *tr.* 41. *cap.* 6. *n.* 8. Squillant. *de oblig. cleric. par.* 1. *n.* 92. Barbosa de potest. Episcopi *alleg.* 60. *nu.* 16. Sigismund. *de elec. Pral dub.* 50. si inquam hoc dicas, sequitur non requiri licentiam ab Episcopo, vt Vicarius possit assistere fidei professioni emittendæ: nam tam Episcopus, quam Vicarius sunt à Cõcilio designati, in quorum manibus professio fieri possit, & sic poterit Beneficiarius eligere quem velit, & facere professionem vel coram Episcopo, vel coram eius Vicario, ex Tusc. *v. dictio concl.* 268. Peyrin. *in const. Pauli* 3. *n.* 4. & alijs docentibus in alternatiuis sufficere, quamlibet partem verificari.

2 Si vero dicas, verba prædicta Concilij facere hunc sensum: fidei professio emittatur coram Episcopo, & si is fuerit impeditus coram Vicario, vt docent in simili modo loquendi Azor. *to.* 1. *lib.* 11. *cap.* 15. *q.* 9. Castropal. *tr.* 15. *dis.* 1. *pun.* 12. *fine*, & mihi certe verisimilius videtur; adhuc verum est non requiri licentiam ab Episcopo impedito, ad hoc vt professio fidei emittatur coram Vicario, quia Concilium ipsum subrogat Vicarium, sic purificata conditione quod Episcopus sit impeditus, aut nolit, Vicarius iure suo assistit professioni fidei emissæ; ergo non indiget Episcopi licentia; sed poterit etiam eo inuito excipere professionem fidei coram se factam; quia in hac delegatione est par ipsi Episcopo, & par in parem non habet imperium cap. innotuit de elect. *l. ille à quo* §. *intempestiuum ff. ad Trebellia.*



QVAERES X.

An satis sit Canonico emittere fidei professionem coram Decano, seu prima dignitate capituli.

SVMMARIVM.

Professio fidei debet etiam emitti à Canonicis coram Capitulo ex Trid. *sess* 24. *n.* 1.
Syndicus ciuitatis an possit sine mādato iuramētum fidelitatis præstare, quando ciuitas est feudataria n. 2.
Si plures fidelitatem præstare tenētur, an possint vnum eligere ad illam præstandam ibi.
Feudatarius si offendat primam dignitatem capituli domini, an censeatur capitulum offendere n. 3.
Canonici debent fidei professionem emittere coram alijs capitulariter congregatis n. 4.
Significatio verborum propria, & naturalis, aut ciuilis quæ. n. 5.
Capitulum quid importet tam secūdum communem vsum, quam secundum iura ibid.
Decanus seu prima dignitas an totum capitulum repræsentet n. 6.
Caput Capituli est Episcopus ibi.
Prima dignitas quando possit Capitulum conuocare, quid in votis præstare debeat, & quam habeat auctoritatem n. 7.
Professio fidei non potest emitti corā Episcopo, & maiori parte Canonicorum non congregatorū capitulariter n. 8.
Capitulum an possit ex mandato Episcopi congregari in domo ipsius n. 9.
Capitulum alibi, quam in solito loco congregatū an sit legitimum ibid.
Vicarius Capitularis totum capitulum repræsentat n. 10.

Pro-

Prouisis de beneficijs intra bimestre debent emittere professionem fidei; sed non in capitulo ibi.
Coheredes cur faciant vnum n. 11.
Cur offendens primam dignitatem capituli censendus sit capitulum offendere n. 12.

1 SVpponit præsens quæstio Cõ. Tridentinum sess. 24. de reform. statuisse vt, [prouisi de canonicatibus, & dignitatibus non solum coram Episcopo, seu eius officiali; sed etiam in capitulo idem facere teneantur] nempe professionem publicã fidei, & iuramentum permanẽdi in obedientia Ecclesiæ Romanæ, ita vt non sufficiat emittere professionem in manibus Episcopi, seu coram Episcopo; sed etiam debeat emitti in capitulo, hoc est corã capitulo Canonicorum, vt omnes Doctores agentes de hac materia supponunt; nam Conciliũ non spectauit ad locum materialem; vnde Barbosa *de pot. Episcopi alleg.* 61. *num.* 5. vbi ampliando dictam Concilij dispositionem ait, Canonicos etiam exemptos obligari ad faciendam fidei professionem coram Episcopo, & capitulo, sic alij passim ly in capitulo intelligũt corã capitulo.

2 Hoc posito, quidam non obscuri nominis iuris peritus cum Canonicus Diœcesis Mazariẽsis esset hic Panormi, nec posset professionem tempore debito emittere coram capitulo suæ diœcesis; putauit satis esse, si fidei professio emitteretur coram Decano eiusdẽ Ecclesiæ Mazariensis, qui forte reperiebatur Panormi, & erat prima dignitas illius Capituli, & Vicarius Generalis, quia hoc modo fieret d. professio fidei coram Vicario, & capitulo ducebatur ex Doctrina Baldi in *l.* 1. *q.* 65. *ff. de rerum diuis.* vbi ait, Syndicum Ciuitatis sine speciali mandato posse iuramentũ fidelitatis præstare quando tota ciuitas est feudataria, quia repræsentat totam ciuitatem, & plures, qui tenentur fidelitatem præstare, possunt vnum eligere, quo iurante, omnes iurare censentur ex Iacob. Aluart. *in* §. *omnes filij tit. de feud. defunt. num.* 8. Matth. *de afflictis ibid. num.* 16. Schench. *ibi n u.* 3. & alij: ergo à contrario sensu, qui tenetur præstare iuramentum coram capitulo satisfacit, illud emittendo coram Decano repræsentante totum capitulum.

3 Confirmatur. quia feudatarius offendens Decanum, seu primã dignitatem de capitulo censetur totum capitulum offendere, & sic feudum amittit, Ardiz. *in rubric. vtrum vassallus alicuius vniuersitatis cap.* 63. Iser. *in d.* §. *omnes filij nu.* 6. Præp. *n.* 4. *fine* & alij, ergo Canonicus emittens professionem coram Decano censetur illam emittere coram capitulo.

Dicendum nihilominus est, canonicum nõ satisfacere præcepto Conc. Tridẽtini faciendi professionem fidei in capitulo; nisi illam emittat coram Canonicis capitulariter congregatis, itaut tot sint, quot sufficiant ad hoc, vt capitulum sit legitime congregatum.

4 Probatur. verba Tridentini debent accipi iuxta significationem, aut propriã, & naturalem, quam posita hominum institutione habent in se, aut ciuilem, quam scilicet habent ex iure, vt à nobis alias probatum est, & videri potest Salas de leg. disp. 21. sect. 13. quocumque autem modo ly, in capitulo accipiatur, nõ potest intelligi de Decano, seu prima dignitate, etiam si habeat peculiare mandatum: capitulũ enim

enim secundum communem modum loquendi, & naturalem vocis acceptionem circa personas ecclesiasticas; significat collectionem Canonicorum, vel locum, in quo congregantur, vt apud omnes summistas ver. Capitulũ videri potest. Secundum vero iuridicam acceptionem, significat maiorem, seu saniorem partẽ Canonicorũ *cap. quia oportet de elect. c. 1. de his, quæ fiunt, à maior. part. capit.* Dueñas *reg.* 299. Hyppol. de Marsilijs *singul.* 376. & alij.

6 Neque habetur in iure, quod Decanus, seu prima dignitas repræsentat totum Capitulum, sicuti habetur, quod in Sindico vrbis repræsentetur ciuitas vniuersa, nam singuli Canonici nõ repręsentant capitulum, hoc enim est persona ficta, cuius caput non est prima dignitas, sed Episcopus *ex cap. nouit cap. quãto de his, quæ fiunt à Prel.* & docet Bassæus in flor. theol. mor. *v. capitulum à n.* 2. Bellam. *cons.* 20. *n.* 7. Tusc. *tom.* 1. *lit. C. concl.* 54. singuli autem canonici sunt personæ veræ, & sic non faciunt vnum cum Capitulo, nec ipsum repræsentant, vt probat Barbosa de Canon. et dign. *cap.* 36. *n.* 9. ergo cum Tridentinum statuit, vt Canonici professionem fidei emittent coram Episcopo in capitulo, nomine capituli non venit prima dignitas; sed collectio Canonicorum.

7 Vnde quamuis prima dignitas possit capitulum conuocare, diebus tamen solitis, vel quando instant Canonici, & nõ ad libitũ, ex sacra congreg. negot. Epis. et Regul. præposita in vna ripana die 6. 8bris 1617. et debeat primus votum dicere, & aliorum vota colligere, vt ex sacra congreg. docet Garsia de benef. *p.* 3. *cap.* 4. *n.* 26. tamen non potest decernere negotia capitularia cęteris canonicis inscijs, et nõ vocatis legitime, et extra locũ capitularẽ Barbosa *de can. & dig. cap.* 35. *n.* 3. ex Sacra cong. Rituum *in vna lamuc.* 7. *8bris* 1606.

8 Imo puto, quod non sufficiat pro obseruatione prædicti decreti, si professio emittatur corã Episcopo, et omnibus Canonicis, vel maiore parte, casu in Ecclesia, vel in domo Episcopi præsentibus; sed requiritur, vt ita sint capitulariter congregati, & capitulũ cõstituãt, aliàs nõ verificabitur, quod professio fiat in capitulo, seu coram capitulo.

9 At non erit necessarium vt talis professio fiat in loco solito, vbi capitulum congregatur, quia quamuis Episcopus non possit Canonicos adstringere, vt domi suæ capitulum conuocent, si solitum sit fieri in alio, ex Sacr. Cõgr. negotijs Episcop. & regul. pręposité sub die 1. frebuar. 1583. apud Barbosam de canon. *cap.* 35. *n.* 11. tamen non per hoc, nõ est verum capitulum, si congregentur Caonici modo, quo solent in locum capituli accedere, sacra enim Congregatio non dicit, Canonicos extra locum solitum non facere capitulum; sed non posse ab Episcopo adstringi, vt in suo Palatio congregẽnt capitulum: ergo tunc verificabitur, quod professio fiat in capitulo, quia concilium, vt supra dixi, non attendit ad capitulum materiale, seu locum capituli, sed ad Canonicos, capitulariter tamen congregatos.

10 Ad rationes dubitandi initio adductas solutio patet ex dictis. Nego enim primam dignitatem repræsentare totum capitulum. Imo quamuis totum capitulum repræsentaret, puta si prima dignitas esset Vicarius Generalis

M Ca-

Capitularis, prout nunc eſt *Panormi* dum hæc ſcribo Abbas Antonius Geloſus, qui eſt prima dignitas, & Vicarius Capitularis, ac totam Diœceſim magna prudentia, integritate, ac zelo regit, adhuc inquam dicendum eſt in caſu noſtro, profeſſionem fidei debere fieri coram Vicario, & coram Canonicis capitulariter cõgregatis, quia verba Concilij requirentis, vt talis profeſſio fieret coram Epiſcopo, vel Vicario, in Capitulo videntur aliud requirere, cum enim in beneficiarijs diſpoſuerit, vt [prouiſi etiam de beneficijs quibuſcumque, curam animarum habentibus teneãtur à die adeptæ poſſeſſionis ad minus intra duos menſes in manibus Epiſcopi, vel eo impedito coram Generali Vicario, &c.] de prouiſis de Canonicatibus plus requirit ſubdens [prouiſi autem de canonicatibus, & dignitatibus in Eccleſijs Cathedralibus, non ſolum coram Epiſcopo, ſeu eius officiali Vicario, ſed etiam in capitulo idem facere debeant] ergo cum Concilium exprimat, ſe pręter Vicarij præſentiam requirere etiam illam capituli, non eſt locus interpretationis, accipiendo verba improprie, per ea, quæ habet Merolla *tom.* 2. *d.* 4. *cap.* 9. §. 4. vbi probat, verba ſtatuti tradentis formam aliquã non poſſe accipi in ſenſu ficto, qualis proculdubio eſt accipere Vicariũ, ſeu Decanum pro toto Capitulo.

11 Ex quo etiam ſoluta manet ſecunda ratio, quia cohæredes ratione vnius hæreditatis pro indiuiſo habita faciunt vnum: neque Dominus feudi expræſſit ſuam voluntatem, vt feudatarius ſingulis hæredibus præſtaret fidelitatem, vt expreſſit cõcilũ, vt fidei profeſſio fieret coram Vicario, & in capitulo à Canonicis.

12 Tertia denique ratio, quod nimirum offendens Decanum cenſetur totum capitulum offendere non vrget: nam quoad honorem, & iniuriam tota ratio deſumitur ex hominum exiſtimatione, qui putant affici iniuria capitulum ob iniuriam factam Decano *arg l.* 1. §. *omnemq; iniuriam ff. de iniurijs l item apud Labeonem eod. tit.* §. *ſi quis Virgines*: at non habetur in hominum conceptu quod quæ fiunt coram Decano ſeu Vic. Generali capituli, fiant coram capitulo.

QVAERES XI.

An Epiſcopus poſſit Vicarium Generalem cõſtituere ſolum, vt beneficiarius coram eo faciat profesſionem fidei.

SVMMARIVM.

Negatiua ſententia ſuſtinetur n. 1.
Epiſcopus non poteſt Vicarium G. conſtituere ad hoc, vt exequatur diſpenſationem commiſſam Vicario Epiſcopi ibi.
Duo Vicarij Generales in eadem diœceſi, an posſint ab Epiſcopo poni n. 2.
An fidei profeſsio posſit fieri coram alterutro ex his, quamuis exiſtat extra diœceſim ibi.
Commisſiones ad diſpenſandum, an posſint ab alterutro ex Vicarijs expediri, ſi committantur Vicario Epiſcopi ibi.
Quid ſi ambo ſint Vicarij Generales, ſed vnus habet ampliorẽ poteſtatem, an tunc fidei profesſio posſit fieri in manibus vtriuſlibet n. 3.

Hoc

1 HOc consilium dederat doctus quidã recentior Beneficiario, qui detinebatur grauibus negotijs, ne faceret personaliter coram Episcopo fidei professionem, neque Episcopus volebat illam per procuratorem à Beneficiario constitutum admittere, hoc inquam consilium dedit, scilicet, vt Episcopus constitueret aliquem virum idoneũ suum Vicarium Generalem solum, vt verificaretur, professionẽ fidei fuisse emissam coram Vicario Generali Episcopi.

Respondi nihilominus non posse id fieri, quia talis Vicarius esset tantum deputatus ad hanc causam, vt supponimus, & sic reuera non esset Vicarius, seu officialis Episcopi, sed merus delegatus, vt dixi *l.8. de matr. dis.* 27. *n.* 23 ergo non potest coram eo fieri professio fidei, quia Concilium requirit, vt fiat coram Vicario Episcopi, hoc dabit Sanchez, *lib.* 8. *de matr. dis.* 27. *n.* 42. vbi docet, Episcopum non posse constituere Vicarium solum ad hoc, vt exequatur dispensationem commissam Vicario Episcopi.

2 Quod si ponas, Episcopum creare hunc v. g. Titium existẽtem Panormi suum Vicarium G. non obstante quod habeat alium Vicarium (quod fieri posse docent Felinus *in cap. causam matrim. de off. deleg n.*8. Vgolin. de off. & potest Episcopi *cap.* 4. §. 6. *n.* 4. & alij, quos citat, & sequitur Barbosa de pot. Epis. *alle.* 54. *n.* 126. vbi quamuis *n.* 127. addat limitationem, dummodo tales Vicarios constituat in loco, vbi Episcopus sedem habet) tamen non est contra nos, quia suppono creari quidam Vicarium Generalem existentem Panormi, at designari, vt assistat in loco, vbi Episcopus sedem habet, tunc inquã, posito quod iam sint duo Vicarij Generales habentes eandem autoritatem, licet vnus existat Panormi, poterit emitti professio fidei in manibus huius Panormi existentis, nam eligere potest Beneficiatus vtrumlibet, vt in simili docet Sanchez, *lib.* 8. *de matr. dis.* 27. *n.* 37. quam sequutus sum d. *dis.* 27. *n.* 17. *cum* Gloss. *cap. quoniam Abbas v. substit. de off deleg.* Abb. Host. Anch. & alijs, docentibus esse in potestate eius, cum quo est dispensãdum ex vi breuis Pontificij eligere alterum ex duobus Vicarijs.

3 At si ille, qui resideret apud Episcopum sit principalior ex eo quia ampliorem habet potestatem, quamuis hic Panormi creatus sit vere Vicarius Generalis, & officialis Episcopi: tamen non poterit beneficiatus coram eo emittere fidei professionem; nam cum Concilium designet Vicarium Episcopi, intelligendum est de principaliori ex *clem.* 2. *de rescrip.* Bald. *d. cap. quoniam Abbas n.* 4. *de off. deleg.* Imola *n.* 5. Bellamer. *n.* 21.

QVAERES XII.

An Episcopus, seu Eius Vicarius possit professionem fidei admittere extra suam diœcesim.

SVMMARIVM.

Professio fidei potest emitti coram Episcopo extra diœcesim propriam n. 1.

Iurisditio voluntaria quæ sit ibid.

Iurisditio voluntaria potest vbicumque exerceri n. 2.

Professio fidei emissa in capitulo, vbi est Vicarius, vel Episcopus tanquan Canonicus valet. n. 3.

Vicarius Generalis in capitulo non sedet pro tribunali ibi.

Episcopus in Capitulo tanquam Canonicus existens, quomodo sedere debet n. 4.

1 RESpondeo affirmatiue, quia recipere hanc professionem non est exercere actum iurisditionis proprie loquendo, sed est exercere nudũ ministerium, vt dixi quæst. 9. & ad summum reducetur ad iurisditionem voluntariam, nam non exercetur inter subditos sibi contradicentes; sed in subditos volentes, & sicuti assistentia Parochi in Matrimonio reducitur ad iurisditionem voluntariam ob hoc, quod non exercetur inter subditos contradicẽtes, vt probaui cum Enriquez, Segura, Speino, Salzedo, & alijs *lib. 3. de matr. dis. 19. à n. 2.* sic etiam reducitur ad iurisditionem voluntariam ista assistentia in emittenda professione fidei: nil enim aliud Concilium requirit, quam vt fiat coram Episcopo, vel eius Vicario.

2 Sed iurisditio voluntaria potest exerceri extra propriam diœcesim, & in alieno territorio, vt tradit Sanchez *lib. 3. de matr. dis. 19. n. 8.* ibi [voluntaria iurisditio potest vbiq; exerceri, cũ nullam enim causæ cognitionem, nec Iudicem sedentem pro tribunali petat, non est cur Iudex alterius territorij merito conqueratur, si in sub per alienum iudicem, erga illius alieni subditos exerceatur, habetur expresse *l. 2. ff. de off. Procons.* & notant ibi omnes scribentes, & *cap. nouit. de off. de leg.* & optime Couarr. *lib. 3. var. cap. 20. n. 8.* dicens esse omnium] ergo professio fidei potest emitti coram Episcopo proprio, vel eius Vicario existẽte extra suam diœcesim, neque potest Episcopus illius diœcesis merito conqueri, quia in emissione, & receptione professionis fidei nulla est præmittenda causæ cognitio, nec Episcopus debet esse pro tribunali.

3 Hinc si Canonicus emittat professionem fidei in capitulo, & ibi sit Episcopus, vel eius Vicarius tãquam Canonicus satisfit præcepto Tridentini, neque requiritur, vt fiat iterum coram Vicario, ex Nicol. Garsia de benef. *part. 3. cap. 3. num. 24.* dicente sic fuisse decisum à sacra congreg. in vna segũtina, & alijs passim; & tamen tunc Vicarius, facta illa suppositione, quod sit in capitulo tanquã Canonicus non sedet pro tribunali, neque vllũ exercet actum iurisdictionis: sed sedet in loco suæ receptionis vt tradit Aloys. Ricc. *in prax par. 4. resol. 389.* Seraphi *dec. 437. n. 5.* & Barbosa *de can. & dignit.* afferens plures Card. declarat. *cap. 36. num. 7.*

4 Nec etiam Episcopus existens in capitulo tanquam Canonicus sedet pro tribunali, & exercet causarum cognitionem. Imò aliqui, quos tacito nomine refert Barbosa *d. cap. 36. nu. 2.* volunt, eum debere sedere post primam dignitatem.

QVAERES XIII.

An emittens professionem coram Episcopo, vel eius Vicario nõ attendente, peccet mortaliter, & fructus beneficij amittat.

SVMMARIVM.

Prouisus de beneficio omittens professionem fidei, an peccat mor. n. 1.

1 AD intelligentiam casus propositi recolendum est, prouisum de canonicatu Cathedralis Ecclesiæ, vel de beneficio curato, siue sit prouisus in sede plena, siue in sede vacante (quo casu debet coram Vicario capitulari facere professionem, Ricciol. de iur. personarum extra gremiũ Eccles. exeit. *l. 1. cap. 13. num. 15.* Garsia de benef. *part. 3. cap. 3. à num. 23.*) siue per obitum beneficiarij, siue per resignationem Parisius de resign. benef. *lib. 3. q. 9. initio* Ricciol. *d. c. 13. num. 17.* peccare mortaliter non emittẽdo professionem fidei ex Garsia, Petro Ledes. Sanchez, Squillante, Homobono, & alijs, quos refert, & sequitur Barbosa de Canon. & dignit. *cap. 17. n. 20.* quamuis Thomas Tambur. *in decal. lib. 2. cap. 1. §. 12. n. 4.* non immerito putet probabile, non esse peccatum mortale, ducitur ex eo quod cum decretum Concilij Trid. *in d. sess. 24. cap. 12. de refor.* sit pœnale non obligat secundum probabilem oppinionem, nisi ad pœnam.

2 Porro huiusmodi pœna est amissio fructuum perceptorum post elapsũ bimestre à die adepti beneficij, intra quod non est emissa professio, itaut si postea v. g. post quatuor menses beneficiarius, seu Canonicus emittat professionem, prout tenetur, nam elapso bimestri non extinguitur obligatio, non recuperet fructus illorum duorum mensiũ, nisi per sacram Congregationẽ remittantur ex Barbosa de Can. & dignit. *cap. 17. num. 23.* & alij apud ipsum.

3 Quæ pœna amissionis fructuũ pro foro externo semper incurritur, cum nõ præsumatur ignorantia iuris tam clari ex Barbosa de pot. Episc. all. 61. numer. 39 At non ipso facto priuantur fructibus perceptis, vt putauit Azor.

zor. t. 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *qu.* 1. Garsia de benef. *par.* 3. *cap.* 3 *nu.* 35. Vgolinus de potest. Episc. *cap.* 50. §. *ib. num.* 4. Squilla. de obligat. Cler. *par.* 1. *num.* 98. & alij: sed post Iudicis sententiam Nauarr. *cons.* 3. *num.* 1. *de sum. Trin. in antiquis* aliàs *cons.* 12. *nu.* 1. *de iur. vir. in nouis* Sanchez *lib.* 2. *cap.* 5. *nu.* 10. *sum* & alij his positis.

4 Affirmatiue respōdit quidam Theologus, quia emittens professionem coram Episcopo v. g. dormiente, reuera non potest dici illam emittere coram Episcopo: nam non aduertens non cēsetur moraliter esse præsens *l. coram Titio* 299. *de ver. signif.* ergo non satisfacit præcepto Conc. & sic peccat mortaliter iuxta communem sententiam.

5 Confirmari potest ex doctrina à nobis tradita *lib.* 3. *de matr. dis.* 39. *num.* 1. vbi cum Sanchez Vega, Spino, Enriquez, Petr. Ledesma & alijs diximus ob eandē rationem, matrimonium esse nullum si fiat coram Parocho dormiente, vel ebrio, vel claudente aures, & oculos data opera ne aduertat, & vere nō aduertit: ergo etiam idem dicendū erit in emissione professionis fidei coram Episcopo, vel Vicario.

6 Cæterum in hoc casu ita distinguerem (saluo aliorum iudicio) si beneficiarius data opera eligeret Vicarium dormientem, vel ebrium, & tunc faceret professionem fidei, certe hic peccaret, et fructus intra bimestre amitteret, quia non obseruat pręceptum Tridentini ob rationes positas. Sed hoc moraliter accidere vix poterit.

At si reuera Episcopus accedit animo assistendi, quando beneficiarius Emissurus est professionem fidei, & cum illa emittitur dormitat, vel ita distrahitur confabulando, &c. vt non aduertat omnino ad ea, quæ dicuntur, puto Beneficiarium sufficientissime adimplere præceptum Concilij de emittenda professione fidei coram Episcopo: nam illa præsentia cum attentione virtuali erit sufficiēs ad hoc vt dicatur in nostro casu professio fidei facta coram Episcopo.

7 Et ratio disparitatis in casu nostro, & assistentia Parochi in matrimonio, quam diximus nō sufficere si actu Parochus non aduertat, etiam si adsit virtualis attentio, est quia assistentia Parochi requiritur ad hoc, vt ipse sit testis matrimonij contracti, & sic debet actu aduertere tunc, quando illud contrahitur, vt omnes docent, & præterea requiritur vt forma substantialis, & sic etiam si non obseruetur sine defectu alicuius matrimoniū nullum est, debetque ad vnguem seruari, vtrumque probaui *lib.* 3. *de matr. dis.* 17. præsentia vero Episcopi coram quo sit emittenda professio non requiritur ad hoc vt ipse sit testis, sed vt sua præsentia repræsentet Ecclesiam, cui Beneficiarius præstet iuramentum standi in fide Catholica, &c. neque requiritur vt forma substantialis ad valorem actus seu collationis Beneficij.

8 Nam de facto quamuis fidei professio omittatur, nō per hoc ammittitur titulus in beneficijs, & Canonicatibus, vt refert decisū Prof. Augustin. *in add. ad Quarātā lit. B. in fine.* Barbosa de pot. Episcopi *all.* 61. *num.* 27. & alij apud ipsum, qui igitur facit quātum est in se, & coram Episcopo professionem emittit censetur implere præceptum; esto ille ex sua malitia nolit attendere, nec debet pœnam priuationis fructuum

tuum sine sua culpa incurrere.

9 Quod omnino dabunt Doctores, qui putant beneficiarium omittentem fidei professionem ob ignorantiam, vel in aduertentiam non peccare, neque fructus omittere. sic Nauarr. *cons.* 4. *n.* 3. *consil.* 7. *num.* 2. & 7. *tit. de iur. iuran. in noua edit.* Sanchez *in sum. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 13. Sorb. *in comp. priu. men. ver. professio fidei not.* 2.

10 Et idem ego dicerem, nempe non peccare, nec fructus amittere Beneficiarium, si instet intra duos menses, velitque professionem fidei emittere, & Episcopus, aut Vicarius nolit assistere, quia tunc nulla est culpa beneficiarij: ergo nullam debet pœnā incurrere. Neque tenetur ad Metropolitanum appellare; quia esset sibi magnum dispendium habere Episcopū infensum ob appellationem, neque præcepta Ecclesiæ, quale est hoc Tridentini, obligant cum tanto dispendio. nostram sententiam dabit Henriquez, *lib.* 11. *c.* 3. *num.* 1. *com. lit. F.* vbi dicit [si Parochus accessit animo attendendi, sed tēpore contractus distrahitur euagatione mentis valet, quia habet attentionem virtualem, qualis sufficit pro alijs Sacramentis, & missa.

11 Vtrum autē satisfiat præcepto emittendi d. professionem, si fiat coram Episcopo Excommunicato, vide quæ dixi circa Parochum assistentem matrimonio *lib.* 3. *de matr. dis.* 21.

Quid si Vicarius sit reuocatus, vel sit mortuus Episcopus, & fidei professio fuit coram Vicario emissa *d. lib.* 3. *d.* 30. nolo enim aliàs dicta repetere.

12 Id mihi certum est, posse talē fidei professionem fieri coram Episcopo electo; & confirmato, quia est verus Episcopus, & hoc pacto venit quoad priuilegium habendi oratorium priuatum in propria domo vi cap. quoniam de priu. in 6. vt probaui *tom.* 4. *tr.* 2. *q.* 48. ac potest absoluere à casibus concessis *à Trid. sess.* 24. *de ref. cap.* 6. Episcopis, vt multis adductis, dixi eadem quæ. 48. ver. secundo quia.

QVAERES. XIV.

An professio fidei facienda sit à regularibus obtinentibus beneficium, habens curam animarum.

SVMMARIVM.

Regulares habētes beneficia tenētur facere fidei professionē n. 1. & 2.
Verba indefinite prolata æquiualēt vniuersali. ibi.
Regulares exempti tenentur facere professionem fidei in manibus Episcopi n. 3.

1 Circa præsentem difficultatē sic ait Doctus Pater Lezana *tom.* 2. *sum. cap.* 18. *num.* 38. [prouisi de beneficijs regularibus videntur etiā obligati ad professionem fidei faciendam, sicut alij, quicumque prouisi de beneficijs quibuscumque curam animarum habentibus iuxta Conc. Trident. decretum *sess.* 24. *ca.* 12. Cōcilium enim loquitur de quibuscumque prouisis ad beneficia curam animarū habentia, quamuis non exprimat an id de beneficijs sæcularibus solum, an verò etiam de regularibus intelligi debeat. Desidero tamen aliorum sententiam in hoc audire, cum nullum vsque modo viderim.]


2 Ego verò nullam in hac quæstione video difficultatem: nam Conciliū loquitur vniuersaliter de omnibus prouisis de benefi-

cijs

cijs curam animarum habētibus, & de omnibus obtinentibus canonicatum, aut dignitatem in Ecclesia cathedrali, ait enim *prouisi de beneficijs*, &c. vbi ly prouisi ęquiualet huic; omnes prouisi: nam verba indefinite prolata æquiualent vniuersali, vt docēt Dialectici, & ipsemet Lezana bene supponit: neque in Concilio defuit iurisdictio cogendi regulares omnes; & ideo hanc sententiam docuit ante Lezanam Garsia de benef. *par.* 3. *cap.* 3. *nu.* 16. vbi etiam affert declarationem sacræ congregationis his verbis [comprehenduntur etiam si fuerint regulares] Barbosa de canō. & dign. *cap.* 17. *n.* 6. & de potest. Episcopi *alleg.* 61. *n.* 6. citat Ricciulū *de iur. pers. extr. gremium Eccles. exis. lib.* 1. *cap.* 13. *nu.* 13. & nouissime id vt certum supponit noster Pellezarius *tract.* 1. *ca.* 10. *num.* 4. vbi quærens in quibus casibus teneantur regulares facere professionem fidei. Respondet [teneri in quatuor casibus, & primo quidem si ipsis conferatur beneficiū parochiale canonicatus, aut alia dignitas Ecclesiæ Cathedralis, aut etiam Episcopatus, idque ex Conc. Tridentino *sess.* 24. *cap.* 12. *de reformat.*

3 Neque obstat quod Cōcilium præscribat fidei professionem esse emittendam in manibus Episcopi, & regulares hodie vt plurimum sint ab Episcoporū iurisditione exempti, vt notat Cochier. de iur. ord. in exemptos *lib.* 2. *q.* 3. Lezana *ver. exemptio regu. num.* 4. Tamb. de iur. Abb. *tom.* 1. *dis.* 15. & alij: non inquam id obstat, quia professio debet emitti in manibus Episcopi, etiā ab exemptis, vt ex Nauar. *cons.* 1. *de sum. Trinit. in ant. aliàs cons.* 9. *de iur iur. in nouis.* Sayro. Petr. Ledes. Garsi. *d. cap.* 3. *n.* 21. vbi affert Cardinaliū declarationē, & alijs tradit Barbosa *in Trident. sess.* 24. *cap.* 12. *num.* 17. & hæc de fidei professione satis: alia apud cit. Doctores passim reperies.





TRACTATVS TERTIVS

DE SCANDALO.

QVAERES I.

An audientes Comædias obſcænas peccent peccato ſcandali, quatenus ſua præſentia, aut pecunia ſunt cauſa, ſeu occaſio, vt hiſtriones eas agant, & exerceant.

SVMMARIVM.

Comædiarum obſcænarum auditio eſt vt morum corruptela vitanda n. 1.
Repræſentantibus comædias obſcænas non eſt danda communio ibi.
Filius mimis ſe immiſcens exhæredari poterit ibi.
Quando excuſentur agentes comædias à mortali ib.
Magiſtratus mandans recitari comędias valde obſcęnas p. mor. n. 2
Quid ſi hiſtriones non puniat, & non prohibebat recitationem ibi.
Actiones, quæ permittuntur non approbantur ibi.
Audientes turpes comædias quando excuſentur à mortali n. 3.
Clerici in ſacris ſi aſſiſtant turpibus comædijs quando peccent n. 4.
Quid ſi religioſi videant d. comædias n. 5.
Inuitare amicum ad comædias d. vt plurimum eſt mortale. n. 6.
Theologi non debent eſſe faciles ad docendum aliquas actiones eſſe peccaminoſas, niſi ſint certi n. 7.
Audientes comædias non ſunt cauſa peccati hiſtrionum, eas repræſentantium n. 8.
Argumentum 1. Hurtadi affirmantis, eos eſſe cauſam peccati affertur, & diſſoluitur n. 9.
Qualis fuerit ſenſus D. Auguſtini de hiſtrionibus ibi.
Comædiæ antiquitus fæda turpitudine dabantur ib.
Ratio Hurtadi contra noſtram aſſertionem adducitur n. 10.
Soluitur d. ratio Hurtadi, & oſtenditur quo ſenſu ſpectatores dent comædo pecuniam, ob loci commoditatem, non ob fabulam n. 11.
Pecunia data Comædo ſi fabula non fiat, cur ſit reſtituenda ibi.
Pecunia data ad ducẽdum aliquem Romam ex ſuppoſitione, quod iturus illuc ſis, reſtituenda ſi non eas, ex defectu conditionis ibi.
Bardi opinio circa caſum poſitum qualis ſit n. 12.
Periculum peccandi non eſt, vbi quis raro ex ea occaſione peccauit n. 13.

1 SVppono pro praxi, conſulendam eſſe abſtinentiam ab auditione comædiarum obſcænarum,

narum, ac turpiter actarum, quia sunt morum corruptela ex Arist. *7. Polit. cap. vlt.* & in primis histriones illas repręsētantes, mortaliter peccant. Vnde illis neganda st communio ex *cap. pro dilectione de cons.* & in Iure ciuili *in auth. vt cum. de appell. §. Alia*, ponitur inter causas iustas exhæredandi filiū, si se nimis associauerit. sic D. Th. 2. 2. *qu.* 168. *ar.* 3. Sylu. V. *ludus n.* 8. & alij, quos citat, & sequitur Comitolus. *Resol. mor. lib.* 5. *qu.* 11. tantum in vno casu agentes has comædias à mortali excusarem, quando tantum recitarent ad vanam recreationem. Adde, & nullum graue aliorum peccatū timetur, quod rarissime accidet in praxi.

2 Secundo peccant mortaliter Magistratus, & Principes has comædias valde obscænas mandātes recitari, & hoc certum est ex Gaetano *V. Spectacula*, & ratio est manifesta, quia non potest sine peccato aliquis licite mandare, quod alius non potest sine peccato exercere. At non peccant si histriones non puniant, & non prohibeant pro aliqua anni parte, v. g. diebus baccanalibus, &c. ad vitanda alia grauiora mala in populo, sic expresse Nauarr. *lib.* 5. *cons. de Iudæis. cons.* 3. hoc enim non est approbare comędias huiusmodi *ex cap. denique dis.* 4. vbi permittuntur cōmessationes immoderatæ pro Dominica Quinquages. & seq. duobus diebus, & *cap. si quod verius* 33. *q.* 2. permittitur maritus adulterari ad vitādā occisionem vxoris, hæc autē actiones non approbātur ex *cap. meretrices* 32. *qu.* 4.

3 Tertio denique audientes comædias etiam turpes, & obscænas, & modo etiam turpi repræsentatas non peccant mortaliter, si illas ob curiositatem inspiciant sine periculo probabili lapsus in aliquod mortale, & sine delectatione rei turpis cogitatæ, quia audiere verba turpia, eaque loqui non est intrinsece malum, nam ea possunt dici v. g. ad docēdum, vel ex necessitate, &c. vt bene notat Sanch. *lib.* 9. *disp.* 46. *num.* 41. & est communis opinio, testibus Nauarr. *c.* 20. *n.* 14. Baldelli *lib* 3. *disp.* 18. *num.* 6. Petr. Hurtad. *de fide, spe, & char. disp.* 173. *sec.* 28. §. 352.

4 Immo addūt Doctores, nec Clericos in sacris peccare mortaliter, si intersint his comædijs ob illam solam curiositatem, quia iam hodie cessat scandalum, cum frequentissimum sit, has personas comædijs turpibus interesse, vt docent Dian. *par.* 2. *tr.* 17. *resol.* 35. citatis Sanch. Rodriq. Salas. Squillan. Bonacin.

5 Quod ego etiam intelligendū arbitror de Religiosis nō multū obseruantibus, qui quo ad populi motum perinde se habent, siue adsint, siue absint, non autem de Religiosis, quorum Religio est in magna veneratione; nam hi dant ansam populo putandi, licitum esse absolutè ea turpia videre, & audire: & quidem ita exprese de Religiosis Pellezarius *in man. tract.* 4. *cap.* 3. *nu.* 106.

6 At bene monet Petrus Hurtado *de scandalo disp.* 173. §. 361. sēper peccare mortaliter eos, qui amicum inuitant ad has comædias obscænas spectandas, quia non possunt scire periculum, quod fortè amicus subibit, nisi eius virtus sit satis nota inuitantibus.

7 Certe huius quęstionis resolutionem facile expedirem tenendo sentētiā affirmantem esse peccatum mortale scandali; siquod tutius est, ac viris timoratæ con-

scien-

scientiæ semper esset consulendũ; sed quia audio doctrina, & religione inclytum Ioannem Gersonem *l. 4. p. 3. de vit. spirituali litera O* sic aientẽ [Doctores Theologi non debent esse faciles ad asserendum aliquas actiones, vel omissiones esse peccata mortalia, imo nec venialia præsertim sub verbo vniuersali, maximè cum obseruatio communis obnititur, obuiatque, vbi non sunt certi de re] ideo rem totam minutius discutiam. quandoquidem, vt fere temporum deploranda conditio, omnes fere ad has comædias confluunt, & de primoribus ciuitatum.

8 Dico igitur audientes comædias non peccare peccato scandali dati, seu quod idem est, non esse causam peccati, quod committunt Histriones dando has turpes fabulas, easque repræsentando. Probabitur efficaciter hæc resolutio, quia nulla potest afferri ratio tale peccatum adducens, vti patebit solutione argumentorum, quæ afferunt Doctores contrarium sentientes.

9 Afferatur igitur Primo Petrus Hurtad. *d. disp. 173. sect. 28. §. 362.* qui absolutè docet affirmatiuam sententiam, quod hi peccent peccato scandali, aitque videri fortasse alijs nouam opinionem, at esse tam antiquam, quã S. Augustinum, qui tam apertè illam docuit *to. 8. in psal. 102. ver. faciens misericordias Dominus*. Hurtadum sequutus est Diana *par. 3. tr. 13. resol. 81.*

Mouetur Primo Hurtadus authoritate Augustini, qui *loc. cit.* dicit, quod donans histrionibus, accendit nequitiam operis humani & *to. 9. tract. 100. in Ioan.* ait, esse immane scelus donare res suas histrionibus. Hoc argumentum, ni fallor, parum habet roboris ad probandum intentũ. Nam in primis S. Aug. ac cæteri Patres coæui valde contrà comœdos inuehebantur, totisque viribus procurabant, vt homines ab eis abhorrerẽt; quia vt obseruat Mariana *tr. de spectaculis c. 8.* Comædiæ dabantur à fæminis, & maribus toto corpore impudicissime nudato. Deinde aliud est sua bona expendere in his histrionibus alendis, aliud est hoc tempore, quo non est tanta turpitudo, procurare sibi locum pecunia commodum quis non videt? de primo loquutum esse D. Augustinum, vt ex verbis, & contextu legenti patet, non de secundo.

10 Secũdo adducit Hurtadus rationem, quam vocat §. 363. euidentem & §. 365. apertam demõstrationem, quia inter accedentes ad comediam videndam, & histriones initur quoddam pactum. Histrio ait, faciam fabulam, si des pecuniam, & accedentes spectaturi, damus, si fabulam dabis: ergo. probat antec. quia si comœdia non fieret, teneretur comædus restituere pecuniã, quod est signum pecuniam dari in vim pacti, & addit hoc exemplum confirmans suam rationem. Si ego dico tibi: accipe duos aureos cum conditione, vt me Romam ducas ex suppositione quod illã petas, tu non teneris Romam petere, nec mihi restituere duos aureos, quod Romam non petas, quia illi duo aurei non sunt dati ex pacto, vt Romam petas; sed facta suppositione, quod es Romam iturus; ergo posito quod Comædus teneatur restituere, quod accipit à spectatoribus, &c. fuit verum pactum initum.

11 Hoc argumentum vnico verbo dissoluitur, negando fieri ta-

le pactum, sed longe diuersum, etenim ego nõ rogo te, vt facias fabulam; immo etiam nollem, sed posito quod habiturus eam es, do hanc pecuniam, vt locum habeam ad eam spectandam. certe hoc pactum nullum continet peccatum, aut inductionem ad illud, vt ipsemet Hurtadus fatetur, neque video, vnde posit contrarium probari.

Nam ex eo, quod si fabula non agatur, comædus restituere teneatur pecuniam pro loco acceptã, non sequitur pactum fuisse initiũ modo, quo ipse Hurtadus supponit; nam pecunia restituitur, si fabula non fit, ex defectu conditionis, sub qua transferebatur dominium illius pecuniæ, vt diximus, nempe posito quod facturus sis, do; & si non esses acturus, non darem. Si vero locus nõ conseruaretur, tunc verum est, quod teneretur pecuniam restituere ex violatione pacti, & promissionis, vt bene soluit Ferrantinus *disp. 1. de scandalo qu. 99. n. 40.* Vnde si fabula non haberetur non posset iure conqueri spectator dicendo; histriones fuisse pacti violatores; sed ad summum fuisse mendaces, at si locum non darent, eos meritò appellaret infidos pacti violatores, & contra non possent comædi conqueri contra eos, si nõ venirent ad comædias spectandas, vt pacti violatores, nec tenerentur ad interesse, quod histrionibus obuenit, quia v.g. cum essent pauci comœdia non fuit data, & ipsum exẽplum, quod apponit Hurtadus de ituro Romã, quatenus negat, teneri restituire pecuniam, si nõ eat falsum est, nam defuit condi- tio, sub qua fuit data pecunia, licet pactum non fuerit fractum, vt patet consideranti, et si non eat Romam, tenetur illos duos [illegible] restituere.

12 Alia leuiora argumenta huius Doctoris omitto, quia inter legendum inueni soluta à Ferrantino *l. cit.* Fauent etiam huic resolutioni Bardi *in selectis lib. 9. qu. 2 sect. 15. n. 5.* vbi ait, hos posse excusari à peccato scandali, dicitque speculatiue hoc esse certum, quia non habent influxum in illam actionem, licet addat practice rem esse periculosam, quia multitudo confluentium potest esse motiuum excitans, sed de hoc iam diximus. Videntur etiam tenere omnes DD. qui absolute dicunt, non peccare mortaliter spectatores comœdiarum, nisi adsit periculum, &c. & non dicunt peccare ratione scandali, &c.

13 Vnum non desinam adnotare valde notandum, quando Doctores aiunt, spectatores comœdiarum huiusmodi non peccare mortaliter, modo absit periculum peccati, & consensus in venereas delectationes, vel modo non sint experti periculum, &c. esse ita intelligendum, vt tunc censeatur periculũ, quando quis expertus est quod fere semper quando hæc turpia audit lapsus est in peccata, non autem si semel, aut bis, aut raro, Ita colligo ex Sanch. *lib. 9. dis. 45. n. 6.* Gaetan. *Sum. V. Periculum*. Armilla *n. vn.* Nauarr. *sum. cap. 3. n. 14.* & alijs, qui docent, tunc esse periculum probabile in pollutionem, vel in turpem delectationem, quando aliquis expertus est se in simili occasione fere semper in culpam mortalẽ labi. Ita illi.

QVAERES II.

An saltem primi accedentes ad comædias peccent peccato scandali respectu Comædorum.

SVM-

SVMMARIVM.

Quid in proposita quæst. senserint aliqui Doctores n. 1.
Refellitur dictorum opinio n. 2.
In magna multitudine ad comædias confluente moraliter non dantur primi ibi.
Ex quatuor dantibus sententiam iniustam, primi tres tenentur ad restitutionem ibi.
Ingredientes vineam, & modicum damnum singillatim afferentes; at magnum ratione omnium an peccent mor. n. 3.
Agnum immolandum Idolo vendere, an sit peccatum n. 4.
Tabernarij ministrãtes cibos vetitos quãdo excusantur à culpa ib.
Religiosi etiam ex consuetudine eborum omittentes non peccant mortaliter n. 5.
Quid de tota communitate ibi.
Compelli quando possunt subditi ad matrimonium n. 6.
Tota multitudino est occasio recitandi comædias histrionibus; at nullus in particulari potest dici occasio ib.

1 VIdētur aliqui Doctores, vt Angelus *V. Ludus qu.* 8. Alphon. de Mendosa *quod l. 9. q. de comæd.* Baldelli *lib. 3. disp. 16. n. 11.* prout illi tribuit Diana *par. 5. tr. 13. ref. 31.* mitius loquuti, quam Hurtadus, de quo *qu. præced.* Dicunt enim vniuersaliter, peccare mortaliter omnes illos, qui scientes turpitudinem comœdiæ primi ad illam confluunt, & Histrionibus pecuniam soluunt, quia reuera per ipsos est, vt comœdia detur. Postquam vero sufficiens numerus iam confluxit, & externo peccato histrionum, iam est data sufficiens causa, non videtur damnandus, si quis alius accedit, quia non ipse dat caussam eorum peccato, sed primi.

2 Verum hæc opinio eodem prorsus modo refellitur, ac illa Hurtadi, non enim primi ineunt pactum, neque excitant comœdos; sed accedunt primi ad locum meliorem procurandum, cum iã sit condicta; & publicata dies, vt mos est, quando datur comœdia. ad hoc autem, vt vitentur omnes difficultates circa hanc rem, aduertendum est nos esse in materia morali, & non metaphysica, quare non bene quis argueret, si Histriones nõ viderẽt auditorium, comœdiam non repræsentarent, ergo singuli de auditorio peccant, vel saltem primi, nego enim consequentiam. neque valet argumentari ex paritate hac cum Hurtado *d. disp. 173. de scandalo* §. 369. sint quatuor Iudices, qui debeant dirimere litem, tres primi, qui dederunt sententiam iniustam peccarunt mortaliter, & ad restitutionẽ tenentur iuxta cõmunem Doctorũ opinionem, ergo primi, qui cõfluxerunt ad comœdiam caussarunt peccatum scandali: nã moraliter non est ista prioritas, & posterioritas in tanto numero, et si hi non venirent, non propterea deessent, qui comœdias spectarent.

3 Rem explico exemplis, si multi vineam ingrediuntur non ex compacto; sed casu, et vnusquisque racemum accipiat, ita vt ab omnibus graue damnum inferatur, certum est, neminem ex his peccasse mortaliter, hoc ideo, quia vnusquisque nõ concurrit, nisi leuiter ad damnũ iuxta Molin. *disp. 374. num. 2.* Dicastill. *lib. 2. de iust. dis. 4. dub. 2.* et alios passim, ergo similiter qui dat sex tarenos pro videnda comædia, siue primus, siue vltimus parum monet comœdum, et alij omnes simul fuerunt occasio adæquata dam-

damni spiritualis comædi, nullus autem singillatim.

4 Similiter (quod est exemplum Ferrantini *de scandalo disp. 1. q. 99 num. 39.*) Sanchez *in decal. lib. 1. c. 7. nu.* 16. cum alijs multis putat non esse mortale vẽdere agnum Infideli, quem scit emere ad immolandum Idolo, vel fucos mulieri, quos illa adhibebit ad alliciendum turpiter aliquem, si scit quod ipso nõ vendente, alij erũt, qui vendent, et Bonacina *de peccatis disp. 2. qu. 4. p. 2. §. vnic.* excusat tabernarium, et cauponem, qui ministraret hospitibus cœnam, quos videt esse paratos ad frangendum ieiunium, et se negante cibos, alij erunt, qui vẽdent, ergo nec singuli accedentes ad comediam censendi sunt occasio histrionibus peccati, quia ipsis non accedentibus, alij erunt.

5 Certe obligatur tota communitas Religiosorum non deserere chorum sub peccato mortali, et tamen nullus Religiosus singillatim omittens chorum peccat mortaliter. vt docent Castropalaus, et Bonacina. Ille *disp. 3. pu. 2. num. 3.* hic *d. Hor. Canon. disp. 2. q. 1. pu.* 1. Pellezarius *tr. 5. cap. 8. num.* 15. & ego latius probaui *de Vir. Relig. tr. 5. l. 4. d. 4. num.* 9. qui addunt, neque peccare mortaliter Religiosũ quamuis chorũ omittat ex consuetudine, ergo.

6 Tãdem extat præceptum matrimonij, & multiplicandi genus humanum ad compellendum subditos, vt contraherent matrimoniũ in casu necessitatis, vt ex D. Tho. Paludan. Soto. Henriq. Ledesm. Vega, & alijs docet Sanchez *lib. 2. d. 3. nu. 3.* ego ipse *d. disp. 3. de matrim.* vbi Pontio satisfeci: At quis sanæ mentis dixerit, hos vel illos profitentes Religionem peccare mortaliter, quia contra naturale præceptũ nõ ineunt matrimoniũ. Responsio enim Doctorum communis est, hos excusari à peccato, & laudabilius agere iuxta Christi Domini cõsilia, quia alij sunt ad multiplicationẽ generis. Sic plane quãuis tota cõmunitas possit censeri occasio histrionibus faciendi comædiam, quia si omnes non accederent, non fieret, at nullus est, qui possit dici occasio, cum ipso deficiente, alij non erunt moraliter defuturi. Ita etiã tenet Ferrantin. disp. 1. de scandalo q. 99.

QVAERES III.

Quando peccent viri graues, & auctoritate pollentes vt Senatores, mariti, &c. ratione comædiarum obscænarum.

SVMMARIVM.

Senatores, ac viri principes, &c. adeundo comœdias non peccant, si non excitant histriones n. 1.

Quid sibi rideant, & delectationem capere ostendant n. 2.

Viri principes graues, &c. peccant, si aliquem turpia loquentem audiant, & simulent delectationem n. 3.

Causæ excusantes Patresf. à mortali, dum sinunt vxorem, & filios ad comædias accedere quæ sint n. 4.

Preces importunæ causant metum grauem ib.

Quando excusetur qui potest malũ in alio vitare, & non vitat. n. 5.

Pictores dum pingũt picturas valde obscænas, quando possint à mortali excusari n. 6. *Vbi de dominis eas exponentibus.*

1 PEtrus Hurtad. *de fide spe, & char. vbi de scandalo subsect.* 8.

ab-

absolute ait, peccare mortaliter omnes auctoritate pollẽtes, vt senes graues, senatores, litteratos, fœminas principes, & nobiles, item omnes personas florentes christianitatis exemplo, & omnes homines, qui permittũt suas vxores, filios iuuenes, & filias hæc adire theatra. at nimis rigidè loquitur. Distinguenda hæc sunt, quando dicti viri nobiles, & senatores, aut litterati, &c. antecedenter comædos excitarent ad fabulam turpem habendam, non autem, si quando Histriones eam faciunt, accedunt, & locum eligunt digniorẽ, ac pro eo plus pecuniæ offerunt, nam quoad alios spectatores attinet, nullum caussant scãdalum actiuum, quia alij independenter ab his accederent, vt iam de Sacerdotibus, & Religiosis supra qu. 1. n. 5. ex multis Doctoribus ijsque grauibus dictum est, & certe maiorem excusationem hos habere, quam cęteros Sacerdotes, & Religiosos, quis non videat.

2 Immo nec hi sunt damnandi peccato mortali, vt bene aduertit Baldell. *lib.* 3 *disp.* 18. *nu.* 7. de Sacerdotibus, quamuis rideant, ac delectationem capere ostendant, si reuera non delectentur de obscęnis, sed de illorum artificio, horum enim risus in tãta multitudine vix attenditur, & in comædijs vt plurimum nõ est plausus turpitudinis, sed artificij.

3 Contra vero libẽter admitto, esse peccatum mortale, quando aliquis ex his audiret in particulari aliquem turpia loquentem cum peccato mortali, & rideret, ac plauderet, esto enim is non peccaret interius ob veneream delectationem, tamen risus ille respectu loquentis est quædam approbatio rerum turpium in homine, qui habet auctoritatem huiusmodi, & potest sua modestia saltem compescere illum narrantem, vt notat Ferrantinus *qu.* 69. *n.* 19. at in auditione Comœdiarum non ita accidit, quia siue senex, aut princeps rideat, siue cõ, iam illa fabula dabitur, nec aliorum deerunt plausus.

4 Nec etiam tam facile damnari debent vniuersaliter viri permittentes suas vxores, iuuenes, & filios accedere ad talia spectacula valde turpia, sed distinguendam censeo, si maritus sine suo magno incommodo potest vxori, & filijs prohibere adire talia spectacula, tenetur communiter, quia cum sit caput familiæ debet occasiones peccandi ab eis amouere quantum potest: at si ex illa prohibitione timeat maritus aliquod graue incommodum v. g. indignationem Principis inuitantis, rixas graues inter cõiuges, & filios, aut preces importunas vxoris, & filiorum, quę sane æquiparantur metui cadenti in virum constantem ab Vbaldo *inter consf. matr. Zileti cõs.* 46. Martino Garatis *cons.* 15. *num.* 17. & alijs, aut saltem est graue onus eas audire, tunc puto, nullum esse peccatum ex parte viri, quia illa est tantum permissio, & non punitio ob iustas caussas, vt ex supradictis in Magistratibus, &c. patet, & certe ipse Hurtad. *subs.* 8. §. 352. dicit non peccare accedentes ad comœdias, quando non possunt sine graui damno illis abesse, & graue damnum quale sit, addit, quia tenentur comitari heros, aut custodire aliquam fœminam: ergo multo magis debet æstimare graue malum marito habere cõtinuo vxorem rixantem domi, & obmurmurantem.

5 Certe S. Tho *in* 4. *dis.* 73. *qu.* 2. *ar.* 2. *ad primum* melius dixit [aliquem

quem quia prohibere poteſt, non peccare, ſi nō prohibeat non ſperans correctionem, ſed maius malum exiſtimans ex tali prohibitione.

6 Hinc obiter noto, non eſſe abſoluendos pictores, qui pingunt picturas valde obſcænas, & nolunt ab hoc deſiſtere ſolum ob lucrum, quia picturæ hæ ſolent valde mouere ad turpia, vt bene Salas *tr.* 13. *diſ.* 16. *ſec.* 24. *n.* 166. et alij.

Placent tamen limitationes quas affert Ferrātinus *d.* 1. *qu.* 69. ad excuſandum hos pictores à mortali, vt ſi ſenem nudum pingerent, ſi eo ſitu, vel modo fiat pictura nudata, vt non præferat tantam inhoneſtatem, ſi in loco diſtanti poneretur, ſi pictura eſſet valde rudis, ita vt potius moueret ſpectatores ad riſum.

Idem iudicium eſto de Dominis eas exponentibus.

QVAERES IV.

An Pictor pingens amaſio puellam poſſit excuſari à peccato ſcandali?

SVMMARIVM.

Pingere amaſio puellam non eſt intrinſece malum n. 1.

Vnde dignoſcatur quādo actio dans peccandi occaſionem non ſit ſcandalum ib.

Cauſæ excuſantes pictorem in d. caſu afferuntur ex aliorum doctrina n. 2. *&* 3.

Auctoris iudicium, & examen circa dictas cauſas n. 4.

Aſſignantur ab Auctore cauſæ ſufficientes ad excuſandum pingentē amaſio puellam n. 5.

1 HVnc peccare mortaliter cōſtat apud Doctores; ſed quia hoc non eſt intrinſece malum, neque pictura continet deformitatem obſcænam, fatendū eſt, poſſe id eſſe licitum ex aliqua iuſta cauſa, eſto contradicat Albertus de Albertis *de ornatu mulier. diſ.* 1. *cap.* 5. Pro cognoſcenda autem cauſſæ iuſtitia, qua poſita mea actio, qua proximus peccat, non erit ſcandalum datum, ſed ſcandalum acceptum, aſſignāt hanc regulam Doctores, vt quo actio mea eſt remotior ad malum abuſum, eo minor cauſſa requiratur, quo vero proximior, eo maior cauſsa debeat eſſe, apud Bard. *in ſelect. lib.* 9. *qu.* 1. *ſec.* 2. *n.* 5.

2 Hinc aliqui dixerunt, cauſſam excuſantem pictorem ſolum eſſe timorem mortis, vel vulnerationis. Ita Caſtropal. Alphonſ. de Leone, quos citat, et ſequitur Diana *par.* 5. *tr.* 7. *reſ.* 5. *& p.* 11. *tr.* 5. *reſol.* 5. Baſſeus *in Flor. Theol. v. ſcandalum* §. 5. *n.* 10. Ottenell. *tr. de comœdijs*. Alij vero vt Tamburin. *in Decal. lib.* 5. *cap.* 1. §. 4. *num.* 28. putat, quod ſi tanta eſſet pictoris neceſſitas, vt eo lucro indigeret ad victum, vel quid ſimile, liceat pingere ſemel, aut iterum.

3 Denique Pater Ferrantinus *d. diſp.* 1 *de ſcand. qu.* 69. *num.* 60. vere ingenioſiſſimus vir putat, eam cauſam ſufficere ad excuſandum pictorem, quæ ſufficit ad excuſandum à peccato ſcandali petentem mutuum ab vſurario, ac ſoluentem vſuras.

4 Ceterum ex his ſententijs prima ſatis rigida videtur, nam Pictor famulatur petēti in re de ſe non mala, qua petens poteſt vti bene, vel male, et præterea petens eſt paratus ad malū; ergo nō eſt tāta cauſa exigēda, nēpe mors, aut vulneratio, cum minor cauſa requiratur ad vendendum Idolū

In-

Infideli, aut ad dandū carnes parato frangere ieiunium, vt docent Merolla *dis 2. cap. 4. n.* 259. Syluest. *v. Infidelitas qu.* 4. et alij.

Secunda non videtur consequenter loqui, si enim indigentia ad victum; vel quid simile est causa excusans pro vna, vel altera vice, cur non excusabit quoties talis caussa adsit? & sic non semel, aut iterum, sed quoties erit talis indigentia.

Tertia denique videtur nimis laxa, nam caussa sufficiens ad petendum mutuum cum vsura ab Vsurario non solum est grauis necessitas, aut carentia eorum, quę requiruntur ad proprium statum, sed etiam carentia pecuniæ necessariæ pro apparatu vestimentorum, domus, &c. iuxta propriam conditionem, vt notat cū Caetano, & Soto Pontius *de matrim. lib.* 5. *c.* 18.

5 Quare mihi videtur dicēdum, sufficientem causam esse timorē, ne amicum valde intrinsecum amittat, ne incurrat Principis indignationem, amissionem magni lucri, vel quia petens soluit magnam summam, vel quia dat pictori occasionem lucrandi in alijs rebus, & familiam alendi cum decoro.

QVAERES V.

An sit peccatū scādali dati si mulier se ornet, vt pulchrior appareat Principi, ad quem accedit gratiam aliquam impetratura.

S. I.

Ponuntur aliqua scitu digna ad solutionem propositæ quæstionis, circa mulierum ornatum.

SVMMARIVM.

Excessus in ornatu mulierum non est mortale n. 1.
Ornatus mulierum potest etiam cū merito fieri n. 2.
Excessus in potu, &c. quæ per se mala non sunt, est tantū venialis culpa. ib.
Ornatus mulierum non inde dicēdus peccaminosus, quia mulier aduertit multos ex eo fore peccaturos n. 3.
Qui odio à multis habetur non tenetur à publico abstinere ibi.
Doctores dicentes, esse mortale ornatum mulierum non possunt loqui de his quæ non incedunt toto pectore nudato n. 4.
Mulier an teneatur ob periculum peculiaris personæ ab ornatu abstinere n. 5.

1 NOn est quæstio digna longiori discussione hoc tempore, quo tot Doctores ad satietatem de ea scripserunt; an hæc mulier peccauerit mortaliter si se ornatu superfluo composuerit, nam quamuis mulieres excedant in ornatu per pigmenta, & comam apposititiam, per intortos capillos, per nuditatem pectoris, per ornamenta aurea, & gemmata, per nouas vestium formas, quamuis his vtantur supra statum, non tamen peccant mortaliter, quidquid in contrarium dicat Albertus de Albertis *in Paradoxis de ornatu mulierum disp.* 2. *cap.* 1. & post ipsum Marchant. *in trib. Sacram to.* 3. *tr.* 2. *tit.* 2. *qu. incid. resol.* 3. §. 1. *reg.* 1. possunt ambo acquiescere doctissimo, & Religiosissimo Lessio *l.* 4. *de iust. cap.* 4 *dub.* 14. *num.* 105. Is enim ibi ponit statum quæstionis sub ijsdem terminis, sub quibus nos modo diximus, & post-

O

postquam argumenta probātia, esse talem excessum peccatum mortale attulisset; num. 106. tenet contrariam sententiam, quā communiorem appellat, & per varias cōclusiones claritatis gratia illam probat.

2 Summa eius argumentorum est, quia quando aliquid non est per se malum (vt omnes dicant necesse est, esse mulierum ornatum, qui de se est indifferens, nam potest bene vel male fieri, & de facto Sancta Iudith vsa illo est in bonum finem, Iezabel vero in malum) tunc excessus in appetitu, vel vsu illius non est nisi peccatum Veniale ex S. Tho. 2.2. *qu.* 169. *ar.* 2. & alijs communiter, vt est excessus in potu, cibo, &c.

Subdit idem Lessius *loc. cit.*
3 doctrinam valde dignam in hæc verba [Notandum tamen non ex eo censeri ornatum scandalosum, quod multi occasione illius putētur ad praua desideria prouacandi, vt rectè prędicti Doctores dicunt, alioquin etiam naturalis pulchritudo scādalosa esset; nam multo magis prouocat, quam artificiosa; cum natura lōgè superet artem. Itaque etiamsi fœmina putet aliquos peccaturos, non tamen idcirco sub P. M. tenetur talem ornatum dimittere, sicut is, qui à multis odio habetur, non tenetur à publico abstinere, vt inimicis non detur occasio odij.

Ratio est quia ornatus iste solū remote ad malum prouocat; ergo non tenetur ab eo abstinere, ne alij peccent, alioqui perpetuo deberent abstinere (cum illa occasio sit perpetua, & vniuersalis) quod nimis graue esset humanæ conditioni, sufficit igitur, vt ei peccatum proximi displiceat, & eius salutem non contemnat] hæc omnia Lessius, cui possunt addi Tamburin. *in decal. lib.* 7. *c.* 8. §. 8. Layman *to.* 1. *lib.* 2. *tr.* 3. *c.* 13. *nu.* 11. Bardi *in selectis lib.* 9. *qu.* 2. *sect.* 11. *nu.* 7. Roccaful. Sanch. Azorius, Trullēch. & alij, quos citat, & sequitur Eruditiss. Dian. *p. rt.* 10. *tr.* 12. *resol.* 30. & nouissimè Ferrantinus *de scandalo.*

4 Tantum aduerto, hos Doctores, tam qui negant, esse mortale superfluum mulierum ornatū, quam qui affirmant, qui sanè sūt per pauci, loqui præsertim de mulieribus incedētibus toto pectore, ac mamillis nudatis, nam procul dubio omnes longè mitius iudicarent de mulieribus nostræ Panorm. Ciuitatis, quæ non ita incedunt.

5 Hac igitur quæstione omissa, circa propositum casum solum querimus, an pręcisè ex eo quod mulier se ornet ad hoc, vt Principi pulchrior appareat ad impetrādā gratiam peccet mortaliter. Et ratio difficultatis est; quia idem Lessius, qui concedit ornatum mulieribus, non obstāte quod putēt, aliquos fore peccaturos, tamen *num.* 113. ait, teneri fœminam abstinere ab ornatu, si aliquo casu ad breue tēpus ob peculiare periculum alicuius abstinendum esset; & sic multo magis videtur hęc mulier teneri non ire ornata, & non se data opera componere, vt pulchrior appareat huic determinatæ personæ, à qua est periculum, vt lasciue ametur, & ipsa ponit illum in eo periculo positiue, illū adeundo, & sola cum solo colloquēdo, quam differentiam optimè agnouit Bardi in Selectis, *lib.* 9. *qu.* 2. *sect.* 11. *num.* 3. & nouissimè Ferrant. de scandalo qu. 94. quamuis agnoscat fore ab aliquo in particulari amandam, & de

de alia, quæ videt, fore in confuso amãdam ab aliquo sine determinatione alicuius præfixæ personæ, & ait, in hoc secundo casu nullam habẽdam esse rationem, secus in primo. Multo igitur fũdamento videtur habenda ratio in casu nostro, in quo mulier nõ egreditur e domo ad missam videndam, vel ad aliud suum opus, sciens fore, vt ab aliquo particulari turpiter ametur, circa quem casum affert Bardi loc. cit. varia Doctorum placita, quæ ibi videri possunt.

§. II.

Quot modis possit proposita quæstio exagitari.

SVMMARIVM

Pulcbritudo habet naturalem vim ad alios sibi conciliandos n. 6.
Tirij quanti pulchritudinem faciebant. ib.
Pulcritudo efficit, quod oratorum vis non potest. n. 7.
Propium est fœminarũ, velle inter pulcras censeri n. 8.

6 VT directe igitur ad propositam quęstionẽ, quam apud alios in terminis pertractatam non vidi, respondeam. Aduerto triplici modo posse nostrum casum accidere. Primo, vt mulier ornet se, vt appareat pulchrior Principi, vt sua pulchritudine illum sibi facilem reddat ad concedendum ea, quæ petit ob illam meram naturalem vim, quam habet pulchritudo ad bene afficiendum aliorum animos. Vnde Q. Curtius *lib. 6. de Bell. Pun.* inquit [magnarum operum non alios capaces putant, quam quos eximia specie donare natura dignata est.]

7 Secundo potest mulier suo ornatu prætendere, allicere Principem ad capiendam delectationẽ turpem, habitam ex illius aspectu absque eo, quod intendat, vt Princeps vlterius progrediatur ad turpia, sed solum, vt illa inordinata ducatur affectione erga pulchritudinem eius, satis sciens, Pirenem ab Atheniensibus iudicibus à morte fuisse liberatam, visa eius pulchritudine; cum tamen oratorum vis id efficere nõ potuerit.

8 Tertio denique modo, potest dicta puella se ornare, vt pulchrior reddatur, nullo alio fine, nisi censeatur, ac laudetur inter pulchras, quod est veluti proprium fœminarum, vt notat Lessius *d. dub.* 14. præuidet tamẽ illa, Principem tali pulcritudine sumpturum occasionem peccandi, idque moraliter certo scit, at id nullo modo intendit, sed solum vult assequi, quod desiderat. His positis.

§. III.

Quid dicendum de puella ornante se primo modo.

SVMMRAIVM.

Nõ est illicitũ procurare media sui pulcritudine affectionem bonam, naturaliter sequentem in vidente n. 9.
Non peccat Principis gratiam conciliàns muneribus ibi.
Licet aliorum amicitiam sine susurratione minuere, vt alterum ex his sibi concilicet n. 10.
Simonia mentalis quando committatur n. 11.
Simonia non est, dare Episcopo donum cum animo reddendi illum sibi gradum ibi.
Simonia non est, si detur Titio pecu-

nia ad reddĕdum illum beneuolum, ne opponat vera crimina cõtra eligendum n. 12.

9 PVella nullum prorsus peccatum cõmittit in primo modo, quia finis ab ipsa intentus est licitus, v. g. officium pro fratre &c. vt supponimus; medium etiā est licitum, nam neque ex eo datur Principi peccandi occasio; nam illa affectio est naturalis cõsequens naturaliter ex pulchritudine visa, nõ secus ac sequitur, visa arbore pulcra, vel templo ornato cum suis proportionibus, vt ex omnium sententia docet Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 46. n. 5. iuncto n. 2.* nec etiam est aliqua deordinatio, procurare alterius bonam affectionem media corporis specie, secluso alio quocumque fine malo, vt sic Princeps inclinetur ad gratiam petitam facile concedendum. Nemo certe dicet, peccare eum, qui vt impetret à Principe, quod desiderat, illi munera mittit, vt eius animum conciliet, vel si instructus bene accedat perpolita oratione, vnde Esther. rogabat Dominum [tribue sermonem compptum in ore meo] neque etiam dicere debet, hanc mulierē peccasse, & inordinatum quid commisisse, dum ornat se, vt sua pulchritudine obtineat, quod bene intendit, nam quod facit compta oratio, ac munera, idem facit, ac euincit pulchritudo, vt bene aduertit Celada *cap. 11. in Judith, & in Esther. cap. 2.*

10 Cõfirmatur 1. quia si sint duo amici, qui se valde diligunt amore castissimo, licitum est cuidam tertio minuere de amicitia duorum hoc fine, vt alterum ex illis sibi efficiat amicum; modo id non faciat malis artibus, & per susurrationē referendo verba ex vna parte ad aliam, vel exagerando notabiliter vnius amici defectus, vt docet ex Soto Nauarr. *cap. 18. n. 14.* ergo multo magis, &c.

11 Confirmatur 2. quia est Simonia mentalis, & peccatum mortale dare aliquid temporale, v. g. pecuniam, etiam sine pacto expresso, vel tacito accipiendi rem spiritualem v. g. beneficium, si donans quamuis ostendat gratis dare, interius velit dare pro pretio rei spiritualis, vt docent Reginald. *lib. 23. num. 153.* Conrad. *prax. disp. lib 5. cap. 9. num. 9.* & alij communiter, & tamen licet dare aliquando donum, vel facere aliquod seruitium Episcopo cum intentione reddendi illum sibi gratum, & beneuolum.

12 Imo potest quis dare pecuniā Titio volēti opponere vera crimina contra eligendum ad Beneficium Ecclesiasticum, vt sic impediat electionem, & ratio est, quia pecunia non datur ad obtinendum beneficium; sed ad hoc vt Titius habeat bonū animum erga eligendum, vt probaui *tr. 2. de vir. Relig. lib. 4. disp. 34. qu. 5.* ergo etiam licitum erit puellæ procurare, vt reddatur Princeps sibi beneuolus media pulchritudine, quando nullum aliud peccatum intenditur, ad hoc, vt obtineat gratiam, quam requirit.

§. IV.

An sit scandalum in secundo modo, quando mulier ornat se eo fine, vt Principem alliciat ad turpem delectationem, quæ ex illo aspectu capitur simpliciter in ea sistendo.

SVMMARIVM.

Proponitur ratio, probabilem astruens partem affirmatiuam n. 13.

Tan-

Tangens partes honestas alterius, tantum ob solam turpem delecta-tionē, inde habitā, peccat m. ibi.
Delectatio turpis capta ex aspectu an sit peccatum mortale num. 14. Quid de cooperante ad eam captandam ibi.
Quot genera delectationum capi possint ex tactu, & aspectu n. 15.
Delectatio mere naturalis in visu, & tactu, in quo consistat ibi.
Delectatio mere venerea ex visu, & tactu semper est mortalis, & quando ea sit n. 16.
Delectatio turpis, at non venerea an sit eodem modo peccatum, si capiatur ex visu, aut tactu n. 17.

13 IN hoc casu maior potest esse difficultas, nam tunc eo modo peccabit illa mulier, quomodo peccat Princeps, prout infra dicemus: sed Princeps peccat mortaliter admittēdo illam delectationem turpem habitam ex illo aspectu, etiam si nolit ad vlteriora progredi; sicuti peccat mortaliter in verissima sentētia, quam late probat Sanch. *lib.* 9. *disp.*46.*n.*7. is, qui tangit ob illam solam delectationem turpem, quæ est in tactu faciei, manus, & cęterarum partium honestarum sine animo vlterius prolabendi, ergo & illa mulier peccabit mortaliter ornando se ad hoc, vt alliciat Principem ad turpem delectationem. quamuis sit absque alio malo fine.

14 Ceterum quamuis sit probabile, hanc mulierem peccare mortaliter intendentem Principem allicere ad illam turpem delectationem, quę habetur ex eius aspectu, quia probabile est, & defenditur à Gersone, Armilla, Supplem. Gabr. & alijs apud Sanch. *d. disp.* 46. *n.* 21. esse mortale in Principe, admittere illam delectationem, tamen quia probabilius est, solum esse peccatū veniale in Principe illam delectationē habitam ex aspectu, vt ex Nauar. Molina, Alcozer, Sanch. & alijs probaui in tract. de matrim. *lib.* 9. *disp.* 4. *qu.* 46. ideò assero, solum peccare venialiter dictam puellam, intendendo sua pulchritudine caussare in Principe delectationem habitam ex aspectu.

15 Vt autem hæc, quæ in hac cōclusione, & præcedente diximus, plenius habeantur. Noto ex Tāburin. *in decal. lib.* 7. *cap.* 8. *n.* 3. qui rem clare, & erudite ponit: in tactu, & aspectu tria genera delectationum inueniri; prima est mere naturalis, quæ in tactu consistit in attemperamento, & proportione qualitatum caloris frigoris, mollitiei, &c. in visu, in suauitate coloris, in proportione &c. quæ organa visus, & tactus delectant; hæc potest haberi sine vllo peccato. imo etiā cum merito, & laude Dei Creatoris, & de hac diximus in §. 3.

16 Secunda est mere libidinosa, ac venerea, quæ oritur ex rebus obscænis, vel illarum saltem cogitatione cum carnis cōmotione, & hæc sponte admissa tam in visu, quam in tactu, vt dixi in tr. de matrim. *lib.* 9. est semper peccatum mortale in omnium sentētia, neq; potest excusari à paruitate materię.

17 Tertia denique delectatio, quæ capitur ex tactu, & visu est media non quidem mere naturalis, nec etiam libidinosa, & venerea; sed media, quam turpem voco, quia est in materia cōtra castitatem, habetque suam peculiarem indiuiduationē, & de hac delectatione dicimus in hoc §. quod si habeatur ex tactu, etiamsi tangens non intendat vlterius progredi, erit peccatum mortale, quia naturaliter solet sequi illa se-

secunda delectatio venerea, vt docet Castrop. *to. 2. disp. 2. pu. 10. §. 2.* si vero ex visu, non erit, nisi peccatum veniale, quia visus minus mouere solet, quam tactus, vt etiam passim docent iam Recentiores cum Sanch. *d. disp. 46.* vt videri potest in Filliucio *tr. 30. c. 10.* & sic princeps admittẽs illam delectationem ex visu mulieris peccabit solum venialiter, & mulier ornans se eo fine solam venialem culpam scandali committit.

§. V.

Quid si considerabimus mulierem ornantem se tertio modo, nimirum, vt inter pulchras habeatur, esto sit moraliter certa quod Princeps mortaliter peccabit.

SVMMARIVM

Non est peccatum scandali velle pulchritudinem ostentare, si peccatum alterius præuisum non intendatur 18.

Scandalum directum, vel indirectum quando sit 19.

Quæstionis vniuersæ conclusio 20.

18 IN tali casu nullã agnosco culpam in ratione scandali, licet sit solum culpa venialis contra temperantiam, velle inter pulchras apparere nullo fine bono; sed solum ob illam vanam gloriã ex S. Tho. *2. 2. quæst. 169. ar. 2.* Sylu. *v. ornatus quæst. 4.* Armilla *nu. 12.* & alijs.

19 Quod autem nõ sit vllum peccatum in ratione scandali probatur, quia non est scandalum directum, & formale, neque scandalum indirectum, quia vt supponimus, mulier non se ornat, vt sua pulchritudine sit caussa peccati in Principe, neq; ad hoc vt peccet, neque ad hoc, vt gratiam obtineat, in quo consistit malitia scandali directi, de quo videri possunt Suar. *de char. disp. 19. sect. 2.* Delugo, *de pænit. disp. 16. sect. 4.* Ferrantin. *de scandalo qu. 27.* & alij apud ipsos.

Neque est scãdalũ indirectum, quia tunc scandalum indirectũ est peccatum contra charitatẽ, quãdo quis sine necessitate exercet aliquam actionem, ex qua præuidet, quod proximus sit sũpturus occasionem peccandi. vt apud cit. Doctores patet. At in casu nostro hæc mulier accedit ad Principem ob suum commodum, & gratiam obtinendam: ergo. quæ omnia quoniam sunt satis probata apud cit. Doctores & Ferrantinum *dis. 1. quæst. 76. n. 4.* noua probatione nõ indigent, Quod possit puella adire Iudicẽ pro sua caussa, quando grauem caussam haberet. docẽt Hurtad. Diana *p. 5. tr. 7. res. 20. disp. 173. §. 148. par. 5. tr. 7. resol. 20.*

20 Concludamus itaq; mulierẽ se ornantem, vt pulchrior appareat non solum in communi, & indiscriminatim, sed etiam alicui in particulari, tunc solum peccare mortaliter, quando finis eius esset protrahere alium ad peccata mortalia, vel quando præuidens lapsum ex suo aspectu personæ determinatæ, sine sufficiẽti caussa illum sic ornata adiret.

QVAERES VI.

An sit scandali peccatum petere à concubina Iudicis, vt apud eum in aliqua caussa intercedat.

SVMMARIVM

Ponuntur sententiæ Doctorum n. 1.

Bardi opinio varias afferens distinctiones n. 2.

1 DVas ponit in hac quæstione sententias Bardi in select. lib. 9. qu. 2. sect. 9. affirmantem vnam ex Sanch. lib. 1. sum. ca. 7. n. 38. vbi ait, hoc esse intrinsecè malum, & in nullo casu licere. quæ sententia merito à Ferrantino de scand. qu. 76. nu. 1. appellatur nimis seuera.

Negatiuam alteram ex Petr. Hurt. de fide, spe, & charit. *disp.* 163. *sect.* 11. §. 133. & 144. Castropal. tr. de char. disp. 6. p. 15. Merolla to. 1. disp. 2. cap. 4. coroll. 8. quibus adde Dian. p. 5. tr. 7. ref. 20. Ferrant. d. qu. 76. n. 3.

2 Ipse verò Bardi sic ait (pro qua re cēseo, hæc duo distinguēda esse, primo an fine peccato possumus procurare, vt concubina intercedat, & petat à Iudice aliquid ab ipso cōcedendum, quod sit parui momenti, & nullius fere cōsiderationis, ac proinde, quod sine difficultate concedi passim consuetum est. Secundo, an quādo præuidetur, vel certo præsumitur, quod ipsi fouere debeant amorem, requiratur, vt negotiū, pro quo fit intercessio magni pōderis sit, & cum difficultate à Iudice concedi soleat, si de primo agamus, puto intercessionem illam facile, imo vt plurimum esse licitam, quia dum agitur de aliqua re minima, quæ à Iudice nō solum propriè concubinę, verū etiam passim alijs extraneis personis, & Iudici minime coniunctis concedi solitum sit, tunc moraliter loquendo, nullum est periculum fouendi turpem amorē, quia concessiones istæ cum sint ordinariæ, per se loquendo, non habent vim excitandi amorem, & præsertim inter personas valde coniunctas, & familiares, quia veluti parui penduntur, dixi, vt plurimum, & per se; nam si in quibusdam circumstantijs sit probabilitas, aut prǽsumptio, quod turpis amor notabiliter foueatur, tunc eadem erit ratio de petitione paruę, aut notabilis considerationis. Cęterum quando res non est facilis concessionis, & concedi solet intuitu nimię coniunctionis, & familiaritatis, ac proinde in casu nostro sit euidēs persuasio, quod Iudex deuenturus sit ad id concedendum, quod petitur, intuitu illius amoris turpis, tunc certum est requiri, vt aiunt Doctores prędicti, vrgentē causam, ex parte illius, qui recursum habet ad concubinam, etc.) Ita Bardi.

3 Sed hæc distinctio mihi non probatur; nam non tam debemus attendere in ordine ad scādalum qualitatem rei, quæ petitur, an sit leuis, vel magnæ considerationis, quam qualitatem inductionis; potest enim res,

quæ

quæ petitur esse leuis momenti, sed petitur in his circũstantijs, vt censeatur occasio, & incitamentum peccati, vt ipse Bardi fatetur. quare dicendum censeo. Si concubina est domi, vel sæpe sæpius solet cum Iudice colloqui, et illum adire; tũc siue res sit magni momenti, siue parui, potest rogari, vt intercedat apud Iudicem, quamuis leuissima sit caussa. ratio est, quia illa locutio non cẽsetur moraliter excitatio ad peccatum; sed potius intercedere pro aliquo, quando caussa est iusta, per se est laudabile opus. Et sicuti aliæ locutiones, vt sic dicã, domesticæ non censentur occasio peccandi, et fouendi turpem amorem, quamuis concubinatus mutuo colloquio foueatur, vt docet Hurtad. loc. cit. sic neque quod cõcubina intercedat, cẽsetur illa intercesione fouere turpem amorem, non enim Iudex semper est in actu peccandi, et amandi turpiter concubinam.

4 Neque etiam est Inordinatio, obligatione, et amore ex peccatis factis acquisito vti aliquando ad bonum finem ex Castrop. *to.1.tr.6.disp.6.p.15.* nõ igitur erit scandali occasio rogare in eo casu concubinam, vt intercedat apud Iudicẽ, quia ad summũ est valde remota occasio noui turpis amoris, & sic sufficit leuis caussa, quod certe dabit multo magis Ferrãtius, d. qu. 76. n. 9. vbi ait, multo minorem caussã requiri ad excusandam petitionem intercessionis à concubina, eaquę requiritur ad excusandam fæminã ad ostendẽdas partes sui corporis occultas Medico, quẽ ipsa noscit ex prauo animo peccaturũ, quia reuera in casu nostro petitur res indifferens, quam tam cõcubina quã Iudex possunt licite exercere.

5 At si concubina fuerit à Iudice separata ad tollendã peccati occasionem ob propẽsionem illius, vel quia ex aliquo casu fuit amor interruptus; tunc puto, requiri grauem causam ad hoc vt liceat petere à concubina intercessionem, quia moraliter est magnũ excitamentum ad antiquũ amorem prauum reconciliandum, illa aditio, & petitio, siue rei magni momenti, siue parui, & hoc dabunt à fortiori Doctores supra citati, qui absolute docent, requiri grauem causam adhoc, vt liceat petitio intercessionis à concubina apud amasium.

QVÆRES VII.

An sit scandalum datum inducere aliquem ad iurandum falsum, quod tamen iurans existimat, esse verum.

SVMMARIVM.

Magister cappellanus, ac ceteri Parochi Panormi debent esse nati in eadem ciuitate n. 1.

Originarius ex iuris fictione quis nam dicatur ibi.

Casus in quæstione positus explicatur n. 2.

Quid de eo senserit Tãburinus. n. 3

Fundamentum, vnde communiter probent, esse scandalum d. inductionem ad iurandum n. 4.

Confirmatur dicta opinio multis paritatibus n. 5. & seqq.

Excitans amentes ad turpia, etiam coniugatos paccat mor. n. 5.

Ministrans ebrio, aut ingnoranti die ieiunij carnes peccat n. 6.

Quare peccet qui excitat ad actionem de se peccaminosam eos, qui defectu discursus nõ peccant n. 7.

Statuitur, probabilem esse sententiam negantem, esse peccatum scandali talem inductionem n. 8.

Præ-

Præstatio iuramenti in re falsa putata tamen vt vera à iurante prouenit à virtute religionis ibi. & 10.

Scandalũ quomodo definitur, & quando est indirectum n. 9.

Iuramentum ex d. casu, nec esse materialiter falsum qua ratione probetur ab eminentiss. Delugo n. 11.

Inducens ad iurandum, quod iurans putat esse verum non vult, vt illus iuret, quod scit esse falsum n. 12.

Infantes nulla lege obligantur n. 13. & quare 17.

Pueri tam masculi, quam fœminæ non habentes vsum rationis possunt introduci in monasteria virorum, & monialium n. 14.

Cedens bonis remanet obligatus ad restituendum creditoribus in pingui fortuna, nisi cessio fuerit ignominiosa n. 15.

Ebrij, & perpetuo Amentes, &c. obligantur omnibus legibus, & quare n. 16.

Excitans pueros vsu rationis carẽtes ad actiones malas cur peccet n. 17.

Disparitas cur excitare ebrios ad actiones malas sit peccatum, non autem inducere ad iurandum id, quod putatur verum à iurante n. 18.

Sacerdos non ortus Panormi peccat contra iustitiam, si Parochus efficiatur fingens esse natus Panormi n. 19.

Puella non habens ætatem requisitam ad ingressum gratis in monasterium, si illam fingat peccat contra iustitiam, & alij ad id cooperantes ibi.

1 EXempli Gratia in Panormitana Ciuitate Magister Cappellanus, ac cæteri Parochi debent esse Ciues Ciuitatis Panormi, vt dicitur in Bulla Clem. 8. *de Reform. Paroch. ann.* 1599. quæ semper sic fuit intellecta, & vsu explicata, vt non solum sufficiat vt sint oriũdi, hoc est vt Patrem habeant natum Panormi ex Valla lib. 3. sed etiam vt sint originarij non iuris fictione, ob quam dicitur originarius. v.g. Panormi, qui natus est casu aliquo Messanæ, at Parentes habebant domicilium, & habitationem Panormi ex *l. Ciues fine Cod. de Incolis lib.* 10. vbi is, qui nascitur casu in vno loco, fingitur natus in eo, in quo parentes domicilium habebant habitationis; sed reuera debent esse nati Panormi, vt obseruat Marcus Serius de Parochis *par.* 1. *diff.* 1. *qu.* 5. & in Bull. Clem. circa nu. 28. & bene aduertit inter tot annos à Bulla data, nempe supra septem, & quinquaginta numquam à Senatu Panorm. fuisse contrarium obseruatum.

2 Ponamus ergo Titium reuera natum fuisse Monte Regali, sed quia statim Panormum fuit translatus, & educatus, à multis habetur vt ciuis verus originarius, seu natus Panormi, an hic possit rogare eos, vt iurent illum esse ciuem Panormitanum originarium, cum reuera ipse sciat illos decipi, atque adeo licet iurantes non peccent ob cõscientiam erroneam Titius tamẽ scandalum committat, dando illis occasionem iurandi rem, quæ reuera coram Deo est falsa, an vero licite id fieri possit.

3 Ad hunc casum negatiue respondet Tamburinus in Decalog. *lib.* 3. *c.* 1. §. 6. *n.* 3. citans Bonacinam, Azor. Sanch. & Suarez, & n. 6. ait. [Non me latet Petrũ Hurtadum quem sequitur Diana par. 5. tr. 7. resol. 14. Tancred. de Religion. disp. 5. de periurio n. 11. docere, esse probabile non

esse culpam inducere testem ad iuramentum in prædicto casu. sed nec me latet Ioannem Delugo to. 2. de Iust. disp. 39. sec. 3. à n. 42. putasse eiusmodi Hurtadi sententiam apparenter solum posse defendi] Ita Tamburin. quare cum ibi *in tr. de Relig.* breuissime de hoc casu tractauerim non erit abs re, in re tam frequēti probabilitatē dictę opinionis firmare, afferendo argumēta, quę in contrariū tam à Tamburino, quam ab alijs adducuntur, vel possent adduci.

4 Præsertim cum communiter putent, id esse mortale: ita Azorius, Portellus, & alij quos citat, & sequitur Bardi in Selectis *lib.* 9. *qu.* 2. *sec.* 2. *nu.* 10. Suar. *to.* 2. *de Relig. lib.* 3. *c.* 14. *n.* 8. Sāch. *sum. lib.* 3. *c.* 8. *n.* 1. Castropal. *to.* 3. *disp.* 1. *pun.* 10. *n.* 2. dicens esse certum, & alij apud ipsos.

Fundamētum horum Doctorū est, quia quamuis per accidens ob ignorantiam iurans falsum non peccet, quia putat esse verum id, quod iurat, tamen inducens ad taliter iurandi quātum est ex se, est caussa iuramēti falsi, & vt Deus afferatur, vt testis rei falsæ, & sic est reus periurij, ad quod quantum est ex se, inducit proximum.

5 Probari potest assumptū hoc discursu, qui ad turpia amentes excitaret matrimonio solutos, deberet in confessione exprimere non solum hoc peccatum, sed etiam circumstantias v. g. adulterij, &c. quia quamuis amens nō peccarit, ipse tamen excitans peccaret mortaliter eadem specie peccati, vt docet Sanchez *lib.* 9. *disp.* 23. Immo etiam si amētes essēt cōiugati, & si essent sanę mētis, licite debitum redderent ad inuicem, qui eos ad id tempore amentiæ induceret, peccaret mortaliter, quia concurreret ad accidens prolis damnum, quæ educatores non haberet, vt probaui ego ipse cum Soto, Enriquez, *Ludou.* Lopez, Petro Ledesm. *lib.* 1. *de matrimon. disp.* 23. *num.* 1.

6 Similiter qui ebrio; vel ignoranti diem ieiunij carnes ministraret, peccaret, quamuis illi defectu aduertentiæ non peccarent, vt docet Bonacin. *disp.* 1. *de leg. qu.* 1. *pu.* 6. *n.* 5. cum alijs.

7 Qui infantes vsu rationis carentes excitaret ad turpia, vel ad blasphæmandum, esset reus peccati mortalis, & tamen infantes non peccarent, vt docet Castropalaus *disp.* 1. *de leg. pu.* 24. §. 2. *n.* 14. & ratio omnium est, quia vt bene aduertit Delugo *de pœnit. disp.* 16. *n.* 155. quamuis in his casibus nullum detrimētum spirituale proximo inferatur, & sic ex hac parte non sit peccatum scandali, est tamen peccatum, quia lædit specialem virtutem in illa materia particulari v. g. religionis, quę obligat indirecte omnes, ne cooperentur cum aliquo ad eius violationē, etiam si ignoranter faciat, quod etiam ante ipsum docuerat Pontius de matrim. *lib.* 1. *cap.* 18. §. 8. & alij.

8 Ceterum mihi tunc placuit, at tunc etiam placet, ac eam probabilem, & tutam reputo, sententia Hurtadi *disp.* 173. *sect.* 15. §. 199. Dianæ *par.* 5. *tr.* 7. *res.* 14. quam etiam probabilem putat nouissime Ferrantinus de scandalo *disp.* 1. *qu.* 44. *n.* 14. fundamentum est, quia Titius nō dat proximo occasionem peccati, neque formaliter, neque materialiter: ergo inducens alios ad iurandum falsum, quod ipsi putant esse verū, non peccat peccato scandali. Consequentia est certa, antec. probatur, quia in non inten-

tẽdit neque directe, & formaliter, neque directe tantum periurium proximi, cum reuera Caius non peccet, nec etiam præcipit, seu inducit ad actionem, quæ non sit hic, & nunc bona, cum illa præstatio iuramenti materialiter etiã accepta sit actus à virtute Religionis proueniens, & meritorius, ergo Titius nõ dat proximo occasionem peccati, &c.

9 Nec Titius committit peccatum scandali indirecte, & per accidens, quia peccatum nostrum, quando nullum damnum spirituale est proximo illaturum, non habet circumstantiam scandali, vt patet ex definitione scãdali per D. Hierony. c. 18. Matth. *dictum, vel factum minus rectum prabens occasionem ruinæ*, sed in hoc casu nullum damnum spirituale proximo infertur, inducendo illum ad iurandum id, quod putat esse verum, vt diximus. ergo.

10 Neque tamen Titius peccat contra reuerentiam Deo debitam: nam ille actus, quo Caius iurat, est Deo gratus, cum sit actus Religionis, ergo non apparet, vnde sit peccatum.

11 Dices, peccatum in hoc consistere, quod Titius est caussa iuramenti materialiter falsi, sed huic difficultati respondeo argumento, quod ingeniose satis excogitauit Delugo de Iust. disp. 39. n. 22. probando illud iuramẽtum neque formaliter, neque materialiter esse falsum, Caius qui iurat, Titium esse originariũ Panormi, immediate asserit, & iurat suam scientiam, et tantumdem est dicere: Iuro, Titium esse Ciuem natũ Panormi, ac dicere: Voco Deũ in testem, quod ego puto Titiũ esse Ciuẽ Panormitanũ, sed hoc modo factũ iuramẽtum nullam continet falsitatẽ, neque materialem, ergo Iurans non facit Iuramentum, neque materialiter falsum.

Maior prob. ab ipso Delugo ex doctrina à se tradita *Disp.* 23. *de pœnit. sect.* 4. *n.* 26. nempe, voces humanas directe, et immediate significare cõceptus nostros, indirecte vero, et mediate res ipsas; v. g. cum ego dico Templum est album, hæc assertio immediate significat meum conceptum internum, et mediate significat albedinem in templo.

Confirmatur etiam nostra assertio, et clarior fiet ex solutione argumentorum.

§. I.

Satisfit obiectis, & explicatur qualiter peccent inducentes pueros, aut Amentes ad aliquod malum.

12 AD Rationem fundamentalem contrariam nego antecedens, nimirum inducens aliquem ad iurandum, quod ipse cognoscit falsum, quantum est ex se est Iuramenti falsi, & periurij reus, nam is nec iurat obiectum, quod est falsum, vt est certum, neque vult, vt alius iuret, quod scit esse falsum, sed quod scit esse verum.

13 Ea exempla, quæ pro confirmatione antecedentis adduximus, admitto vltro, excepto vltimo de excitante ad blasphæmandum, &c. Infantes, nam puto probalius infãtes nulla lege obligari, neque diuina, neque naturali, neque Ecclesiastica; quia sunt per se incapaces vsus rationis, & sic sunt Incapaces legis cuiuscumque, vt docet Sotus *lib. 2. de Iust. qu 3. art.* 9. Azor. *t. 1. l. 7. Ist. moral. cap.* 40. *qu.* 6. Suar. Metina Palud. quos citat, & sequitur Sanch. *lib. 1. c. 12. n. 1. summa.* P 2 Vn-

14 Vnde pueri, & puellæ vsum rationis non habentes possunt in Monasteria Virorum, aut mulierum introduci Zerol. *Prax. Episc.* 2. *edit. p.* 1. *ver. monialis.* Sorb. in Priuil. Mendic. *v. ingressus in Monast. Monial.* & alij, ipsis possunt dari carnes diebus vetitis, non autem amentibus, nisi quia sunt infirmi ob ipsam amẽtiam, vt probat Sanch. *lib.* 1. *sum. c.* 12. *n.* 164.

15 Et ratio diuersitatis est, quia aliud est legem non obligare, aliud est, à legis transgressione excusari, vt ex multis probaui *lib.* 9. *de matr. disp.* 32. *n.* 1. & 2. v. g. qui cedit bonis ex eo, quia grauatus ære alieno nõ vult in carceres conijci, obligatur suis creditoribus lege iustitiæ, at dum est in miseria excusatur à transgressione restitutionis, quando venerit ad pinguiorem fortunam tenetur restituere, quia lex diuina semper illum obligauit, & nõ excusat, cum sit potens, at si cessio fuit ignominiosa secundum multos numquam tenetur, quia obligatio fuit extincta, alij vero putant, teneri, vt videre est in Eliseo Dansa in Pugna Doctorũ c. 3.

16 Sic ebrij, ignorantes inuincibiliter, ac perpetuo amentes obligantur legibus tam naturalibus, & diuinis, quam humanis, quia etiam perpetuo amentes sunt ex natura sua capaces rationis, & per accidens est, vt sint amentes, excusantur tamen à transgressione legis ob defectum discursus, quem patiuntur.

17 At pueri cum sint incapaces per se rationis, erunt sicut animalia bruta, & sic quãuis sit peccatum excitare infãtes ad aliquẽ actum malum, v. g. ad blasphæmandum, non erit tale, quia inducitur actus materialiter malus, vt est in alijs, sed quia excitans videtur ex hoc ipso male de Deo sentire, & contra Religionem Deo debitam tendere; sicut censeretur male affectus Regi, qui Psittacum doceret verba contumeliosa contra ipsum Regem.

18 Admissis itaque exemplis, neganda est consequentia, etiam stando communi doctrinæ, quod ibi sit falsitas, etiam materialiter. Disparitatem adhuc assignã ex argumento proposito Hurtadi, nempe in illis actionibus nulla est bonitas formalis, quæ reluceat, & cohonestet petitionem: at in iuramento hoc est bonitas formalis, nempe actus Religionis, quare potest quis, posita iusta caussa, petere iuramẽtum ab eo, qui putat verum iurare; at non potest dare occasionem faciendi actionem, quę, posita aduertentia, esset mala, & tantum excusatur ob defectum aduertentiæ.

19 Vnum hic non desinam aduertere, me in hac quæstione proposita non considerare qualitatem inductionis ad iurãdum ex quocumque capite, quia in exemplo allato initio num. 1. mihi certũ est, peccare mortaliter cõtra iustitiam inducentem ad tale iuramentum, quia priuat cęteros veros Ciues iure ad rem, quod habent, sicuti vt dixi in casu, de quo non multis ab hinc mensibus interrogatus fui; nempe peccasse contra iustitiam eos, qui fecerunt, vt appareret scriptura de ætate cuiusdam puellæ, requisita ad hoc, vt reciperetur gratis in quodam monasterio, cum reuera non esset talis ętatis, quia facta fuit cæteris concurrentibus cum debita ætate iniuria in re graui, & docet in simili Tamburin. *in Decal. lib.* 3. *cap.* 1. §. 6. *nu.* 4. id vt certum bene supponens.

QVAE-

QVAERES VIII.

An liceat Scholastico volenti probare, se frequentasse scholam in aliqua Academia, adhibere duos testes, qui falso putant illum frequentem fuisse.

SVMMARIVM.

Negatiua sententia ex Em. Delugo recensetur n. 1.
Petere ab amicis, qui falso putant, te cursus Academiæ perfecisse, vt id iurent non est in iustitia, si vere sis sufficiens n. 2.
Essentialia in Academia quæ sint, quæ accidentalia ibid.
An possint æquiuocando iurare n. 3.
Assignatur disparitas inter Academicum concurrentem ad doctoratū, & ad legatum vocatū n. 4.
Non est scandalum inducere Caium ad iurandum te esse nobilem, si ille possint formare prudens iudicium de tua nobilitate n. 5.
An peccet ignobilis ostendendo falsa instrumenta suæ nobilitatis, remissiue n. 5.

1 Videtur negatiue respōdendum ex dictis qu. præc. n. vltimo, & de facto ita respondet Eminentissimus Delugo *to. 2. de Iust. disp. 39. n. 21.* vbi etiam in sentētia Hurtadi, & Dianæ, quod liceat petere Iuramentum ab eo, qui iuraturus est falsum quod putat esse verum, ait. [Debet autem vterque loqui quando falsum illud sine vllius præiudicio affirmatur, quia alioquin inducens non excusatur à peccato Iniustitiæ ex tali inductione. Vnde non placet exemplum quod affert Diana, quod quidem non affertur ab Hurtado de Scholastico, qui petit à condiscipulis vt iurent, ipsum adfuisse lectionibus in Academia maiore anni parte, quod illi verum putant, ipse tamen scit falsum; quia tunc intentio est iniusta, nempe velle habre Ius illud, quod ex cursu Academiæ legitimo illis competit, quod quidem dat titulum ad gradus, & ad suffragia; quod tamen ipsi competere nō potest.]

2 Placet mihi Eminentissimi Doctoris assertum, quatenus putat, non esse licitum petere Iuramentum, quando illud dirigitur ad damnum tertij, & licet non sit peccatum scādali ratione periurij, cum reuera ille iuret, quod putat verum, vt qu. præced. diximus, tamen est contra iustitiā, Vnde cōfirmatur eius auctoritate id, quod notaui *quæst. præc. d n. vlt.* At displicet quatenus negat, esse licitum in hoc exemplo inducere amicos ad iurādum; nam reuera intentio scholastici non est iniusta, quia si is, qui vult probare cursum requisitum, habet sufficientiam, & est tam doctus, quam sunt alij mediocriter docti, qui debitos cursus perfecerunt, tunc nō cōmittit Iniustitiā, & potest prætendere gradum Doctoratus, ac alia officia, quę competunt alijs, qui cursus perfecerunt. Nā hæc, nempe studiū tot annorum, adscriptio matriculæ, schedulæ examinis &c. sūt accidentalia, & sufficit ad hoc ne committat iniustitiam, si habeat tantam scientiam, quantam habent alij, qui sunt adscripti, &c. in illa vniuersitate. Ita Nauarr. Lud. Lopez Henriqu. & alij Neotherici, quos citat, & sequitur Sāchez, *lib. 2. cons. cap. 1. dub. 57.*

Imo quamuis Sanchez, & Diana part. 4. tr. 4. resol. 173. excipiant casum, quando interueniret iuramentum, quia nimirum Scholasticus doctorandus deberet iurare, se cursus perfecisse, vel

vel adhibere alios, qui iurarent illum cursus debitos perfecisse, tamen ego *de Relig. tr. 4. lib. 3. disp. 3. à num. 46.* fuse probaui, posse fieri iuramentum cũ equiuocatione mente retenta, v. g. perfecit cursus debitos &c. intelligendo, habet tantam doctrinã, quantam alij.

4 Atque ex his patet disparitas in casu hoc ab eo, quẽ posuimus de Parocho, & concurrente ad legatum *qu. prae. n. vlt.* quia in illis exemplis solum habent ius vocati à testatore, & ciues vere nati Panormi: at in hoc exemplo omnes, qui habent sufficientiam, vt habent alij concurrentes, sunt paris conditionis, quia habent essentialia requisita in illa Academia, quæ est doctrina, et scientia.

5 Hinc constat, non esse scandalum inducere Caium, vt iuret aliquem esse nobilem; quamuis nesciat illius originem, nec Caius illius Patrẽ, aut Matrem vnquã nouerit, si docetur ab ipsomet, qui petit iuramẽtum, fundamẽta quæ faciant fidem de nobilitate ipsius: v. g. si ostendat aliqua instrumenta antiquitatis, vel adducit senes cordatos, ita vt Caius possit formare iudiciũ prudens, quod iste sit nobilis: nam tunc iurans non peccat, vt docet Sayrus Claui regia *lib. 5. cap. 4. à n. 18.* Angel. Sylu. Gabr. Nauarr. apud ipsum. ergo neque illũ inducens ad iurandũ peccat. ita Hurtad. d. §. 200. Diana *par. 5. tract. 7. resol. 10.* & nouissime Ferran. *de scand. quæst. 44. num. 16. & sequ.* dicit probabile.

6 Vtrum autem peccet, qui cum sit Ignobilis, ostendit Instrumẽta Nobilitatis, & decipit alium, est longioris considerationis, & suo loco late dicemus. Interim videri potest Sanchez *in Conf. lib. 2. c. 4. dub. 62.* ex cuius doctrina potest deduci.

QVAERES IX.

An sit scandalum inducere Caium ad iurandum quod is inuincibiliter putat esse verum, quamuis certo sciam illum esse iuraturũ per falsos Deos.

SVMMARIVM.

Licet posita iusta causa, petere iuramentum à iuraturo per falsos Deos, &c. n. 1.

Probabile est, esse veniale tantum petere sine causa iuramẽtũ à iuraturo per falsos Deos, vel peieraturo, oppositum est probabilius n. 2.

Suarius putat requiri, vt qui ad iurandum excitatur habeat cognitionem veri Dei n. 3.

Traditur vera doctrina cum distinctione de causa petendi iuramentum ob iniquitatem iuraturi, vel ob commodum petentis n. 4.

Cur non liceat petere à mago solutionem maleficij, quando is non habet viam illud soluendi sine maleficio n. 5.

1 RESpondio negatiue, si id inducenti sit necessarium, vel vtile, ratio est, quia sicuti licet petere Iuramentum, quando res est à parte rei vera non obstate, quod alius sit per falsos Deos iuraturus, vel per Caluinum, Lutherum, aut Mahometum, vt dixi *de virt. Relig. vbi de periurio disp. 5. quæst. 1.* ex D. Tho. *2. 2. quæst. 98. ar. 4. ad 4.* Fagund. *lib. 2. cap. 7. nu. 7. in Decal.* Valen: *2. 2. d. 6. quæst. 7. .3. col. 5.* & alijs quia posita iusta causa, v. g. vincendi litem, vel exigendi debitum, exigens vtitur Iure suo, & iurans potest iurare per Verum

Deum

Deum, si velit. Ita etiam in casu nostro.

2 Immo puto probabile, non esse nisi Veniale petere tale Iuramentum sine causa, sicuti secundum multos, est probabile non esse, nisi veniale petere mutuum ab vsurario sine causa, quamuis merito dicat opppositum esse probabilius Tambur. *in decal lib.* 3. *c.* 1. §. 6. *n.* 4.

3 Aduertit Suar. *to.* 2. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 13. *n.* 5. *&* 6. in petendo Iuramēto ab Infideli opus esse ad hoc, vt licite possit peti, vt infidelis habeat notitiā aliquā veri Dei, ita vt per ipsū iurare possit, nā, ait ille [sicuti ad hoc vt licite possit peti solutio maleficij, necesse est, vt magus possit illud soluere sine maleficio: nam si nō habet alium modum licitum, esset illum inducere ad peccandū, vt dicam inferius, sic ad hoc, vt quis licitè petat iuramētū ab eo, qui per falsos Deos iuraturus est, oportet vt iurans sciat verum Deum, per quem possit iurare, si velit, aliàs non potest iurare, nisi per falsum Deum] hanc etiam cōditionem requirunt Sanchez, *lo. cit. num.* 32, Castropal. *disp.* 1. *p.* 10. *nu.* 1. Bardi *in selectis lib.* 9. *qu.* 2. *n.* 13. & nouissime Ferrantin. *de scand. qu.* 42. *num.* 9.

4 Verum hæc conditio sic absolute prolata mihi non arrisit in *d. tr. de Relig. disp.* 5. *qu.* 1. *num.* 5. & distinguendum putaui hoc pacto, vel petens iuramentum ab Infideli habet caussam prouenientem ex iniquitate, & malitia ipsius infidelis, v. g. quia iniuste negat debitum, vel non habet caussam ex eius iniquitate; sed ex natura actus v. g. si petam ab infideli, vt iuret circa hanc, vel illā rem, quam ipse sciat, vel putet se scire. In primo casu aio, licere iuramentum petere, siue infidelis sciat iurare per verum Deum, siue non. Ratio est, quia quod iuret sibi imputetur, nec ego sum caussa inductiua, & præbeo scandalum; nam ille tenetur recedere ab ea iniustitia, soluēdo debitum v. g. &c. & sicuti quando potest, & scit iurare per verum Deum, & iurat per falsos sibi debet imputare, & non mihi, si iuret per falsos; sic quando potest petenti satisfacere absque eo quod iuret, sibi imputet illud iuramentum, neque petens iuramentum ab eo simpliciter illud petit; sed suum creditum, ille autem ex malitia sua iurat.

5 Et sic non procedit paritas de petēte à mago solutionem maleficij, quando ille nullam aliam bonam viam sciret ad maleficij solutionem, quia cum petam solutionem, & magus nulla alia arte potest facere talem maleficij solutionem, nisi nouo maleficio, plane sum caussa talis peccati. at infidelis potest satisfacere petenti cessando ab iniustitia, quare si magus posset maleficium soluere per meram cessationem ab opere, possum petere, vt soluat maleficium, quia tunc sibi imputet, quod soluat actione positiua, & non potius desistendo ab illo malo opere. vt tradunt Raphael la Torre *to.* 1. *de relig. qu.* 95. *art.* 4. *disp.* 2. *ass.* 1. *&* 2. Sanch. *li.* 7. *de matr. disp.* 95. *num.* 11. Hurtad. *de scandal. disp.* 137. *sect.* 16. §. 205.

6 At in casu posito secundo loco est verissima illa doctrina, quia infidelis inducitur ad iurandum ob meram vtilitatem petētis iuramentum, & sic procedūt argumenta horum Doctorum, verum tamen est quod etiam in hoc casu sufficit, si infidelis habeat saltem aliquam cognitionē leuem de vero Deo ex Ferrant. *d. q.* 24. *nu.* 11.

QVAE-

QVAERES X.

An possit Titius petere à Caio Iuramentum, quando hic iuraturus est materialiter verum, sed ex conscientia erronea, & formaliter iurabit falsum.

SVMMARIVM.

Factis species n. 1.
Resolutio quaestionis affirmatiua à paritate priuatae personae, licet petere iuramētum in iudicio ab eo, quem scit esse peieraturū n. 2.
Contraria sententia in quo casu sit admittenda n. 3.
Iurans verum quod putat falsum satisfacit in confessione dicendo falsum iuraui n. 4.
Furans rem suam, quam putabat alienam, vel rem leuem putans esse magni valoris satisfacit, si se accuset quòd furtum in re graui commiserit ibi.
Actio externa, vltra propositum malum, quomodo in confessione aperienda n. 5.

1 EXempli gratia Caius putat, Titium esse natum Panormi, cum reuera non sit: an possit Titius petere ab eo: Iura, quod scis, an ego natus sim Panormi, quamuis sit certus, vel habeat probabilem opinionem, quod Caius sit iuraturus falsum formaliter, quia nimirum iurabit, Titium non esse natum Panormi contra id, quod sentit ex conscientia erronea.

2 Respondeo affirmatiue. Ratio est, quia etiam personae priuatae licet petere iuramentum ab alio, quamuis sciat, illum esse peieraturum, etiam si ille non adsit ad iurādum paratus, siue in iudicio, siue extra iudicium, quando est aliquā caussa, nempe vtilitas, vel necessitas petentis iuramentum; vt tradunt Trullench. *l. 2. cap. 1. d.* 14. Hurtad. *disp.* 173. *cit. sec.* 15. *num.* 197. Faguud. *l. 2. cap. 7. à num.* 2. Reginald. *lib.* 18. *nu.* 76. Bonacina *to. 2. d. 4. qu. 1. pu.* 11. *num.* 1. & alij apud ipsos. Ergo etiam in hoc casu, quia Caius potest, si velit, iurare sine peccato iurando id, quod putat esse verū, quod autem iuret contrarium, sibi ex sua malitia imputetur, neq; vllam video disparitatem in hoc casu, quem tot Doctores concedunt, & nostrum.

3 Vnde sententiam negantem licere priuatae personae inducere alium ad iurandum, quando certò scit, illum esse peieraturum, & esse peccatum scandali, etiam posita caussa, quam tuentur Vasqu. in opusc. de scandalo *qu.* 43. *art.* 8. Basil. Pontius *lib.* 5. *ca.* 18. §. 8. *de matrim.* Syluius, *in* 2. 2. *D. Thom. qu.* 98. *con.* 2. solum in hoc casu admitterem, nimirum quādo Caius interius iam peccasset peccato periurij, vt si iam accessisset ad iurandum, vel manum extendisset ad tactum Euangeliorum, &c. quia tunc nulla vtilitas regulariter resultat petēti iuramentum, & ex alia parte concurrit, seu est occasiò illius actionis externae; quae est valde indecens prout prouenit ab illo actu interno, & est peccatum cōsummatum. sic docent Maior. *dis.* 39. *qu.* 3. *concl.* 1. Petrus Ledesm. *sum. tom.* 2. *tr.* 11. *cap.* 3. *dub.* 6. *in fine*. & alij

4 Quod etiam est verum in casu nostro, in quo ille, qui iurat quod est verum, putat esse falsum; eodem enim modo peccat, ac ille qui falsum iurat. Vnde in confessione nō est necesse dicere iuraui rem veram, quam putabam esse falsam; sed sufficit dicere; feci periurium; sicuti si quis putabat

iura-

furari rem alienam, cum reuera suā abstulerit, aut si putauit, detractionem fuisse mortalem, & detraxit, sufficit dicere, feci detractionē grauem, vel furtum in quantitate notabili, vel surripui aurum decem librarum, etiam si fuerit stamnū, & putauerat aurum. Sic Valen. 1.2. *disp.* 2.*q.* 14.*pu.* 4. Sanch. *lib.* 1. *sum. c.* 11.*n.* 5.

5 Neque qui habuit propositum, & fecit resolutionem iurandi falsū, & iurauit satisfacit dicendo habui voluntatem peierandi, sed debet dicere peieraui, sicuti non sufficit dicere: habui voluntatem occidēdi Petrum, sed inflixi vulnus lethale Petro, vel dedi venenum, vt Petrum occiderem, nam illa actio externa pro vt stat sub libera voluntate est in se mala, quod autē Petrus mortuus fuerit, nec ne, est effectus peccati, vt cum Granado, Vasq. Diana, & alijs probaui *in qq. mor. tr.* 1 *disp.* 6. *q.* 26. *& tr.* 2. *quæst.* 101. contra Verricelli, qui hanc doctrinam male applicare videtur ad alias materias contra iustitiam, sed minus recte, neque auctores, quos citat ipsi prorsus fauēt, vt ibidem dixi, & aliàs ostendam.

QVAERES XI.

An sit scandalum consulere iurantibus bona fide, ne se retractent, cognita falsitate sui iuramenti.

SVMMARIVM.

Consulens, ne falsus testis se retractet eodē modo peccat, ac testis n. 1.
Testis qui verum putauit, quod erat falsum tenetur se retractare, si sine graui malo potest n. 2.
Quid si videt suam reuocationem nō esse profuturam n. 3.
Quid si mala fide protulit falsum. ibi.
Cur si bona fide processit, non teneatur se retractare cum graui suo damno, quamuis retractatio sit profutura n. 4.

1 HVius quæstionis decisio pendet ex illa, an teneatur iurās falsum bona fide se retractare, si enim tenetur, nullum dubium est, quod consulens ne se retractet, peccet peccato scandali, & eodem peccato, quo peccat ille, qui non se retractat ex Suar. *de charit. d.* 10. *sec.* 2. *à nu.* 8. Ferrantino *quæst.* 27. *de scandal.* Bard. *in selectis lib.* 9. *quæst.* 1. *n.* 1. & alijs, quare breuiter.

2 Respondeo, hunc teneri reuocare suum testimonium, quando ex eo sequitur proximo damnum, & ipse potest sine suo graui incommodo reuocare, & sperat suo testimonio proficere, aliàs non tenetur, Ratio est quia vnusquisque tenetur saltem ex charitate subuenire proximo, quando sine suo graui incommodo potest, vt patet, ergo.

3 Nec refert quod sine culpa sua damnum sit datum, nam qui sine culpa ignem accendit in magna Sylua, si potest sine suo graui dāno, tenetur extinguere ignem; ergo etiam si potest malum sine culpa sua, datum proximo reparare tenetur. Ita Molina *de iust. tr.* 4. *d.* 40. *n.* 2. *&.* 3. Lessi. *l.* 2. *c.* 30. *du.* 7. *n.* 15. *& cap.* 11. *dub.* 20. & alij.

4 Quod non teneatur reuocare suum dictum quando videt, non esse profuturam reuocationem, probatur, quia non tenetur, quatenus testem Deum vocauit in re falsa à se putata vera: nam in hoc non peccauit, neque si peccasset, teneretur suum falsum testimoniū reuocare, quia Dei iniuria resarcitur per pœnitentiam, vt docet De lugo de *Iust. to.* 2. *disp.* 39. *sec.* 3. neque vt damnum à se factum proximo reficiat, nam supponimus id esse impossibile, quo casu neque si fuisset falsus testis teneretur suum falsum testimonium reuocare, vt putat Petr. Nauarr. de Restit. *lib.* 2. *c.* 3. *n.* 251. quem refert Diana *par.*

4. *tr.* 4. *ref.* 99. sed solum tenetur damnum sequutum resarcire.

5 Denique, quod non teneatur cũ suo graui incommodo suum dictũ reuocare, quamuis retractatio proximo sit profutura, probatur, quia non tenetur neque ratione rei acceptæ, neque iniustæ acceptionis, hoc enim est proprium testis falsi, non huius, qui bonafide processit, sic Nauar. Less. & alij loc. cit. & De-lugo *d. disp.* 39. *n.* 28. vbi appellat aperte falsum dictum Vulteri Strouesdorf. *qu.* 79. *de Iust. & Iur. art.* 4. *concl.* 3. quatenus asserit, teneri in casu nostro testem, qui bonafide falsum dixit ad retractandum dictum, etiam cum periculo vitæ.

QVAERES XII.

An habere domum ludo expositam sit peccatum scandali.

SVMMARIVM.

Non decet aliorum ductum sequi non perpensis rationibus n. 1.

Dianæ viri eruditiss. sententia affertur absolute affirmatiua, & eius argumenta n. 2.

Iustiniani opinio negatiua, & eius rationes n. 3.

1 CAsus propositus facillime esset solutionis, si aut Doctores de eo agentes ad peculiaria descẽdissent, aut nos Andabatarum more, nullis perpensis rationibus, eorum ductum sequi vellemus.

2 Scio, eruditissimũ Dianam mordicus pugnare pro parte affirmatiua, pro qua *par.* 1. *tr.* 15. *resol.* 65. plures citat & *p.* 5. *tr.* 9. *resol.* 39. Eius fundamantum est, quia esto ludus sit indifferens; tamen dum hic, & nunc exercetur, moraliter quasi semper destinatur ad prauũ vsum, nam ibi vel ludunt minores, vel Religiosi, vel blasphæmatur, vel excitantur rixæ, fraudes, &c. ergo qui dant illis commoditatem ludendi ministrando tabulã, chartas, &c. dant occasionem peccandi, & sic peccant peccato scandali, & moraliter loquendo est scandalum cooperationis.

3 At olim contrariam omnino sẽtentiam docuit Vincentius Iustinianus Dominicanus, quem ex Lopez in 2. *p. Instit c.* 32. referũt Recentiores. Ducebatur ex doctrina S. Thomæ 2.2. *quæst.* 169. *art.* 2. *ad* 4. & aliorum, qui docent, licitum esse ministrare res indifferentes, quamuis ministrans cognoscat, quod alius sit illis abusurus hic, & nunc; vt cum quis vendit meretrici fucos, locat domũ, qua illa abutetur, &c. & hanc sententiam probabilem esse dicit Machadus *de perfecto confess. to.* 1. *lib.* 3. *par.* 5. *tr.* 7. Mihi autem neutra sentẽtia sic absoluere prolata placet, meumque sensum per sequentes §§. claritatis gratia aperiam.

§. I.

Præmittuntur aliqua de ludo in communi.

SVMMARIVM.

Ludorum differentia, & genera n. 4.

Ludi omnes sunt de se liciti, & actus virtutis n. 5.

Quomodo ijs vtendum ibi.

Ludus magis nitens fortunæ est aptior ad recreationem, quam scacchorum, &c. n. 6.

Ludi, in quibus non præualet sola ars, aut ingenium sunt tam iure ciuili, quam Canonico, & regni prohibiti n. 7.

An peccent ludentes ob id, quod ludo probibito vtantur ibi.

Leges ciuiles maximè oderunt ludum taxillorum ibi fine.

Clerici, quando peccent ludẽtes iuxta communiorem n. 8.

Iudicium Auctoris circa grauitatem peccati clericorum ludentiũ n. 9.

Religiosus religionis valde obseruantis,

tis, si videatur ludere semel chartis peccabit mortaliter ibid.

Ludentes modo debito, nec peccant venialiter, etiam si prima intendant lucrum n.10.

Quid si affectus lucri sit immoderatus ibi.

Peccatum contra liberalitatem est de suo genere veniale.ibi.

SVppono primo, ludum in triplici esse differentia. Primus est ille, in quo solum ars, vel industria aut vires praeualent, vt est ludus scacchorum, pilae, &c. Secūdus est, in quo sola fortuna, & sors dominatur, vt est ludus taxillorum, aleae vulgo cartetta, & similium. Tertius est mixtus, in quo sors, & ars dominiatur, vt est ludus chartarum dictus primera, all'Hombre, &c. vt videri potest apud Scacciam de *Cōmerc.§.1.quaest.1.n.*105.

5 Suppono 2. omnia haec tria genera ludorū esse de se licita, & esse actum virtutis eutrapeliae ex S. Thom. 2.2. quęs. 178. dummodo ludus fiat moderate, & adhibeatur vitae humanae, vt sal adhiberi solet cibis condiendis ex Cic. 1. *offic.* & presertim de ludo taxillorum, & similiū, in quo fortuna sola dominatur: tradūt Costa *de ludo ar.* 4. & alij passim.

6 Imo Nauarr. *sum.cap.*19.*n.*5. putat, aptiorem esse ludum, qui magis fortunae nititur ad voluptatem honestam captandam, quam ludū scacchorum, vel alium, in quo ars praecipuè, & ingenium praeualet.

7 Suppono Tertio, quod quamuis tam de iure communi ciuili *l fin. de aleae vsu.* quā de iure canon. *cap. Episcopus d.*35. sit prohibitum omne genus ludorum, in quibus non praeualet sola ars, aut ingeniū, aut vires, & etiam sint leges Regni sub diuersis poenis hos ludos prohibētes, vt videri potest in Pragmaticis nostri Regni Fiderici 2. 78. & 89. &c. tamen seclusis fraudibus, & alijs prauis circūstantijs, blasphaemijs, &c. non peccant ludentes praecisè, ex hoc, quod ludant ludo vetito per leges ciuiles sub grauibus poenis. Ratio est, tum quia hae leges non sunt cum eo rigore receptae, tum quia materia de se non est grauis, cum non sit contra charitatem, nec contra iustitiam, & si aliqua inconuenientia accidant ludo, id non ex natura ludi: sed ex circumstantijs extrinsecus cōtrarijs naturali iuri contingit, leges autem prohibent substantiam ludi ex Soto, Nauarr. Metina, & alijs docet Sanch. lib. 1.c.8.dub.25. & seq. dicens id omnino esse tenendum, & ex Lessio, Azorio, Salas, Filliucio & alijs docet Delugo *de iust. disp.* 31.*sect.*1.*n.* 9. expresśè id asserēs de ludo taxillorum, quē maximo odio solent prosequi leges ciuiles.

8 Quod etiam verum est de Clericis, nam quāuis ipsis prohibeatur ludus, qui potissimum est fortunae, vt est taxillorum, & chartarum *in cap. Clerici de vita, & honestate Cler. & d.cap. Episc.* tamen communior, & verior opinio sustinet, solū peccare Clericos in sacris constitutos, vel habentes beneficium ecclesiasticum, quaudo saepè his ludis luderent, vt videri potest apud Sāchez *dub.*28.*num.*7.& 8.

9 Sed mihi valde placet Delugo *d.disp.*13.*n.*12. *fine.* vbi concludit, grauitatē huius praecepti, & obligationis iudicandam esse ex consuetudine regionis, ex scandalo, ex frequentia, ex quantitate pecuniae ludo expositae, ex ludi qualitate (neque enim omnes sunt ęquè indecentes) & alijs similibus circumstantijs, quae facile variari possunt, sic Delugo, & idē dicimus de Religiosis. Vnde Bannez. prout refert Delugo *l.cit.* dicebat se putare, mortaliter peccare Religiosos Societatis Iesu, si chartis semel ludens ali-

aliquis illorum visus esset, & Delugo idem dicit de Patribus Capuccinis, Carmelitanis Discalceatis, &c. de alijs vero non ita; cum nullum causset scandalum, imo nec nouam ingerat speciem eos videre his ludis se exercentes.

10 Nec solum prædicta, nimirum non peccare ludentes, nec venialiter, vera sunt, quando aliquis ludit ob animi recreationem, sed etiam quando primo, & per se intẽdit lucrum ex ludo, vt ex Molina, Ioanne Medina, Rebell. Lessio docet Salas, & si affectus lucri sit nimius, & immoderatus erit tantum veniale peccatum auaritię oppositum liberalitati, quod ex suo genere est tantum veniale, vt tradunt dicti Doctores cum Morla, Bart. Medin. Alcozer. Graff. & alijs, quos citat, & sequitur Salas *de ludo dub.* 2. his positis.

§. II.

Satisfit directe quaestioni proposita.

SVMMARIVM.

Est peccatum scandali habere domũ expositam omnibus ad omnium ludorum genera n. 11.

Recensentur quatuor capita, vnde ludus possit in se esse peccaminosus num. 12. *& seq.*

Fingens imperitiam ludi, vel eximiã peritiam cælans tenetur ad restitutionem iuxta communem n. 12.

Probabile est, si non finxit imperitiã nõ esse peccatum, nec teneri ad restituendum n. 13.

Qui videt ex aduerso chartas alterius, & ludenti manifestat, vel eas signat quid teneatur restituere. num. 14.

Trahentes ad ludendum vi, metu, aut precibus importunis peccant mortaliter n. 15.

An teneantur dicti trahentes ad restitutionem n. 16. *&* 17.

Cõtractus potest ex vna parte claudicare alterius culpa n. 18.

An tractus ad ludẽdũ vi, aut dolo possit lucrari, esto ludus sit nullus ib.

Personæ, quæ vt plurimum peccant mort. ludendo n. 19.

Quid de filijs, qui viuant extra Patris domum, & ab eo alantur n. 20.

Mancipia possunt ne ex bonis domini honesto ludo aliquid ludere, & quando n. 21.

Quam sit fundata, & Doctorum auctoritate stabilita conclusio ab Auctore posita num. 22.

Ludum esse peccatum mortale, & in ludo fieri peccata est diuersum, & quando hæc accidant num. 23.

11 AD Casum propositum respondeo, quod hi qui tenent domum ludo expositam indifferẽter omnibus, & ad omnes ludos peccant mortalliter peccato scandali actiui.

Probatur conclusio quoad primã partẽ, quia tunc ludus communiter est peccatum mortale non solum ex circumstantijs extrinsecus aduenientibus; sed in se. Ergo qui tenent domum expositam, & ministrant materiã ad omnes ludos, & ad quoscumque aduenientes, censentur occasio, & cooperantes peccato aliorum, ergo sicuti ludẽtes peccant mortaliter, ita isti. Cõsequentia patet. antec. probatur.

12 Nam primo in his domibus expositis indifferenter pro omnibus ad omnia ludorum genera inueniuntur data opera aliqui, qui fingũt se nescire ludere, vel abscondunt eximiam peritiam; vnde alij minus periti cum ipsis ludunt, quo casu ludens peccat mortaliter secundũ communem opinionem *Doctorũ*, teste Delugo *sect.* 2. *n.* 44. *de ludo*, & tenetur totum restituere lucrum. Imo etiam, & quantum minus peritus lucratus esset ludendo eo tẽpore cũ alio, vt docet Molin. *disp.* 517. quamuis Faustus *in speculo*

Con-

Confess. disp. 32. *quæst* 34. *nu.* 2. putet non esse restituendum totum lucrum; sed partem iuxta proportionem periculi perdendi, quod subijt.

13 At est etiam probabile, quod si peritissimus in ludo non fecit vllã deceptionem v.g. fingendo se imperitum, non peccat ludendo, nec tenetur ad vllam restitutionem; nam sicuti in ipso ludo, qui est certus de victoria potest augere sponsionem, sic quis certus de victoria potest ludum incipere, & ita hanc opinionem tenuit Toletus in summ. *lib.* 5. *cap.* 17. *num.* 6. & Salas *de ludo dub.* 5. *num.* 2. cum alijs probabilem etiam putat, addens alias rationes.

14 Secundo, multoties signant chartas, vel taxillos, aut ponunt aliquem, qui videat chartas alterius collusoris, quibus casibus peccant mortaliter, & tenentur lucrãtes restituere totum lucrũ, & præterea debet restitui id, quod verisimiliter lucraturus fuisset collusor, nisi chartæ fuissent signatæ, aut nisi alius chartas vidisset vt docet Amicus *de iust. disp.* 28. *sec.* 4. *n.* 27. vbi bene aduertit, non esse simpliciter restituendum quantum ille collusor lucraturus fuisset, sed quantum poterat spes existimari, sicuti qui messem destruxit nõ tenetur restituere quantum ea reddidisset in horreo; sed quãtum existimabatur spes, quam sui præbebat ex *S. Tho.* 2.2. *quæst.* 62. *art.* 4. & 1.

15 Tertio coguntur ad ludendum nolentes ludere aliquando metu, aliquando vi, vt plurimum precibus importunis, in quibus casibus omnes docent peccari mortaliter ob illatã iniuriam alteri, vt patet.

16 Solum hic noto, quod communis ferè Doctorum opinio est, in his casibus teneri attrahentem, vi, aut metu restituere, quod in ludo lucratus est ab altero, qui vt coactus lusit, vt late probat post D. Th. Caietan. Sot. Nauarr. Sanch. Salas, & alios Eminentissimus Delugo de *iust. disp.* 31. *nu.* 28.

17 At non minus probabile est oppositum, nimirum nõ teneri, quia cogens ad ludendum non tenetur ob factam iniuriam nisi ad restitutionem damni sequuti ex vi coactionis, v.g. si fuit caussa vt ille coactus perderet lucrum aliquod, at non id, quod non sequitur ex iniuria; amissio autem in ludo non sequitur ex iniuria, nã supposita iniuria, coactus mansit indifferens ad lucrandum, & ad perdendum ex vi ludi, & sicuti quando lucratur, non dicitur lucrum prouenire ex iniuria sibi facta, sed ex ludo, ita quando amittit, ludus est caussa amissionis, & non coactio, ita Dicastillus *dub.* 2. *nu.* 15. Trullench. in Decalog. *to.* 2. *lib.* 7. *dub.* 2. *nu.* 2. Petrus Hurtad. *de contr disp.* 8. *diff.* 6.

18 At stando in sententia cõtraria, quod talis contractus ludi sit inualidus, adhuc probabile est, quod coactus, si vincat alium, possit lucrari, quamuis enim generalis regula sit, quod contractus mutuus non potest ex vna parte claudicare; tamen ex culpa alterius potest esse ista inęqualitas, & claudicatio. sic Delugo, Trullench. vbi infra.

19 Quarto peccant etiam ludendo ex eo, quod in tali domo cum admittantur omnes indifferenter ad ludendum, ibi ludunt minores, & filij familias, Religiosi, mancipia, vxorati, qui, vt plurimum peccãt mortaliter ludendo res alienas, & cum detrimento aliorum.

20 At potest filius viuens extra domum Patris, v.g. causa studiorum, valide, & licitè ludere quinque, vel sex aureos ex cẽtum missis à patre pro sua sustẽtatione, & si quid plus insumit, non tamen petit reliquũ pro sustentatione à Patre, & idem dicas, quando viuit in domo pa-

terna, & Pater tacitè, vel expresſè aſſentitur, vt docent Molina *diſp.* 119. Nauar. *de reſtit.l.3.c.1.p.2.du.*1.

21 Idem de mancipio dicẽdũ, quod ſi non habet peculium proprium, nec aliquid, quod dominus det pro ludo, poteſt nihilominus aliquid moderatũ inſumere pro moderato ludo, quia ſeruus habet ius naturale ſumẽdi aliquam recreationẽ; at ſi non habeat ſpem lucri, nullam capiet in ludo voluptatẽ, vt ſunt hi homines infimæ conditionis. Ita Dicaſtil. *dub.* 7. *de ludo* dicens. Ita ſenſiſſe graues, ac doctos viros Societ. Ieſu in communibus caſuum conſcientiæ conferentijs.

22 Ex his, & alijs incommodis, ac malis, quæ ſequuntur ex illa hominum colluuione in domũ aleatorum, ad omnia ludorum genera confluentium, patet, ni fallor, luce clarius probata noſtra concluſio, quã vltro amplectetur Diana, nec aliud dicũt Doctores ab ipſo citati, ſẽper enim ipſi loquuntur, quãdo indiſcriminatim omnes admittuntur ad cuncta ludorum genera, vt eos legenti patebit, & de Molina ait Delugo *diſp.*31.*n.*6. male citari à Diana pro ſua ſententia *diſp.* 516. quia ibi nil dicit, *&diſp.*521. ait ex qualitate ludi, & ludentium iudicandum eſſe, an mortaliter peccent, hoc etiam docet Caſpenſis in curſu Theol. *to.*2.*tr.*18.*ſec.*3. vbi expreſſe loquitur de miniſtrantibus chartas, &c. [indifferenter omnibus ad ludendũ ludo prohibito.]

Idem aſſerit Machadus loco ſupra cit. vbi ait, Doctores dubitare [an qui habent domos expoſitas ludo pro omnibus indifferenter.] Idem P. Hurtad. *diſ.* 173. *ſeſ.* 31. §. 408. vbi ait [peccare mortaliter hos ludorum magiſtros excipientes omnes abſque delectu.] Idem etiam docet Rebell. *de iuſt.* 2. *p.lib.* 9. *quæſt.* 4. *ſect. vlt.* vbi ait [qui aleatores ad ludum mortaliter illicitum aliter non futurum, ſubminiſtrando menſam, chartas, &c. recipiunt, mortaliter peccant] & alij paſſim, qui ſemper ponunt hanc limitationẽ, quãdo ludus eſt mortalis, vt Vaſq. in manuſcripto de ludo apud Dicaſtill. *lib.*2. *de iuſt. tr.* 18. *diſp.*5. *dub.*4. *nu.*36. & alij.

23 Vbi noto contra amiciſſimum Dianam hos Doctores non dicere, peccare mortaliter ludo domum expoſitam habentes ex eo, quia ibi a ludentibus multa peccata cõmittuntur, ſed ſolum quando ludus eſt peccatum mortale, qui tãtum tũc eſt, quando fit fraudibus, & ab his, qui non poſſunt ludere, non quando admiſcẽtur rixę, blaſphæmiæ, &c. quæ ſunt peccata extrinſeca ludo, vt ſupra diximũs nu. 7. ex Sanchez *cap.8.dub.*25. *num* 6. & per hoc manet ſolutum argumentum Dianæ, nam aleatores cooperantur ludo, non autem alijs lodo extrinſecis. Iuſtiniani, & aliorum rationes ſoluta manebunt ex dicendis.

QVAERES XIII.

An Capitanei Ciuitatum poſſint licitè domi ludum habere.

SVMMARIVM.

Affirmatiua ſententia probatur n. 1.
*Capitanei non tenẽt domum ludo expoſitam, ſed confluentibus ad eorũ domos, ludos exhibent ad vitanda otij mala n.*2.
Lucrum accipere ex miniſtratione alearum, candelarum, &c. an ſit peccatum. ibi.
*Quid ſi ludẽtes blaſphement, &c. n.*3.
*Quid ſi Capitaneus principaliter lucrum intendat n.*4.
Non idem dicendum de Capitaneis paruorum oppidorum n. 5.

1 RESp. Capitaneos magnarum ciuitatum non peccare tenentes domum ludo expoſitam, quia

quia vt plurimum ad eam confluunt viri nobiles, in quibus non solent esse fraudes, furta, & cętera incommoda, quæ supra quæst. 12. enumerauimus in domibus aleatorum: & ille hominum cōcursus est valde vtilis ad succurrendum incommodis, quę nocte intempesta, vel casu inopinato occurrunt, ob quas, & similes causas cōmuniter excusant Doctores illos, qui ludū tenent in militum custodia, vt vulgo dicitur, corpo di guardia, nam posito illo necessario concursu, vt mala, quæ ex otiositate solent euenire, impediantur, ludum tenent. vide Ferrantinum Soc. Iesu *dis.* 1. *de scandal. qua.* 38.

2 Præsertim quia Capitanei non tenent domum expositam ludo, nec ex eo quod tenent ludum habent præcisè lucrum, sed vt dicebam *num. præc.* tenent domum volentibus illuc venire ex equitibus, & ne ij sint otiosi ludos exponunt, lucrum autem prouenit ex subministratione chartarum, candelarū, &c. in quo casu Vasquez, quem sequitur Dicastillus *dub.* 4. *n.* 37. *lib.* 2. *de iust. trac.* 18. *dis.* 5. ait eos non peccare mortaliter ex hoc capite. Et Molina *tom.* 2. *de iust. dis.* 52. qui docet, tabularios, seu aleatores nō peccare mortaliter si tantum ministrent mensam, & aleas ijs, qui non solent peccare mortaliter, quod etiam docet Eminent. De Lugo *de iust. disp.* 31. *n.* 6.

3 Nec etiam si peccata blasphemię, vel fraudes à ludentibus fierent, peccaret Capitaneus mortaliter, quia cum illi, qui ludunt possint bene, vel malè vti ludo; tunc solū capitaneus peccaret, quando non haberet iustam causam tenendi in sua domo ludum: at vidimus *nu.* 1. eum multas causas habere.

4 Nec refert, quod Capitanei pręcipuè moueantur ob lucrū, quod ipsis prouenit: nā posita iusta causa habendi in sua domo ludum, & posito quod, lucrum non sit iniustum, et extortum per fraudes, ac vim: non est peccatum habere illā intentionem lucri; nam sicuti, cum ludus est licitus, non est peccatum ludere principaliter ob lucrum, vt *quæs.* 12. *n.* 10. diximus, sic non erit peccatū Capitaneo, qui licite potest exponere ludum iis, qui ad suā domum confluunt, habere præcipue intentionem lucri.

5 Dixi de Capitaneo magnarum ciuitatum; nam loquendo de oppidis paruis, ea ratio excusans non militat, non enim casus vrgentes, quibus occurrendum est, solēt accidere, vt consideranti patebit.

QVAERES XIV.

An viri nobiles domi suæ amicos excipientes, & ludos illis exponentes, peccent peccato scandali.

SVMMARIVM.

Excipientes in domo sua amicos num peccent peccato scandali, si ludos præbeant n. 1.
An ministrantes arundines melli-fluas, &c. ludentibus pueris, & alijs excusentur à peccato, & quare n. 2.
An Capitanus dans licentiam tenēdi d. ludos peccet n. 3.
Tenentes ludum, quando teneantur restituere ob fraudes, quæ ibi fierent n. 4.
Quid si minores excipiant ad bibendum, & ludendum n. 5.
Aspicientes eos, qui ludunt etiam cū peccato, quando ipsi peccent n. 6.
Quid si aspicientes ludos hos, sint religiosi obseruantes n. 7.

1 RESpondeo viros nobiles, qui in domo sua alios nobiles excipiunt, & ludum præbent ministrando chartas, & alia necessaria,

non

QVAERES XV.

An peccatum commißum coram Infidelibus habeat specialem malitiā scandali, & sit contra fidem.

SVMMARIVM

Affirmatiue respondet Verricelli nu. 1.
Probabilius est, esse peccatum scā-dali, at non contra fidem, nisi sit scandalum directum 2.
Virtutes obligant etiam ad nō procurandum, vt alij ponant vitia ipsis contraria n. 3.
In scandalo indirecto probabilius est non esse explicandum speciē peccati, ad quod fuit scandalum num. 4.
Infidelis præuidens suo peccato, infidelem sumpturum occasionem obdurandi in infidelitate nullo do est caussa talis obdurationis num. 5.
Quis dicatur causa indirecta peccati alterius. ibid.
Occurritur tacitæ obiectioni, & ostenditur quare peccet præuidens proximum peccaturum ex ex sua actione nu. 6.
Charitas est virtus excellentior obligans in pluribus casibus, quā cæteræ virtutes. ibid.
Explicatur quomodo stet, me teneri vitare hoc proximi peccatum, & solum peccare contra charitatem nu. 7.
Non corripiens proximum non tenetur explicare speciem peccati, de quo non corripuit nu. 8.
Quid sentiant multi probabiliter de scandalo indirecto, an sit species peccati, & numerus personarum explicandus nu. 9.
Fundamentum d. probabilis opinionis nu. 10.
An dans scandalum vnde alius superatus est, &c. teneatur ad restitutionem nu. 11.
Quid si ex iustitia tenebatur scandalizans subditum, eius peccatū impedire nu. 12.
Confessarius quamuis ex malitia excuset pœnitentem à restitutione, non tenetur restituere nu. 13.
Fiscalis non deferens delinquentē, non tenetur soluere pœnam fisco debitam.

1 HAnc qu. proponit nouissime Verricelli *tr.* 15. *quæst.* 221. *de Apost. Miss.* & illā resoluit affirm. quando peccatū esset valde enorme, quia Infideles vidētes Christianos hæc tam grauia crimina perpetrantes, conijciuntur in grauē tentationē, cui difficillime poterunt resistere, contra fidē, & sic, qui est suis prauis actionibus caussa talis actus contra fidem, quem eliciunt Infideles, peccat contra fidem, nisi forte illi Christiani ab ipsis infidelibus tamquam mali, & nullius authoritatis reputantur, vel Infideles essent valde obstinati, vt nō censerētur manere in sua perfidia ob illorum peccatū.

2 Ceterum hanc Verricelli opinionem amplector vtiq; quoad primā Partē, quod tale peccatū habeat specialē malitiā scandali ob rationem ab ipso assignatam, non autē quoad secūdam, quod tale peccatū sit contra fidē nisi quando peccans intenderet lapsum illorum Infidelium, & obstinationem in sua Infidelitate, tunc enim esset scandalum directum, & formaliter, vel saltem scandalum directum, quia sc. non intendit mere lapsum Infidelium, sed quia ex illo lapsu, & obstinatione aliquod commodum sibi obuenit, inquo ca-

ſu communiter putant Doctores non ſolum peccare ſcandalizantem peccato ſcandali, contra charitatem, ſed etiam eodem peccato, quod committit ſcandalizatus, vt videri poteſt apud Suar. de Char. *diſp.* 10. *ſect.* 2. *à nu.* 8. Delugo *de pœn. diſp.* 16 *ſect.* 4. Ferrant. *de ſcandalo quæſt* 27. *Bardi in ſelect. lib.* 9. *quæſt.* 1. *ſec.* 4. *nu.* 1.

3 Et ratio eſt manifeſta, quia virtus quęlibet non ſolum obligat homines ad non ponendum vitium contrarium tali virtuti; ſed etiam indirectè ad non procurandum, vt alij ponant, & virtutem violent, vt eſt certa ſententia ab omnibus recepta: ergo cum quis ſiue directè, & formaliter; ſiue tantum directè, exerceat actionem ex intentione, vt alius faciat contra aliquã virtutem; peccat etiam contra illam: vnde tenetur in confeſſione explicare ſpeciem virtutis, v.g. feci contra iuſtitiam, temperantiam, & in tali, ac tali ſpecie hominem occidendo, non ieiunando, &c. ita D. Thom. 2. 2. *q.* 23. *art* 3. *&* 4. Sanchez *lib.* 1. *ſumm. cap.* 6. alios referens.

4 At loquendo quãdo quis peccaret abſque illa praua intentione; ſed tantum præuidet, quod ex ſuo enormi peccato coram Infidelibus illi ſument occaſionem male ſentiendi contra fidẽ. Probabilius puto, eum non peccare contra fidem, quia eſt ſcandalum indirectum, in quo probabilior ſentẽtia docet, pœnitentem, qui ſuo exemplo proximum indirectè ſcandalizauit, nõ teneri in confeſſione dicere ſpeciem peccati, quod commiſit proximus v.g meo exemplo dedi occaſionem alteri blaſphęmãdi, ſed ſufficit ſi dicat meo exẽplo ſcandalum graue fui alijs. Ita Delugo de pœn. *diſp.* 16. *ſect.* 4. *nu.* 159. cum ſequitur Ferrantin. de ſcand. *qu.* 27. Leand. de Sacram. *to.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 8. Martinon de pœnit. *diſp.* 50. *nu.* 74.

5 Quod etiam probo, quia fidelis peccans graui peccato v. g. blaſphæmiæ, præuidens Infidelem inde ſumpturum occaſionẽ malè ſentiendi de noſtra fide, nõ eſt cauſſa, neque directa, neque indirecta peccati infidelitatis, quod Infidelis commiſit: ergo non peccat peccato Infidelitatis. Conſequentia eſt manifeſta, quia tale peccatum Infidelitatis nullo modo fuit illi volitũ. Ant. prob. quia ille dicitur cauſſa indirecta (nam quod non ſit cauſſa directa omnes docent) alicuius peccati, qui tenetur aliqua obligatione illud impedire, & nõ impedit, cũ cõmode poſſit, vt conſtat, & docent DD. mox citandi. Sed fidelis præuidens, Infidelem ſumpturum occaſionem permanendi in infidelitate, & peccandi contra fidem, non tenetur tale peccatum impedire; ergo is non eſt cauſa neque indirecta talis peccati ab infideli contra fidem commiſſo. Minor hæc probatur; nam virtutes v.g. fides, caſtitas, &c. nos obligat, vt vitia illis contraria nullo modo ponamus, neque per nos metipſos, neque per alios, illos poſitiue inducendo; non autem obligant ſaltem ſub mortali, ne ſimus alijs occaſio præter intentionem ea committendi.

6 Solum reſtat tacitæ obiectioni reſpondendum, nimirum, hãc rationem nimium probare, quia ſi indirectè inducẽs ad peccatum furti, v. g. non cenſetur cauſa indirecta illius, nec tenetur impedire peccatũ furti in proximo; neq; peccaret peccato ſcandali actiui dati: nam non eſ-

esse scandalum datum, sed acceptum, quando quis exercet aliquam actionem, & illam vitare non tenetur, ne proximus sumat occasionem peccādi, docent omnes Doctores.

Respondeo negandò sequelā; nam licèt quis non teneatur ex vi virtutis iustitiæ ad non impediendum in alio peccatum iniustitiæ, & vi temperantiæ ad non impediendum in alio peccatum intemperantiæ; sed solum tenetur nō excitare aliū ad ea peccata; tamē tenetur ex obligatione charitatis ad vitandum opus, ex quo proximus ad peccādum inducatur, & sic dum non vitat casu quo potest, peccat contra solam charitatem, non autem contra Iustitiam, aut contra Castitatem, &c. Nam charitas est virtus excellentior, & vniuersalior, ac magis obligat, & in pluribus casibus, & sic licet ceteræ virtutes non possint obligare ad non dandam occasionē indirectam contra ipsos, at charitas potest, & obligat, vt quando possumus, id faciamus. Ita in terminis Suarius *de Char.disp.* 10. *sec.* 12. *nu.* 9. & ex eo Delugo *d. sec.* 4. *n.* 160. *dis.* 16.

7 Neque hoc adeo mirum videri debet Dicastillo *n.* 337. *dis.* 9. *de.pæn.* quod aliquis teneatur hic, & nunc vitare ex charitate hoc peccatum numero v. g. Infidelitatem, & solum peccet contra præceptum Charitatis vitandi proximi malum, & vitandi tale malum, vt putet se cōtra Delugū rē conficere, possem enim afferre multa exempla v.g. Qui ex odiò gaudet graui malo proximi, aut illud desiderat, iuxta probabilorem sententiam, sufficit si in confessione se accuset, gauisus sum graui malo proximi, vel graue malum desiderasse absque eo, quod explicet speciem mali, & hoc quia ceteræ species respectu charitatis, hæc prohibentis, materialiter se habent, vt bene aduertit Martinon. *loc. cit. de pœnit. disp.* 50. *à num.* 34.

8 Et ne à nostra materia recedamus, non minus quis tenetur ad proximum corripiendum, quam ad non dandum scandalū indirectum, ne proximus corruat ex S. Tho. 2. 2. *quæst.* 32. *ar.* 2. Et tamen qui nō corripit proximum extantem: v. g. in peccato furti, vel in peccato turpi, aut de blasphæmia, non tenetur in confessione explicare speciem peccati, de quo proximum non corripuit, sed tantum tenetur dicere; proximum in graui peccato existentem non corripui, quando non tenetur illum ex officio, vel iustitia corripere, vt videre est apud Delugo de Pœn. *disp.* 16. *sec.* 4. *num.* 153. quod tanquam certum omnes supponunt, & tamen qui tenetur ad correptionem fraternam tenetur corrigere proximum hic, & nunc in hac specie peccati lapsum, vt patet. Ergo similiter qui tenetur ex præcepto charitatis hic, & nunc non dare scandalum indirectè proximo in aliquo peccato, non tenetur in confessione aperire speciem peccati: Sed tantum se proximū scandalizasse in re graui.

9 Admitto tamen sententiam Verricelli, vt probabilem, quia probabilis est opinio eorum, qui docent, teneri pœnitentem, qui fuit occasio indirecta peccati proximi, non solum se accusare, quod fecerit actionem siue bonam, siue malam, ex qua præuidit proximum sumpturum occasionem peccandi (de quo nulla est difficultas, nimirum quod

ſit explicanda circumſtantia ſcandali) ſed etiam volunt exprimendam eſſe ſpecien peccati, quod proximus ſcandalizatus committit, & ſic qualitas perſonarum ſcandalizatarum, ſi fuerint v. g. coniugati, aut in ſacris, et multi etiam addunt explicandum eſſe ſcādalizatorum numerum, pro vt diximus, quādo datum eſt ſcandalum directū. Ita Sanch. Vaſqu. Coninch. Pōtius Ouied. Caietan. Monteſin. Filiucius, Bonacina, & alij, quos citat, & ſequitur Diana *par.* 10. *tra.* 12. *reſ.* 29. *& par.* 11. *tr.* 5. *reſol.* 49. *& par.* 3. *de Sacr. reſol.* 114. vbi exaggerat ignorantiam eorum Confeſſariorū, qui cum pœnitens ſe accuſet, quod ſua actione ſcandalum dederit, non faciunt eum accuſare neque de ſpecie peccati, neque de numero.

10 Horum Doctorum fundamētum præcipuum eſt, quod multis proſequitur P. Albertus de Albertis *de ornatu mulier diſp.* 1. *dub.* 5. *ſegm.* 2. ſed vnico verbo tota eius vis conſiſtit, nimirum quia ſcandalizans proximum indirecte eſt cauſa moralis Indirecta illius peccati, quod proximus committit: ergo debet illud confiteri, ſicuti confiteri tenetur, quando directè proximum ſcandalizat, nam ad contrahēdam culpam ſufficit indirecta voluntas *ex* 1. 2. *qu.* 6. vbi omnes Theologi.

11 Vtrum autem in hac ſententia ſequatur, quod ſi quis contra iuſtitiam ſcandalum indirectum committat, quia v. g. ſuo malo exemplo præuidet, quod Paulus ſit furtum commiſſurus contra Caium, teneatur reſtituere Caio? Videte Dicaſtillum de de pœn. *diſp.* 9. *dub.* 8. *num.* 343. vbi bene partē negatiuā probat.

12 Et idem eſt, quando qui ſcandalum hoc committit teneretur ex iuſtitia vitare ſubditi peccatum, quia non tenetur ex Iuſtitia debita illi, qui fuit à ſubdito damnificatus, ſic dicit *num.* 344 Idem Dicaſtil.

13 Sicut Confeſſarius licet faciat contra ſuum officium malitioſe docens Pœnitentem, non teneri reſtituere, tamen non tenetur ad reſtitutionē ex Suar. de Pœn. quem citat, & ſequitur Dicaſtill. *lo. cit. num.* 344. nec fiſcalis tenetur ad reſtitutionem pœnæ debitę fiſco, ſi non accuſat delinquentem ex Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 18. & alijs.

QVAERES XVI.

An qui directe proximum ſcandalizat, poſſit in aliquo caſu excuſari à peccato, præſertim ſi ſcandalizatus ſit paratus, vbi quomodo tale peccatum ſit confitendum.

SVMMARIVM

Nullo bono fine poteſt à peccato excuſari directè proximum ſcandalizans nu. 1.

An qui alium ad peccandum inducit teneatur fateri inductionē; ſicuti quando inductio fuit ad hoc, vt proximus peccaret n. 2. *vbi quid in cæteris peccatis, quæ fiunt cum ſocio.*

Quid ſi quis ſocium ad furandum incitauit nu. 3.

Quid ſi per accidens eſt, vt in eo peccato fuerit ſocius n. 4.

Quid ſi peccato furti fuit ſcandalum indirectum n. 5.

Oſtenditur contra doctum recentiorem, magni referre ad praxim cognoſcere, quando ſit ſcandalū generale, & quando ſit ſpeciale nu. 6.

Titi-

Titius non videns missam ad hoc, vt Paulus omittat ieiunium, & patiatur hoc spirituale detrimentum tria peccata committit ibid.

Scandalum speciale tunc solum est quando ruina spiritualis proximi intenditur nu. 7.

1 HAnc quęstionē mouet Ferrantinus *de scand. qu.* 14. & ad illam decidendam fusissimā habet disceptationē. breuissimè tamen respondeo, omninò esse certum, illum qui directè proximo scandalum præbet, semper peccare mortaliter, neque posse vllo bono fine excusari, cum preceptum scandali vitandi sit negatiuum, atque adeo exercēs aliquā actionem cum illa intentione inducendi proximum ad peccādum, semper peccat mortaliter, etiamsi proximus sit paratissimus ad peccandum, etiāsi quis illum induceret, solum oretenus proferret verba, & nollet, vt proximus laberetur, quia adhibet illa verba, quæ sunt medium essentialiter ad peccandū ordinata.

2 Et quamuis sit certum etiam, quod in scandalo directo, & formali, quando quis simpliciter intendit proximi ruinam; semper sit explicanda ista circumstantia. v. g. procuraui, vt proximus peccaret non alio fine, nisi ob eius ruinam, tunc enim est speciale peccatū contra charitatem.

Tamen quando scandalū est tantum directum, & non formale in peccatis, quę fiunt cum socio, sufficit hoc explicare: absq; eo quod dicat inductionem. v. g. si quis aliquem inducat ad peccandum; sufficit si dicat. peccaui cū soluta, &c. & ratio asignatur à Delugo de pœn. *disp.* 16. *sec.* 4. *n.* 142. *ibi* [quia illa malitia (nēpe scādali) habetur, licet nō ita grauis, quando aliquis non sollicitat, adhuc enim participat cum illa in suo peccato, & est caussa cooperans ad eius ruinam, quare solum videtur apparere magis hęc malitia intra eamdem speciem, quando aliquis positiuè inuitat, & sollicitat. Idem etiam est dicēdum in missa quādo aliquis confabulatus est notabiliter, non enim est interrogandus, an ipse prouocauerit socium nec ne: sufficit enim quod cooperatus sit; & idem est, quādo quis confitetur turpia colloquia cum alijs] sic etiam Vasqu. *de pœnit. qu.* 91. *ar.* 1. *dub.* 4.

3 Idem dicit Ferrantin. *qu.* 14. *num.* 45. de eo, qui socium ad furandum inuitauit. sufficit enim dicere, furatus sum simul cum socio, quia ait ipse dicto peccato furti, & socio delicti sufficienter explicatur illa inductio, quia est eiusdem speciei cum cooperatione ad furandum. quæ omnia sunt probabilia ob auctoritatem insignium DD.

4 Contra verò quandò ex ipsa manifestatione peccati non venit socius, sed mere per accidens est, illum adesse; tunc inducens tenetur proprium peccatum aperire, & etiam inductionem, v. g. si inducēs furatus est ab Antonio crumenam, & alteri suaserit, vt abstulisset aliquid aliud, vtrumque tenetur fateri.

5 Quando vero scandalum fuit tantum indirectè datum sufficit dicere, furatus sum, & dedi alteri occasionem grauis peccati.

6 Vnum hic noto, non posse me percipere quid sibi velit ingeniosissimus Bardi in selectis *l.* 1. *q.* 1. *sect.* 1. *n.* 4. vbi cum posuisset duas sentētias explicantes, quādo nam sit scandalum speciale, ad-

addit ipse; se non curare examinare eorum fundamenta, quia nil refert pro praxi determinare, quænam sit verior ex illis; nā siue scandalum sit speciale, siue generale, inducens semper tenetur in confessione aperire circūstantiam scandali; non inquam percipio quid intelligat Bardi; nam si est scandalum speciale est peccatum distinctum specie à peccato ad quod proximus inducitur. v. g. sit Titius, qui non videat Missam, ad hoc vt Caius similiter ommittat ieiunium, & patiatur hoc speciale detrimentum, tria peccata cōmittit explicanda in confessione vnum contra preceptum Ecclesiæ de auditione Missæ, aliud etiam contra præceptum Ecclesiæ de ieiunio, & tertium contra charitatem, vel misericordiam, quia voluit hoc malum spirituale illi, at quando scandalum non est speciale, etiam si fuerit directum: vt si Titius excitasset Caium ad non ieiunandum ob cōmodum sui ipsius Titij, tunc duo sunt peccata, Vnum contra Ecclesiæ præceptum de audienda Missa, aliud scandali generalis, quod habet malitiam violationis præcepti de Ieiunio, & non habetur tertia species peccati contra Charitatem, sed solum genericam, sicut in omni peccato generice peccatur contra charitatem, vt notant omnes teste Sanchez *lib. 1. cap. 6. num. 4.*

7 Multum igitur pro praxi facit scire, quando sit speciale scandalum, & quando sit tantū generale. Dico igitur tum solum esse scandalum speciale quando intenditur ruina spiritualis proximi, vt docet cum multis Sanchez *lib. 1. dec. cap. 6. à num.* 3. & passim Recentiores.

QVAERES XVII.

An coniugatus qui excitet alium coniugatum ad fornicandum, solum peccet peccato scandali directi, atque adeo sit reus solius fornicationis ab altero admissæ.

SVMMARIVM

Negatiua sententia videtur colligi ex doctrina Eminentiss. Delugo putantis, habentem votum castitatis, si alium excitet ad peccandum contra votum peccare etiam contra suum votum n. 1.

Non admittitur d. opinio, & affirmatiua sententia in hac quæstione probatur nu. 2.

Coniuges non se obligant, ad non procurandum, vt alij coniugati fidem matrimonij seruent. ibid.

Quid si habens votum castitatis tangat impudicè alium habentē simile votum, an teneatur proprij voti aperire circumstantiā remissiuè nu. 3.

Ferrantini opinio circa modum cōfitendi inductionem ad fornicandum refellitur. nu. 4.

Habens copulam cum soluta nullo modo satisfacit, si dicat in confessione peccaui contra castitatem cum soluta n. 4. & 5.

1 NEgatiue proculdubio respondebit Eminent. Delugo. Nam ipse de Pœnit. *disp.* 16. *sec.* 4. *num.* 152. putauit scādalizantem alium directe, eumque inducentem ad peccandum contra castitatem, non solum, teneri explicare circumstantiam voti, quod habet ille, qui fuit scandalizatus, & ad peccatum inductus, v. g. dicendo in confessione excitaui quemdam habentem votum castitatis ad fornicandum, sed etiam teneri expli-

pli-

plicare circumstantiam voti, quod habet ipse inducens non solum quando ipse turpem haberet delectationem in se, in quo casu certum est teneri, quia reuera peccat contra castitatem, sed quando nullam turpem habuit delectationem, puta si Sacerdos suaderet Bertæ, vt Titio acquiesceret turpia petēti. Eius ratio est, quia inducens alium ad peccandū contra castitatem, peccat eadem specie, qua peccat inductus: ergo peccat contra castitatem; sed habens votum quoties peccat contra castitatem, tenetur talem voti circumstantiam aperire: ergo etiam, & iste, qui habens votum, directe inducit ad peccata contra castitatē alios, quod argumentum etiam cōuincet, cōiugatū non solū peccare peccato fornicationis quatenus alium coniugatum excitauit ad fornicādum, sed etiā peccato adulterij, quia coniugatus quoties peccat cōtra fidē matrimonij tenetur coniugij circumstantiam aperire; sed hic inducēs alium coniugatum ad fornicandum peccat contra fidem matrimonij: ergo.

2 Sed hæc sapientissimi Viri doctrina nec olim mihi placuit in *qq. mor. tr.* 1. *d.* 6. *quæst.* 12. neque nunc arridet in hoc casu. Vnde affirmatiue respondeo, nimirum coniugatum, si excitet alium coniugatum ad peccatum carnale peccare, solum peccato scandali directi, atque debere solum fateri circumstantiā coniugij, quam habet scandalizatus, & non suam, quia ipse in matrimonio tradidit suum corpus coniugi cum obligatione non tradendi alteri, at non se obligauit ad non procurandum, vt alij coniugati contra fidem matrimonij alijs suū corpus tradant, & sic vnum tantum peccatum adulterij committit, quatenus sua inductio reducitur ad eamdem speciem peccati, quod coniugatus committit, nam fides debita coniugibus ipsos obligat directe, ne suam carnem alijs diuidant; alios vero indirecte ne hoc procurent. Idem etiam dici potest de Religioso, qui suo prauo consilio alium induceret ad non obediendum Prælato, tantum enim tenetur votum obedientię ex parte inducti explicare, nō proprium ob rationem assignatam.

3 Vtrum autem idem dicendū sit, quando aliquis habens votū Castitatis tangit sine propria delectatione alium habentem simile votum, ita vt satis sit dicere, tetigi alium habentem votū castitatis impudice, vel ad pollutionē prouocaui absque eo, quod dicat proprium votum, dixi in qq. moral. tr. 2. qu. vlt. vbi Caramuelis Ingeniosissimi sententiā negantem omnino respui.

4 Vbi doleo Ferrantium de scandalo *qu.* 27. *num.* 40. probabilem existimare [quod sufficit, si ille, qui per suum consilium cooperatus est directe ad eam fornicationem, confiteatur ita peccatum scandali dicendo, se suo consilio aliquem induxisse ad peccatum graue contra Castitatem cum soluta] doleo inquam, quia Ferrantini ratio satis est improbabilis, mouetur enim ipse ex eo, quod sint, qui docent, teste Turriano de Pœn. *qu.* 9. *ar.* 2. *disp.* 29. *d.* 2. *ad arg.* 5. habentem copulam cum soluta satisfacere, si dicat in confessione, cōmisi graue peccatum contra castitatem cum soluta, quam sententiam ipse putat probabilem non alia ductus ratione, nisi quia illam putauit probabilem Diana

de

de Sacram. *res.* 88. cum suã dixerit probabiliorem.

5 Sed hoc fundamentum corruit, quia ipsemet Diana *par.* 11.*tr.* 5. *res.* 48. declarat, talem sententiam se non constituere intra terminos probabilitatis, quod etiã dicit Dicastill. de pœn. *disp.* 9. *dub.* 8. *num.* 456. vbi ait Theologos, qui id asseruerunt nõ esse dignos hoc nomine. Delugo de pœn. *dis.* 16. *sec.* 5. §. 1. *num.* 258. & alij, ab ipso Diana *Resol.* 48. relati. quare cum hoc fundamentum, in quo fundatur Ferrantinus ad asserendũ, quod sit probabile in casu nostro de scandalo, ab eo, qui induxit ad fornicandum alium suo consilio non esse copulam aperiendam, &c. corruat; etiam illius illatio non subsistet, & ratio est manifesta, quia etiam cum soluta possunt esse diuersa specie peccata, vnde debet in confessione dicere; excitaui alium ad fornicandum, & non satisfaciet, si dicat; excitaui alium ad turpia cum soluta.

QVAERES XVIII.

An qui aduertit, proximum peccare ex conscientia erronea, teneatur veritatem docere, si timet tali manifestatione plura proximi peccata.

SVMMARIVM

Quæstio hæc alias ex parte fuit pertractata ab Autore. nu. 1.

Proponitur ratio dubitandi pro vtraque parte in casu posito. n. 2.

Eodem præcepto caritatis tenemur proximum corripere lapsum, & si possumus, impedire, ne labatur. ibi.

1 HVnc casum proposui in *qq. mor. tr.* 1. *disp.* 3. *quæst.* 9. respectu Confessarij, & exemplũ attuli, quando aliquis putaret, esse mortale occidere suum inimicum in ijs circumstantijs, in quibus est licitum, de quibus videri possunt Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 39. *num.* 7. Molina. *to.* 4. *tr.* 3. *d.* 12. *num.* 2. Amicus *tom.* 5. *disp.* 36. *sec.* 7. Delugo *de iust. dis.* 10. *sec.* 7. *à* 157. Lezana *in consult.* 29. *num.* 8. vbi alios citat.

2 Sed quia difficultas potest procedere etiam respectu aliorum omnium, ideo generaliter quæro: an in tali casu exempli positi, vel simili, teneamur proximum docere veritatem, vel potius docendo simus illi scandulum, & ratio dubitandi est, quia ex vna parte tenemur ex charitate Deo & proximo debita illius peccatum vitare, quando possumus commode, & sine nostro graui malo ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 32. *ar.* 2. qui quamuis ibi loquatur de correptione fraterna, quæ vt vidimus, semper supponit lapsũ proximi, quod Christus Dominus explicuit *Matt.* 18. *si peccauerit, &c.* & non dixit, *si peccaturum vides*: tamen eius doctrina optime potest in hoc casu applicari, cum teneamur ex eodẽ præcepto charitatis vi defensionis honoris Dei, & boni proximi, eius peccatum vitare, quando possumus sine nostro graui Incommodo, vt aduertit Coninch. *disp.* 28. *de Correp. fraterna dub.* 3. *num.* 35.

Sed in casu nostro nullum videtur sequi posse damnum, imo gratissimum erit illi, qui docetur non esse peccatum quod vult facere, &c. contra vero ex altera parte videtur nemo posse à tali errore ignorantem liberare, illum docendò, nullum esse pec-

catum in talibus circumstantijs occidere inimicũ, quia aperiretur illi via ad alia homicidia perpetranda sub hoc colore, quod inimicus vult illi vitam, vel famam, aut bona tollere iniuste, nec aliam viam habet euadendi. vnde ob hanc rationem Io. Escobar *par. 2. de purit. & nobilit. proban. quæst.* 1. Gloss. 4. *num.* 14. quamuis putet, veram illam sententiam, quod licet occidere eum, à quo certo mors paratur, &c. vt supra dixere illi Doctores ait tamen, non esse cõsulendam, vt dixi in d. qu. 9. vbi aliam rationem adduxi, nimirum quod possit quis consulere minus malũ ad maius vitandũ, ergo multo magis possumus nos tacere veritatẽ ad maiora mala vitãda.

Certe in hac difficili qu. libẽtius aliorum dictum sequerer, quam aliquid dicerem, nihilominus quia valde vtilis est eius resolutio, & potest in varijs circumstantijs accidere per singulas discurrendum est breuiter.

§. I.

Quid faciendum quando moraliter constat, monitũ abusurum vera doctrina.

SVMMARIVM

Nemo tenetur, factu d. suppositione, docere volentem peccare ex cõscientia, si aliunde id scit n. 3.

Monitio vbi non est profutura non datur ex S. Aug. n. 4.

Medicus tenetur abstinere à medicamento, quod licet aliquam afferat sanitatem, certo varios morbos causabit n. 5.

Consultus tenetur si potest, dissimulare alias respondeat veritatem, non obstante consulentis scandalo morraliter certo. nu. 6.

Quid si non eludat in d. casu consulentem, qualiter peccet ibi.

Doctor tenetur veritatem docere, esto alij sumant ex ea peccandi occasionem n. 7.

3 DIco 1. si Caius laborãs ignorantia erronea sit talis naturę, & in talibus circumstãtijs, vt si admoneatur, quod hic, & nunc non sit peccatum occidere Inimicum, certum sit moraliter quod alia homicidia iniusta faceret, nemo qui aliunde scit talem Caij intentionem, tenetur illum docere, & remouere ab illa ignorantia. Hanc conclusionem ad minus probat argumẽtum supra positũ de consulente minus malum, non enim in hoc casu tacens cooperatur peccato alterius, & est causa illius: sed solum permittit malum minus, nempe vnum peccatũ ad multa vitanda.

4 Confir. 1. ex illo August. quod refertur in *cap. si quis autẽ de pœn. dis.* 7. vbi S. Doctor ait [ideo do tibi pęnitentiã, quia nescio, an tibi prodero, si enim scirẽ quod non prodessem, non te admonerem] ergo multo magis quãdo scio nõ solum non prodesse, sed etiam valde obesse admonitionem, & esse caussam grauioris ruinæ Caij, & aliorum, non tenetur admonere, sed debet omnino tacere. Et ratio meo iudicio est manifesta, quia finis admonitionis, vel silentij debet esse bonum proximi, aut bonũ publicũ, ergo cũ ex silẽtio maius bonum proximi, & publici habeamus, non tenemur monere.

5 Conf. 2. quia si medicus haberet aliquod medicamẽtum quod certo affert salutem laboranti aliquo modo v. g. dolore capitis,

at certo sciret tale medicamentum per multos alios morbos fore allaturum, v. g. dolorem dētium, &c. tenetur ex officio ab eo abstinere: ergo, &c.

6 Dico 2. si Caius consulat aliquem, petetque ab eo, num sit peccatum exercere talē actionem v. g. homicidium in his circumstantijs, consultus tenetur lege charitatis, si potest interrogantem eludere, at si non potest. tenetur veritatem fateri, quamuis certo sciat moraliter, quod Caius ex illa responsione varia peccata committet.

Primam partem probo; quia ex lege charitatis non solum temur non dare proximo occasionem peccandi, sed etiam talem occasionem auertere in quantū possumus, vnde in cap. in mandatis dis. 43. quod est desumpum ex epist. 3. D. Clem. vbi ait. [Quod si quis se ingesserit, & procurat, vt nos dicamus ea, quę illum non opportet audire, prudenter eum debemus eludere] sic ipse loquitur. Aduerto tamen non excedere culpam venialem, quia nemo diceret præcepta charitatis, quę suauissima esse solent; obligare sub mortali hominem ad tantam prudentiam, vt subbito interrogatus possit, & mendacium vitare, & interrogantem eludere, vt in simili aduertit Sāchez in infra citandus.

Secunda vero pars prob. quia posito quod cōsultus à Caio velit illi respondere: habeatur inurbanus, vel ne illum offendat, tenetur ex officio tamquam doctor manifestare veritatem; dicendo v. g. sunt multi, & grauissimi Doctores, qui dicunt in hoc casu facta suppositione, quod aliter non possis mortem, aut calumniam grauem euadere, nullum esse peccatum, at ijdem, & alij optime obseruant, hoc esse expositum graui periculo labendi in multa peccata, quia facile quis passione ductus, putabit, se non habere aliam viam euadendi, nisi occisione Inimici, & doctrina tradita ad subleuandum Innocentem abutetur ad proprium odium explēdum.

7 Ratio vlterior est quia cū hic cōsultus in hoc casu sit tamquam doctor, at doctor tenetur veritatem dicere, etiam si sciat, quod alius sumet occasionem peccandi, cum enim veritas propalatur, & factum debito modo enucleetur, non est occasio ruinæ datæ, sed acceptæ, nec ex vera doctrina oriuntur illa peccata, sed ex malitia illius, vt bene aduertit Bannez *d. qu. 74. ar. 7.* & habetur ex *cap. qui scandalizauerit de regul. iuris* ibi [vtilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur] Vnde D. Ambr. *ser.* 83. ait [ego interdum parcens vobis tacere vellem, sed malo contumaciæ causas reddere, quam negligentiæ sustinere iudiciū [Hanc cōclusionem secundum vtrāque partem dent, necesse est D. Ant. Sylu. Veracr. quos citat, & sequitur Sanch. *lib. 7. d.* 11. *num.* 12. vbi idem docent in casu simili de eo, qui habet votum, & interrogaret, num votum castitatis dirimat matrimoniū, quando ipsi aduertunt, quod petens ex vera respōsione sumet occasionem peccati, & contrahet sacrilege matrimonium.

§ II.

An teneatur monere qui non interrogatur ab habente conscientiam erroneam?

SVM-

SVMMARIVM.

Quid si peccans ex conscientia erronea te non interroget, & solum timeas, quod ille vera doctrina abutetur non teneris monere si non es confessarius in ipsa confessione. nu. 7.

Confessarius in ipsa confessione in quo differat à proprio Parocho. nu. 9.

Iudex electus vt arbiter, si officium acceptet, ad quid teneatur. ibi.

Confessarius in ipsa confessione tenetur docere quem vides ex cõscientia erronea peccare, quamuis timeat scandalum pænitentis num. 10.

Quid si sit extra confessionem, vel si non sit confessariut nu. 11.

Confessarius si in confessione cognoscat, pœnitentem operari bona f. cum ignorantia inuincibili cuiuscumque iuris, debet tacere si videt fore suam monitionem damnosam nu. 12.

Assignatur disparitas inter dictam doctrinam, & casum quæstionis præsentis nu. 13.

8 DIco tertio si Caius neminẽ interroget, sed eius conscientia ertonea aliunde sciatur, & solum sit timor, quod si admoneatur, & sciat, hanc actionem nõ esse peccatum, alia peccata erit perpetraturus, tenetur Confessarius eum docere veritatem in ipsa confessione, sincere omnia explicando, non autem alij proximi, nec ipse Confessarius extra Confessionem.

9 Prior pars prob. quia cum Cõfessarius tale muuus exercet est verus Pastor, ac doctor; nam inter proprium pastorem, & aliũ Sacerdotem, qui non est pastor, hæc est differentia, quod proprius pastor tenetur ex officio audire pœnitentem, alius, vero non tenetur ex officio, at posito quod suscipit munus, & pœnitetem audit, tenetur eodem pacto ex officio, & iustitia, ac proprius pastor, sicuti iudex electus à partibus, vt arbitrer potest respuere, & officium non acceptare; at postquam acceptauit, tenerur iudicare, & iustitiam administrare non secus, ac si esset iudex ordinarius, vt optimè aduertit Dicastill. *de pœn. d.* 10. *d.* 27. *num.* 516. alias rationes videte *in d. disp.* 3. *qu.* 9. *in qq. moralibus*. Nolo enim ibi dicta repetere.

10 Confirmatur ex dictis pro secunda concl. quando Caius interrogaret aliquẽ, vbi diximus, eum teneri, nam obligatio Confessarij non augetur ex interrogatione pœnitentis, sed semper est eadem, vt dixi *iu qu. mor. tr.* 1. *disp.* 3. *qu.* 5. & mox *quæst. seq.* probabo, ergo si Cõfessarius interrogatus à pœnitente, tenetur veritatem manifestare, esto ille abutatur vera doctrina, tenetur etiam non interrogatus peccantem ex conscientia erronea docere, esto ille tali doctrina in posterum abutatur ex sua malitia.

11 Secunda pars quod alij proximi non teneantur, nec ipse Confessarius extra confessionem, videtur manifesta, nam præceptũ charitatis non obligat adeo strictè, & cum tanta formidine admonere peccautem ex cousciẽtia erronea, cum alij proximi, & Confessarius extra confessionem teneatur ex sola charitate, vt aduertit Delugo *disp.* 22. *sec.* 2. *num.* 35.

Et hanc partem dabunt omnes Doctores, quos tacito nomine refert Locra 2. 2. *qu.* 33. *ar.* 7. *disp.* 44. docentes, posse omitti correctionem fraternam, quæ

obligat ex charitate, quamuis certo ſperetur vtilitas correcti, ſi timeatur magnum nocumentum ſpirituale, vel temporale Reip. vel alterius; ergo multo magis dicent, non teneri proximum, alium docere peccantem ex conſcientia erronea, ſi timet magnum damnũ ſpirituale ipſi futurum, in ordine ad cuius bonum charitas obligat ad corrigendum. Hæc in re tam difficili habui, alij meliora afferent.

12 Contra hanc vltimam conclusionem, quod Cõfeſſarius tenetur, etiam non interrogatus docere pœnitentem, qui ad eũ accedit ad cõfitendum ſua peccata, quamuis timeat futurum damnum ſpirituale ipſius.

Obſtat vehementer probabiliſſima ſententia Doctorum, & hodie fere communis, nimirum ſi Confeſſarius in ipſa confeſſione cognoſcat, pœnitentem ex ignorantia inuincibili putare aliquam actionem nõ eſſe peccatum, ſi à pœnitente non interrogetur, eum poſſe, ac debere tacere, quando videt quod ſi pęnitentem admoneat, & auferat ab eo dictam ignorãtiam inuincibilem, nulla ſperatur vtilitas, ſed pęnitens incipiet eſſe in peccato mortali, cum prius ob bonam fidem fuerit in gratia, ſiue iſta difficultas proueniat ex infirmitate pęnitentis, ſiue ex malitia ipſius, ſiue illa ignorantia ſit iuris humani, ſiue iuris diuini, & contra tertium. In omnibus iſtis caſibus dicunt ferè cõmuniter Recentiores, Confeſſarium teneri tacere, & pœnitentem non admonere, quando is eſt in bona fide putans aliquod non eſſe peccatum, quod vere in ſe, & ratione obiecti eſt peccatum. Ita poſt Medin. Canum, Ledeſm. Henriq. Sanch. *lib.* 2. *de matrim. diſp.* 38. Delugo *de pœn. diſp.* 22. *ſect.* 2. Suar. *de pœn. diſp.* 32. *ſec.* 4. Bard. *de conſc. diſcept.* 3. *c. vlt.* qui alios citant; ergo male dictum eſt in noſtro caſu Confeſſarium in ipſa confeſſione ſiue interrogetur; ſiue non, teneri pœnitentem monere de veritate.

Reſpondeo, ad miſſa communi doctrina, nego conſequentiam, & in primis, ego nullam admitto maiorem obligationem in Confeſſario quando interrogatur, ab ea, quam habet, quãdo non interrogatur, vt *qu. ſequ.* probabo latius.

13 Quod autem nunc concedamus, Cõfeſſarium non poſſe veritatẽ manifeſtare quando pęnitẽs putat inuincibiliter aliquid non eſſe peccatũ, & nõ erit fructuoſa monitio, & in caſu propoſito dicimus, confeſſarium etiam non interrogatum teneri; diſparitatis ratio eſt, quia pœnitens quando ex conſcientia erronea eſt in bono ſtatu, munus optimi rectoris eſt illum ab hoc non amouere, ſi timet damnum aliquod ſpirituale futurum, At vero, quando pœnitens ex conſciẽtia erronea peccat eſt in malo ſtatu, idque eſt certũ, damnum vero futurũ eſt ſub dubio, & poteſt alia via reparari. Quis enim non dicet, peccare medicum contra ſuum munus, ſi præſenti malo, & ægro mortem certam inferenti non ſuccurrat, timore, ne quando erit ſanus in alios graues morbos incidet, fauent ni fallor huic meæ quæſtioni Doctores, qui abſolutè docent, Confeſſarium teneri admonere pęnitentem quando ex conſcientia erronea peccat. Sic Delugo *de pœn. diſput.* 32. *ſect.* 2. *num.* 23. vbi ait, debere Confeſſarium omnino monere. Idem etiam

etiam asserit Henriq. *de pœn. lib. 6. cap. 28. num. 1.* Sanch. *lib. 2. disp. 38. de matr. num. 4.*

QVAERES XIX.

An Confessarius eamdem habeat obligationem admonendi pœnitentem in ipsa confessione, quādo is habet conscientiam erroneam siue interrogetur ab ipso pœnitente, siue non.

SVMMARIVM.

Conclusio est affirmatiua. n. 1.
Confessarius aliquando interrogatus tenetur tacere, aliquando nō interrogatus debet monere. ibi.

1 PRo plena solutione difficultatis contra tradita *quæst. præced. in 3. concl.* & aliorum, quę fieri possent, quæstionem hanc posui, quæ pro praxi valde vtilis erit. Breuiter igitur ad eam respondeo affirmatiuè, nimirum Confessarium habere eamdem obligationem manifestandi veritatem pęnitēti in ipsa confessione siue ab eo interrogetur, siue non. Vnicum fundamentum est, quia Cōfessarius aliquando tenetur non interrogatus manifestare veritatem pœnitenti, aliquando etiam interrogatus tenetur tacere, & dissimulare modo, quo diximus in d. concl. Ergo obligatio Confessarij manifestandi veritatem pœnitenti non prouenit ex interrogatione pœnitentis, nec cessat ex nō interrogatione. Consequentia est manifesta, & patet ex Physicis v. g. si mea manus posita albedine, aliquando frigescit, & posita eadem albedine aliquando calescit, signum est euidens quod albedo non sit caussa caloris meæ manus.

§. I.

Explicantur varij casus, in quibus Confessarius tenetur monere pœnitentem ignarum, etiam si ab eo non interrogetur.

SVMMARIVM.

Pœnitens, qui inuincibiliter ignorat aliquid, quod redundat cōtra bonum commune est omnino à Confessario monendus n. 2.
Idem si putet bona f. non esse necessarium dolorem in sacramento pœnitentiæ, & velit absolutionem n. 3.
Quid si reuera non sit sacerdos, & se gerat ex ignorantia vt Sacerdotem n. 4.
Quid si non accepisset in ordinatione ex Episcopi obliuione potestatem clauium n. 5.
Potestas absoluendi quibus verbis Sacerdoti conferatur n. 5.
Quid si aliquis habet potestatem clauium, & sine licentia absoluit bona f. an sit à Confessario monendus n. 6.
Sponsalia debent sub m. contrahi tempore præfixo n. 7.
Ignarus impedimenti est monendus à confessario, quamuis nullum speret fructum iuxta Castropalaum ibid.
Opinio dicti auctoris non probatur n. 8.
Si videamus dispensationes esse subreptitias, ac putatas validas bona f. an possimus tacere n. 8.

2 ANtecedens autem quoad primam partem, scilicet teneri aliquando Confessarium in confessione, etiam pœnitēti nō interroganti veritatem manifestare, quamuis videat, quod ille in posterū abutetur veritate & fore constituendum in malo sta-

ſtatu, admittitur vnanimi conſenſu à Doctoribus in eo caſu, quando pœnitens ignorat inuincibiliter aliquid, quod eſt contra bonum commune, vt ſi Parochus inuincibiliter erret circa aliquod fieri myſterium, tenetur Confeſſarius illum monere, eſto ille ob ſuam perfidiã nullam ſit habiturus emendationem. Vel ſi quis bona fide contraxiſſet matrimonium; at eſſet publica fama, & ſcandalum nullitatis talis matrimonij, vt exẽplificat Henriq. de pœnit. *lib. 6. cap. 27.*

3 Aliud exemplũ affert Bardi *de cenſc. diſ. 3. cap. vlt.* nimirum, ſi pœnitens velit abſolutionem, & putat inuincibiliter, nõ eſſe neceſſarium dolorem in confeſſione, tunc debet Confeſſarius illum monere, quamuis ſciat, illum nõ fore emiſſurum dolorẽ.

4 Addit etiam Delugo *de pœn. diſ. 22. ſect. 2. num. 30.* hoc exemplum. Si quis putaret ſe eſse Sacerdotem cum reuera non ſit, tenetur Confeſsarius in confeſſione eum monere, non obſtante quod ſciat, illum perſeueraturum in mala, & irrita adminiſtratione Sacramentorum, quia bonum cõmune debet præferri bono particulari.

5 Idem ego dico quamuis eſset ſacerdos; ſed ſolum in ordinatione accepiſset poteſtatem ordinis, & non poteſtatem ad abſoluendum, quia nimirum Epiſcopus omiſit illa verba: Accipe Spiritum Sanctum, &c. quibus confertur poteſtas clauium, ſeu abſoluendi ex S. Tho. *in add. ad 3. p. qu. 8. ar. 3.* Nugnos ibi Vaſqu. nam tunc abſolutio eſt nulla vt probaui *qq. mor. diſ. 1. queſt. 2. tr. 1.*

6 Contra vero, tenetur Cõfeſſarius quando non ſperat emendationem non monere Sacerdotem abſoluentem ſine debita licentia bona fide tamen, quando adeſt communis error, quia ſcilicet ab alijs reputatur Confeſſarius legitime approbatus, & ratio diſparitatis eſt, quia quando quis non eſt Sacerdos quamuis ab omnibus talis reputetur, habet impedimentum iure diuino ad abſoluendum, quod Eccleſia non poteſt ſupplere; At in hoc caſu eſt defectus iuriſdictionis, quem Eccleſia ſupplet.

7 Aliud deniquc exemplum affert Caſtropalaus de pœnit. *diſp. vnica p. 18. nu. 9.* quod probat noſtram hanc partem antecedentis, ait enim ipſe, quod ſi quis vellet contrahere matrimoniũ ignarus impedimenti dirimentis, & Confeſſarius id aguoſcat in ipſa confeſſione v. g. quia ille ſe accuſat, quod diſtulerit contrahere matrimoniũ cum Berta (quod eſt mortale quando ſponſalia sũt cõtracta pro certo die v. g. contraham tecum hinc ad menſem, vel ſi nulla eſt dies ſtatuta, quando ſponſa potens petere exigat ſpõſum, vt matrimonium conrraheret ex dictis à me *lib. 1. de matr. diſp. 28.* cum Panor.) tenetur regulariter Cõfeſſarius omnino monere pœnitentẽ etiã ab eo nõ interrogatus ob reuerẽtiã Sacramẽti, & ad vitanda mala, quæ ſolent poſt contractum matrimonium, & nullum repertum, reperiri.

8 Eius tamen opinio mihi non probatur, ſed puto idem dicendum eſſe tam ante contractum matrimonium, quam poſt contractũ, & in vtroque caſu, Confeſſarium debere tacere, quando à pœnitente non interrogatur, vt bene aduertit Delugo *de pœn. diſp. 22. ſec. 2. num. 24.* & Nauarr.

in cap. si quis autem de pœn. dis. 7. num. 73. ait, se vidisse dispensationes aliquorum, qui deperitorum consilio putabant esse legitimas, cum reuera fuerint irritæ v. g. quia fuit expressa falsa causa finalis, & ait doctissimus vir, *se* tacuisse, & matrimonia ex vi illarum dispensationum irritarum fuisse contracta. Sine scrupulo igitur possumus in casu simili, quando videmus difficile remedium tacere, & tantum virum imitari.

§. II.

In quibus circumstantijs Confessarius teneatur pœnitentem non docere veritatem, quamuis ab eo interrogetur.

SVMMARIVM

Afferuntur varij casus, in quibus Confessarius non debet monere pœnitentem qui est in bona f. n. 9.

An debeat Confessarius tacere veritatem, quæ licet sit pœnitenti grata, at sequetur damnum filijs, &c. n. 10.

Quoties pœnitens est dubius, tenetur Confessarius eum docere veritatem, quamuis non sit ei profutura. n. 11.

Quid si pœnitens dubius non interroget Confessariū in confessione, n. 12.

Quomodo se gerat Confessarius monendo pœnitentem, qui dubitat de aliqua re, ne det illi occasionem peccandi. n. 13.

Vnus testis de impedimento non sufficit ad matrimonij dissolutionē. ibi.

Dubius an aliquid sit suum, quando possit id alienare. ibid.

Quid faciendum confessario, qui videt, pœnitentem ex conscientia erronea comedere carnes diebus vetitis, vel officium non recitare cum debet, &c. n. 14.

Quid si non sit Confessarius; sed quidam tertius. n. 15.

An idem dicendum de Confessario hæc sciente extra confessionem. n. 16.

9 AD Probationem secundæ partis, nimirum aliquādo Confessarium teneri tacere quāuis à pœnitente interrogetur, videri possunt dicta à me in qq. mor. vbi tr. 1. dis. 3. qu. 5. dixi, quod si Confessarius interrogetur à pœnitente, qui ex ignorantia erronea putat aliquod esse peccatum, at habet scrupulū num sit peccatum, tenetur tacere veritatem, quando videt, eam non esse profuturam, quia scrupulus non tollit bonam fidē in pœnitente ex Soto de secreto *3. membr. qu. 2. concl. 2.* quamuis contrarium putet Delugo *de pœn disp. 22. sec 2. Et qu. 7. eiusdem 3. disputa.* dixi Confessarium interrogatum à pœnitente Iudice, qui putat ex conscientia erronea se non teneri cōdemnare reum, posse veritatem tacere, & respōdere iudici approbando rationes eius, quia ex vna parte iudex est in bona fide, vt supponimus, & sic non peccat, & ex altera parte resultat ex veritatis aperitione damnum tertij, quod potest Confessarius veritatem tacendo cauere, nisi in aliquibus circumstantijs, quæ ibi videri possunt.

10 Tantum hic addo, quod etiam si iudex æquo animo veritatem acciperet, & reum condēnaret, adhuc probabile puto, posse Confessarium consultum veritatem tacere, quia non desunt graues Doctores, quos tacito nomine referunt Delugo de pœn. *dis. 22. sec. 2. num.* 34. Dicastill. *d. dis.* 10. *dub.* 28. qui putent, Confessarium debere tace-

re veritatem, etiam si pœnitens æquo animo eam esset accepturus, sed confessarius timet damnum filiorum, &c. talis pœnitentis.

Apparet igitur, non obstante interrogatione pœnitentis, non teneri aliquando Confessarium veritatem ipsi aperire, & per cõsequens, obligationem Confessarij in ipsa confessione non augeri ex interrogatione pœnitentis, aut minui ex eius non interrogatione, sed totam pendere ex maiori, vel minori bono, quod putat obuenturũ suo pęnitẽti, si taceat, vel nõ, iuxta supra positas regulas, & exceptiones.

11 Non infero tamẽ ex hoc quod possit Confessarius tacere veritatem, quando pœnitens dubius illum interrogaret. v. g. putat aliquis bona fide esse licitum aliquem contractum; at post aliquod tẽpus incipit dubitare, quia nimirum occurrunt rationes pro vtraq; parte, petit à Cõfessario cum hoc dubio; an exercere talem contractum sit licitũ, an hoc matrimonium sit validũ, &c. tenetur Confessarius iuxta communem sententiam, pro qua affert Sanchez *d. dis.* 38. *num.* 14. Henriqu. Sot. Ledesm. Aragon. Manuel. Medin. & Recensiores passim, vt in Delugo, Castrop. Suar. Coninch videri potest *loc. cit.* veritatem manifestare, Et si cognoscat fore, vt pœnitens non amplectetur veram doctrinam. At hoc non prouenit, quia interrogatio pęnitentis auget Cõfessarij obligationem. Sed quia ex quo pœnitens dubitat, est in mala fide, & sic illa ignorantia, qua putat talem contractum esse licitum, non est ignorantia inuincibilis; sed culpabilis. In quo casu Doctores vnanimi consensu dicunt, Confessarium non posse dissimulare, ac debere pœnitentem non absoluere, vt probaui *lib. 2. de matrim. disp.* 38. ex Sanchez, & alijs.

12 Quare in hoc sensu intelligendi sunt aliqui recentiores, qui absolute dicunt, Confessarium teneri pœnitenti veritatem manifestare, si ab eo interrogetur: nẽpe si ab eo dubitante interrogetur, alias ipsis non adhæreo ob dictas rationes, & exempla allata, quia interrogatio non auget obligationem Cõfessarij, sed mala fides ob dubium pænitentis: Ita si Confessarius etiam non interrogatus aduerteret, pœnitẽtem esse dubium; an furari sit peccatum, debet illum monere, etiam si non interrogetur.

13 Immo hanc communem opinionem, scilicet quod Confessarius interrogatus à pœnitente dubitante teneatur veritatem manifestare, ego *in quæst. mor. tr.* 1. *disp.* 3. *qu.* 5. limitaui hoc pacto, vt tunc teneatur Confessarius veritatem dicere ex vi eorũ, quæ pęnitens allegat pro suo dubio, & non ex vi scientiæ, quam habet Confessarius v. g. certo scit Confessarius, Titium esse nepotem Bertæ, hic incipit dubitare, num matrimonium sit validum, & accedit ad Confessarium, proponit suas rationes, quæ reuera sunt ineptæ ad probandam consanguinitatem, v. g. quia quædam mulier dixit, se audiuisse eos esse consanguineos, Confessarius debet respondere. Potes dubium deponere, quia Titius non interrogat de cognatione; sed de sufficientia dubij, ergo Cõfessarius quando non videt quod Veritatis aperitio proficiet, debet respondere iuxta petita, tacendo quod scit, tamquam tertia persona, & dicere pœnitenti, quietus esto, nam ad matrimonium

nium

nium dissoluendum non sufficit vnus testis etiam quoad forum conscientiæ, præsertim quando testis nescit gradus cosanguinitatis ex Mascard. de probat. conf. 635. vel si dubitans petat à Confessario, num prædium, de quo dubitat esse suum, possit alienare, quamuis Confessarius sciat, tale prædium non esse pœnitentis, tenetur tamen respondere: Potes alienare, quia vbi feceris sufficientem diligentiam, & non es certus, quod sit alienũ, potes illud alienare ratione possessionis, monito tamen emptore de dubio, vt cũ Medin. Veracr. Salonio, & alijs probaui *lib. 2. de matrim. disp.* 41. quia præcise pro illo actu, de quo dubitat, cessat bona fides, & non pro alijs.

14 Dices hic obiter, si verum esset, quod Confessarius teneatur pœnitentem monere in ipsa cõfessione quando videt, quod pœnitenti monitio sit profutura, etiam si ab eo non interrogetur, sequeretur, quod si Confessarius sciat, pœnitentem non ieiunare, quia ignorat hodie esse diem Ieiunij, aut non recitare officium, quia putauit quod iam recitarit, vel non videre sacrum, quia non putat, esse diem festum, &c. tenetur monere pœnitentem, si cognoscit illum æquo animo accepturum, ac ieiunaturũ, quod videtur contra praxim.

Respondeo breuiter: vel hæc omnia scit Confessarius ex vi cõfessionis, quam secum facit pœnitens, quia ver. gr. pœnitens se accusat, quod iratus sit contra seruum, qui non emit carnes bonas edendas pro ea die, &c. vel aliũde scit, puta si aliqui id dixerunt aliquo casu Confessario. si cognitio Confessarij habita est primo modo, tenetur vtiq; monere, quia tunc fungitur munere proprij pastoris, vt dictum est quæst. præced. & ex officio tenetur pœnitentes dirigere.

15 Vnde quãuis Ferrantinus *disp. 2. vbi de corrept. fraterna quæst. 3.* teneat probabiliter, nõ esse mortale non monere proximũ in his casibus, vel etiam si ille ignoranter faciat contra aliquam legem positiuam diuinam, vel humanám, quando nullum damnum sequitur ipsi operanti, aut alteri; tamen semper loquitur de persona priuata, quæ ex officio non tenetur ad correptionẽ proximi.


16 Si vero Confessarius illa scit aliunde, & non ex vi confessionis, potest tacere, vt diximus iam paulo ante, etiam si interrogetur à pœnitente dubio: nam debet tantum respondere iuxta ea, quæ à pœnitente proponuntur, & sic nullum sequitur ex tradita doctrina absurdum,





TRACTATVS QVARTVS

DE OBLIGATIONE DENVNCIANDI AD EDICTA PAPAE, EPISCOPORVM, &c.



SCIO de hac materia perplures tam ex antiquis, quam ex recentioribus tractare, agentes de correptione fraterna de denunciatione, ac de monitorijs, vt patebit ex Doctoribus infra citandis. At quoniam ab amicissimo Religioso adstrictus sum, vt multa, quæ fortasse alij, aut generaliter tractant, aut cũ alijs quæstionibus implicant, ad praxim accommodarem, ideo non grauabor quæstiones aliquot de hac materia subdere, quas fortasse apud alios non inuenies.

QVEARES I.

In quodam oppido, cum populares tumultus orirentur, ciues aliquot priuatorũ domus deprædati sunt. Episcopus edictum promulgauit, vt quicumque haberet bona talium domorum sub pœna excommunicationis restitueret, vel reuelaret retinentem, quæritur, an retinens quid modicum, vel paruam imaginem, vel si sciret aliquem id habere, teneatur reuelare?

SVMMARIVM

Sententia negatiua vnde fundetur. n. 1.

Monitoria ex Conc. Trid. non possunt sine mortali ferri ob rẽ vulgarem deperditam, &c. ib.

Variæ Doctorum opiniones circa quantitatem, ne materia sit vulgaris. n. 2.

Lex non obligat eos, ad quos non dirigitur. ibi.

Surripiens bona naufragantium in parua quantitate sufficiente ad mortale, num excommunicationem incurrat. n. 3.

Vera resolutio quæstionis posita affirmatiua. n. 4.

Surripiens materiam paruam, si alij animosiores, etiam ad non restituendum quod receperunt, sunt effecti, tenetur ad restitutionẽ in solidum secundum omnes. nu. 5.

Detinere iniuste, & inuadere alienum, est idem. ibi.

Quando multi accedunt ad damnũ in-

inferendum ſinguli quid paruū quomodo peccent, & reſtituere debeant. n. 6.

Quid ſi retineas rem parui valoris, cum ſcientia quod alij etiam retinent eiuſdem domini res paruas. ibi.

Prudenter graue malum exiſtimatur retentio rei paruæ à ſingulis cum multi ſunt n. 7.

Quid ſi quis rem paruam furatus eſt ignorans, alios ab eodem furatos eſſe: an teneatur ad reſtitutionem, vel ad edictum n. 8.

Quid ſi certus ſit, quod cæteri ſua furta minima reſtituerint. n. 9.

1 NEgabant non vulgares viri, teneri hunc ad edictum reuelare, quia hæc edicta debent prǽſumi facta prudenter, & licite à Prælatis, vt conſtat, ergo non debent intelligi, quod fiant pro rebus parui momenti, contra præſcriptum Trid. *ſeſs. 25. cap. 3. de reformat.* ibi [& tunc non alias, quam ex re non vulgari, cauſſaq; diligenter, ac magna maturitate per Epiſcopū examinata] Quod præceptum obligat ſub mortali, adeo vt peccẽt mortaliter Prælati concedentes monitoria pro re vulgari, vt docet Theoph. Rayn. de monit. *p. 1. c. 1. qu. 4. verb. difficultas vero.*

2 Erit autẽ materia, ſeu res ſubtracta vulgaris in ordine ad hoc, vt pro ea non poſſit licite, & ſine mortali peccato poni edictum ſub pœna excomunicationis ad reuelandum, quando non peruenit ad ſummam decem aureorum ſecundum Zecchiū in Rep. Eccleſ. *tit. de Prælatis c. 1. num. 6. in ordine ad pauperes, & oppidanos.* quamuis Guttierr. *lib. 1. qu. Canon. cap. 11. num. 59. & 60.* aſſerat, ſe numquam conceſſiſſe monitorium etiam pro rebus pauperum deperditis, &c. pro minori quantitate, quam pro viginti aureis, & ſecundum Theophyl. loc. cit. ver. res hæc, prudentis arbitrio, talis quantitas erit definienda: ergo habens rem parui momenti non poteſt præſumere edictum obligans ad reuelandum loqui de ſe, cum materia, vt ſupponimus vix perueniat ad duos aureos, & ſic ad illud non tenetur, quia lex non obligat eos, ad quos non dirigitur ex *l. ſi vero 46. §. vnico ff. ſol. matr.* & dixi de virt. Relig. *tr. 1. lib. 4. d. 8. q. 1. n. 25.*

3 Confirm. quia quamuis Bulla Cœnæ excommunicet eos, qui bona naufragantium ſurripiunt, tamen Sayrus *lib. 1. de cenſ. cap. 9. num. 33.* Quaranta *ver. bona naufragan.* Caſtropal. *de cenſ. diſp. 3. p. 5. n. 4.* dicunt, non incurrere hanc excomunicationem ſurripientem eam quantitatem, quæ pertingat ad peccatū mortale v. g. ſex regalia, niſi res ſit magni momenti, & non vulgaris vt excedat valorem duorum aureorum, ergo etiam in caſu noſtro idem dicendum.

4 Nihilominus dixi, hunc teneri ad reuelandum, & niſi reuelet incurrere excōmunicationẽ latam per edictum Epiſcopi. Ducor quia in hoc caſu edictum nō ponitur pro re vulgari: ergo eſt non ſolum validum ex Sayro in Clau. *l. 9. c. 15. n. 20. & 21.* Soto *in 4 diſ. 22. qu. 1. ar. 2.* Palacio *repet. ad capit. per veſtras §. 18. n. 22.* Lazario de Monitorijs *ſec. 1. qu. 12. num. 6.* & alijs; ſed etiam prudenter, & licite poſitum, vt cōſtat ex paulo ante dictis, & per conſequens ligat eos omnes, ad quos dirigitur.

5 Quod autem materia ſubtracta, vel retenta non ſit vulgaris, eſto non perueniat ad ſummam decem, vel quinque aureorum.

prob. primo si supponas, quod prauo exemplo non restituendi hanc rem paruam, nec alij restituerent id, quod acceperunt, & animosiores euadent ad retinendum ex consilio illius, qui paruũ quid furatus est; quia tunc subripiens illam materiam paruam, ex quo id fecit in illo tumultu, & communicato consilio, immo, & se inuicem adiuuando, & defendendo, censetur totum damnum caussasse; vnde tenetur in solidum ad restitutionem totius damni secundum omnes, vt videri potest in Paludan. 4. *d.* 15. *qu.* 2. *ar.* 3. Gabr. ibi *dub.* 2. Riccar. *a.* 5. *qu.* 4. Inno. Hort. Panor. *c. si condignum de Homicidio.* Sylu. V. *restitutio* 3. *d.* 2. *qu.* 6. Nauar. *c.* 17. *num.* 18. *&* 20. Caiet. 2. 2. *qu.* 62. *ar.* 7. Couarr. regula peccatum *p.* 2. §. 12. *num.* 1. Rebell. *lib.* 2. *de rest. qu.* 14. *sect.* 2. Less. *lib.* 2. *de Iust. c.* 13. *dub.* 4. *num.* 36. Molin. *to.* 4. *disp.* 736. Azor. 3. *p. l.* 3. *c.* 10. & alijs. Qui quamuis in hac materia in aliquo videantur discrepare, conueniunt tamen omnes in casu posito, & his circumstantijs concurrentibus, teneri ad restitutionem totius damni illum, qui modicum quid simul cum alijs rapuit, & censeri intulisse totum damnum: ergo etiam retinendo illum modicũ, quatenus dicit connotationem ad alias res sublatas, & ratione mali exempli vel cohortationis censetur causare totum damnũ domino bonorum raptorũ. nam constat, idem esse iniuste detinere, ac inuadere alienũ, ex *cap. saepe. de restit. spolior.* vbi Glossa ait; pro eodem reputant Iura auferre, & detinere iniustè, & D. Tho. 2. 2. *qu.* 66. *a.* 3. *ad* 3. ait [detinere id, quod alteri debetur, eamdem rationem nocumenti habet cum iniusta acceptione.]

6 Prob. 2. materiam esse grauis momenti, etiam si supponas, retinentem rem illam modici valoris non reddere alios animosiores ad non restituendum suo exemplo, quia, vt loquitur Dicastillus *de iust. tr.* 2. *d.* 4. *nu.* 32. [quando multi accedunt ad dãnum inferendum, ita vt mutuus comitatus fuerit caussa damni illati, vel quia nullus accederet ad id damnum datum, vel quia non praeualerent id damnum inferre, nisi comitati accederent (vt est in casu nostro) tunc vnusquisque tenetur ad totum damnũ in solidum in defectu aliorum, quia singuli fuerunt causa totius, licet vnusquisq; caussa partialis partialitate causae] ergo retinens rẽ illam non magni valoris cum scientia, quod alij acceperint alias res, & nesciens eas restituisse, tenetur sub culpa mortali restituere, & cum ex eo restituere teneatur, quod censeatur caussa totius damni, plane manifestum est, teneri non ratione modicae quãtitatis: sed valde notabilis, & sic obligatur ad reuelandum ex vi Edicti.

7 Et sane prudentum existimatione non est leuis momenti materia cum agitur de reparatione fortunarum deperditarum alicuius; nam ex restitutione huius rei paruae cum alijs, ab alijs acceptis conflatur tota substantia deperdita; alias si ista consideratio locum non habet, non possent tam insignes Doctores asserere, peccare mortaliter militẽ, qui cum multis modo praedicto Castrum ingrediẽs, quid paruum rapuit, ad omnia damna in solidum teneri.

8 Immo quamuis rem illam subripiens non fecerit ex compacto, & consilio cum alijs, & ignorans alios domum illam inuasisse, quo

casu

casu si materia accepta est leuis, non peccat mortaliter secundũ Filiuc. *tr.* 31. *cap.* 10. *num.* 250. & alios, tamen ad edictum tenetur restituere id, quod accepit, quia retinens illud modicum cũ scientia quod alij etiam deprædati sunt domum illam, iam scit, damnum notabile oriri Domino ex retentione singulorum, & posse facile subueniri illius damno, si restituant singuli quod acceperunt, & sic peccat mortaliter non restituendo, sicut peccauit furando cum scientia, quod multi etiam furati sunt singuli quid modici valoris, vt cum Soto, Medica, Corbuba, Maiore, & alijs tradit idem Filiuc. l. cit. num. 249. & præterea materia est grauis momenti, vt dictum est. Vnde Suarius de cens. disp. 22. se. 2. nu. 3. dicit, sibi esse certum, teneri sub mortali ad illud modicum restituendum, & in terminis Lazarius *res.* 3. *qu. de monit.* M. Ant. Genuen. *c.* 1. *n.* 3. Barbos. *all.* 4. *num.* 29. *de pot. Episcop.*

In vno tantum casu hunc ex-
9 cusarem à denunciatione, seu restitutione rei paruę acceptę, quando esset certus, quod alij iam restituissent ea, quæ rapuerunt, quia tunc iste non tenetur ad restitutionem, nisi illius rei paruæ, quã detinendo non peccat mortaliter ex Nauar. de iust. *l.* 3. *c.* 1. *dub.* 5. quod putat probabile Filiucius lo. cit. & alij, vel absolute materia grauis considerationis non est, vnde potest præsumere, Edictum non includere hunc casum, puta si deuenisset in suam notitiã edictum, quãdo iam omnes restituerunt, vel id, quod deest, coniunctum cum re, quam ille habet, non reddit notabilem materiam, quod in sequentibus clarius fiet.

QVAERES II.

Quænam materia non censeatur vulgaris ad hoc, vt Prælati Religionum possint ferre monitoria ad effectum reuelandi.

SVMMARIVM

Explicantur qui nam sint Prælati regulares, qui possint ferre monitoria ad finem reuelãdi, &c. n. 1.

Potestas Episcopis concessa potest extendi ad Prælatos habentes potestatem quasi episcopalem. ib.

Prælati regulares habentes potestatem quasi episcopalẽ, qui sint. ibi.

Prælatus regualris quamuis in re vulgari, suo monitorio obligaret ad reuelandũ, ad vitanda grauia peccata, & ad quietẽ monasterij. nu. 2.

Excommunicatio est tãtũ ferenda ob inobedientiam grauem, & enormem. n. 3.

1 SVppono, posse Prelatos Religionum, qui non sunt merelocales, vt est *Prior* Conuentus, Guardianus, Rector, &c. sed præsunt *Prouinciæ*, vt est Generalis, Prouincialis, Visitator, posse edere monitoria, seu edicta ad finem restitutionis, seu Reuelationis occultorum, vt tradit ex Rodriqu. *to.* 2. *quæst regul. q.* 59. *ar.* 4. Raynaud. *de monit. p.* 1. *c.* 1. *qu.* 16. circa finẽ (quamuis Grassius *conf.* 6. *de excomm. num.* 11. & Lazarius de Monit. *sec.* 1. *qu.* 8. putent, etiam superiores locales posse huiusmodi Edicta facere) quia Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 3. *de reform.* hanc potestatem solis Episcopis concedit, ergo non ad alios *Prælatos*, sed ad solos illos, qui habent potestatem quasi Episcopalem est extendenda, vt sunt *Prouinciales* ex Peyr. *de*

pral.

præl. quæst. 1. *cap.* 4. §.4. *num.* 70.

Et meo iudicio etiam ad Abbates Benedictinos, & alios, qui præsunt Monasterio, & tantum Generali subiecti sunt, hi enim pro Episcopis habentur. Gloss. *Clem.* 1. *de rebus Eccles. non alienan.* Innocen. *ex cap.* 1. *de Cleric. peregrin an.* Fran. Aretin. *Cons.* 63. *num.* 4. *V. Pro his facit.* hoc posito.

2 Ad quæstionem videtur satisfacere Suarez: is enim *disp.* 20. *sec.* 2. *de. cens.* cũ assignasset duos modos, quibus posset ferri monitorium sub excomunicatione, & nu. 5. tradidisset priorem; quando nimirum obligatio oritur ex ipsa re restituenda, vel reuelanda; num. 6. subdit posteriorem, ibi [alius modus est rarior, & difficilior, quia in eo præceptum humanum supponitur esse prima ratio talis obligationis sub mortali, & tunc quidem necesse est, vt præceptum Prælati Ecclesiastici non innitatur in sola ratione iustitiæ commutatiuæ, ad quam spectat obligatio restituendi, nam hoc modo difficultas proposita plane videtur ostendere, si ipsa Iustitia non inducit grauem obligationem ad restituendum, nec Superiorem Ecclesiasticum posse intra latitudinem huius virtutis eam obligationem adiungere, quia materia non est capax illius, oportet ergo, vt peculiarem obligationem obedientiæ addat, vt vero hanc possit iuste imponere, necesse est vt intercedat aliqua spiritualis ratio, quam per se respiciat spiritualis potestatis, quęque adeo grauis sit, vt ad inducendam grauem obligationem sufficiat; huiusmodi autem erit si v. g. iudicet ad communem pacem, & ad vitanda multa peccata expedire, vt tale graue dãnum reparetur eo modo, vel si censeat non solum ad reparandum damnum temporale tali personæ sic læsæ; sed etiam ad spirituale vitandum eam restitutionẽ fore necessariam, vel quid simile, & tunc præceptum erit iustum, & inducens obligationẽ restituendi] Ex qua Suarij doctrina manifeste deducitur nostra resolutio; nam quamuis id, quod restitui debet, non perueniat ad notabilem summam iuxta dicta quæst. præced. aut quod præcipitur reuelari non sit adeo graue; poterit tamen dari monitorium, seu pręceptum sub excommunicatione à Superiore Regulari, vt fiat restitutio, aut reuelatio, quando concurrunt dictæ causæ à Suario, quæ in Religionibus omnino militant.

3 Confirm. ex doctrina Tamburini *de Iure Abb. tom.* 2. *disp.* 14. *quæst.* 1. *nu.* 2. *&* 3. vbi sic habet. [Ex quo tamen nõ inferas, quod excommunicatio ferenda sit pro quocumque peccato mortali, quia vt diximus, cum sit grauissima pœna non tantum pro veniali, nec pro quolibet mortali; sed tantũ pro mortali inobedientiæ, & cõtumaciæ ferenda est. Ita Sayrus *de cens. lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 4. Vasq. *l. c. nu.* 4. nempe *tom.* 4. 3. *par. tr. de excommun. dub.* 12. Nauarr. *in Man. cap.* 27. *num.* 9. Sotus 4. *d.* 22. *quæst.* 1. *art.* 2. *concl.* 2. Llamas *par.* 1. *Meth. c.* 9. §. 22. Coninch *de cens. disp.* 37. *dub.* 8. *n.* 73. Filiuc. *to.* 1. *tr.* 12. *c.* 1. *n.* 26. Nec etiam pro quolibet peccato inobediẽtiæ ferenda est excommunicatio; sed tantum pro graui, & enormi, quod curari aliter non potest.]

Sic ergo in nostro casu Prælatus Regularis potest quidem ferre monitorium ad effectum reuelandi, vel restituendi, etiam quando materia restituenda sit le-

leuis in se; dummodo intercedat aliqua spiritualis ratio. Sed hæc non sufficit, si sit sufficiens ad vitandum aliquod mortale in subdito, at debet esse aduitandum enorme delictum, vel ad communem pacem, & bonam Monasterij seruandum: vnde si dictum monitorium feratur in hoc casu, tenetur subditus reuelare rei leuis furem, alias minime.

QVAERES III.

An Episcopus possit ponere Edictum ad hoc, vt testes in testamento scripti, &c. reuelent testatoris voluntatem.

SVMMARIVM

Factum proponitur. n. 1.
Monitoria ex quibus infamia resultat concedi non debent. n. 2.
Monitoria quando personæ sunt certæ non dantur; & si dentur, non obligāt certum furem, &c. reuelare n. 3.
Sententia affirmatiua pro solutione quæstionis. n. 4.
Testes instrumentarij deponunt directe quid viderint. ib.
Notarius an sit infamis, si probetur testatorem non fuisse sui compotē tempore testamenti conditi. ib.
Monitoria quando possint dari ad testificandum, esto personæ sint certæ. n. 5.
Pendente causa coram sæculari, possunt impetrari monitoria ab Ecclesiastico contra Clericos. ib.
Dictio præcipue quid importet ibi. fine.
Monitoria ad testificandum possunt concedi contra conscios simulati contractus. n. 6.
Donatio, vel cessio bonorum facta simulate in personam à tributis exemptā, est præiudicatiua Tertij. ibi.

1 CVm hæres ab Intestato succedens prætenderet testamentum cōditum à Caio in personam extranei, esse nullum, vtpote factum illo iam sensibus destituto, testes in testamēto scripti negabāt, se veritatem nisi coactos aperituros, atque adeo hæres ab Episcopo petijt promulgari Edictum, per quod, qui scirent nullitatem talis testamenti reuelarent?

2 Quæsitum à me fuit, num id posset Episcopus facere? Ratio dubitandi erat, quia hæc Edicta seu monitoria non sunt concedenda, quando sunt Infamatoria alicuius particularis personæ, vt tradit Neuiza. Sylua nupt. ver. monitoria. Probus in cap. 2. de Constitut. At reuelando quod testator erat sensibus destitutus, & testamentum fuit per hæredis fraudem, & Notarij Interrogationes scriptum, magna sequitur illis Infamia: ergo.

3 Secundo quia monitoria non sunt concedenda quando personæ sunt certæ, vt tradunt Geminian. & Anch. *cap fin. de elect. in 6.* Felin. *in c. 2. de const. §. circa tertium* Neuiz. *lib.* 3. Sylu. *rupt. num* 47. & alij, quos citat, & sequitur Barbosa in Concil. Trid. *sec.* 25. *de reform. cap.* 3. *num.* 2. Ita vt si debitor sit certus, vel delinquens, non sit obligatio eos reuelandi, si forte Edictum feratur, Sot. 4. *d.* 22. *qu.* 1. *ar.* 2. nā excommunicatio comminata in talibus monitorijs, seu edictis nō ligat personas certas. Rota Diuer. *decis.* 383. *par.* 1. Felin. *c.* 2. *de cens.* & alij. Sed in casu nostro testes sunt certi, & scripti in testamento: ergo?

Cæterum dixi, Episcopū posse tale edictum ferre, & per consequens, teneri testes huiusmodi re-

reuelare: nam non est necesse, vt testes deponant directe de crimine aliorum, neque hoc Episcopus iubet, sed tantum debent deponere se vidisse testatorem non esse sui compotem, quando fecit testamentum, & sic non redundat ex vi huius dicti infamia notario, aut parti; poterant enim hi non aduertere statum testatoris, vel saltem hæres scriptus timore malæ existimationis, quæ forte apud alios emanabit, desistet ab iniusta prætensione hæreditatis sibi non debitæ.

5 Nec etiam obstat quod testes sint certi: nam cum, vt in facto supponitur, multi ex illis sint personæ Ecclesiasticæ, neque per iudicem laicum cogi possunt ad veritatem aperiendam, poterit iudex Ecclesiasticus non solum validè, sed etiam licitè ferre monitorium iuxta doctrinam Theoph. Raynaud. *de monit. p.* 1. *c.* 1. *qu.* 8. *ver. in materia ergo* cum Suar. *de cens. d.* 20. *sec.* 1. *num.* 13. & Auila 2. *p. c.* 5. *d.* 2. *dub.* 1. *cõcl.* 2. vbi loquens quando persona est determinata absolute docet [Si materia de qua agitur sit tẽporalis, & persona sit Ecclesiastica, fas quoque erit iudici Ecclesiastico, cum ad officium vrgere per monitorium, quia talis persona subest directe foro Ecclesiastico] Hanc sententiam in terminis de testibus docet Aloys. Ricci. *decis. cur. Archiep. Neap. par.* 1. *dec.* 219. vbi ait [Pendente caussa coram iudice seculari, potest impetrari monitoriũ contra testes pro dicenda veritate, præcipue quãdo testes ignorantur] supponit ergo etiã posse monitorium ferri, quando testes sunt certi: nam ly præcipue, est dictio implicatiua, quæ ostendit idem esse in casu contrario, licet in casu expresso fortior militet ratio, vt late probat Euerardus loco à natura diction. implicatiu. nu. 1. Guttierr. *l.* 1. *qu. canon. ca.* 20. *num.* 5. cum alijs.

6 Et in Praxi Rerum fori Eccles. dec. 275. nu. 7. idem Riccius ait [posse concedi edicta, & monitoria contra conscios simulati contractus in graue tertij præiudicium, vt puta, si quis ficte, & apparenter fecerit donationem, & venditionem, vel cessionem prædij alicui exempto, & priuilegiato, vt à collectarum, & ruralium onerum solutione liber esset; quia cũ hoc tendat in præiudicium, & damnum illorum, ad quos post modum prorata ratione huiusmodi collectę soluẽdę onus spectabit, iuxta tradita per D. Ioan. Bapt. Const. *in tract. de port. rata qu.* 149. *num.* 2. *& qu.* 157. in hoc casu, & similibus ad monitoriales iure recurri potest, vt testes de hac re edocti teneãtur manifestare, simulationẽque detegere; ne talis fraudulenter cum aliena iactura locupletetur] sic ille; & hanc etiam sententiam, quod possit ferri monitorium cõtra testes, quando sciuntur; sed renuunt veritatem dicere tenet Oliua *sup. rit.* 3. *Arch. Cur. Neapol. post num.* 10. & alij, quos refert Barbosa *de pot. Epis. all.* 96. *nu.* 17. & per hæc solutæ manent rationes dubitandi in contrarium adductæ.

QVAERES IV.

An in prædicto casu, hæres possit appellare à decreto facto per Episcopum de concessione edicti.

SVMMARIVM

Decretum concessionis edicti æquiualet decreto; testes admittendos,

dos, vel non nu. 1.
Appellatio an concedatur a dictis decretis. ibid.
Appellatio an sit danda, si grauamẽ sequens ex definitiua cum magna difficultate reparetur. nu. 2.
Quid sit sententia interlocutoria. nu. 3.
Testes pendente d. appellatione, non tenentur reuelare ad edicta ibi, nu. 4.

1 AFirmatiuè respondendũ videtur, quia decretum cõncessionis edicti æquiualet decreto; testes admittendos esse, vel nõ; vt tradit Lanfranc. *decis.* 125. sed à tali decreto conceditur appellatio, per Bald. *l. post sententiam ver. pone ergo. Co. de sent. interl. om. Iud.* cum ex eo inferatur, quod per definitiuam sententiã reparari non potest ex doctrina Baldi in *l. arbitrio ff. qui satisd. cogant.* Rota *decis.* 44. *de appellat. in nouiss.* Surd. *decis.* 36. *nu.* 17. Angel. *cons.* 46. *fine.* Menoch. *de acquiren. possess. remed.* 4. *num.* 817. Giurb. *decis. sicul.* 56. Deci. *in l. 1. col. 2. cod. de bon. possess. sec. t. o.* & aliorum apud ipsos, docentium; appellationem dãdam esse, quãdo grauamen nõ potest per sententiam definitiuam remoueri.

2 Immo, etiamsi posset reparari cum magna difficultate, aut hæredis scripti præiudicio, admittẽda est appellatio per ea, quæ habet Bart. *in l. 1. §. quæsitum sub n. 6. in fine ff. de appell.* Bald. *in l. 2. sub nu. 5. cap. de Episc. audien.* Orian. *in c. quoniam contra c. 10. nu. 68. de probat.* Marant. *de iud. par. 6. act. 2. n. 355.* Menoch. *de recup. possess. remed. 1. nu. 282.* Gratian. *discept.* 74. *n.* 13. Gaill. *lib. 1. obseru.* 124. *nu.* 1. Surd. *decis.* 36. *n.* 42.

3 Ad Doctores autem, qui vidẽtur sentire, appellationem non esse admittẽdam in nostro casu, cum negent illam esse admittendam in interloquutoria, & probationes admittẽdas esse vel nõ. vt Intrigliol. *lib. 1. sing.* 39. Io. de Amic. *consil.* 128. *nu.* 4. & alij dico cũ Io. Aloysio Ricc. *decis. cur. Archiepisc. Neap. p. 2. decis. 5. n. 4.* dico, eos intelligẽdos esse, quando damnum per sententiam definitiuam reparari facile posset.

4 Vnde pendente appellatione, non tenentur testes testamentarij ad edictum reuelare, vt cõstat ex cap. *dilectis de appell. cap. liceat de sent. excomm. in 6.*

QVAERES V.

An in casu prædicto possit Episcopus edictum ferre antequam hæres litem incœperit?

SVMMARIVM.

Potest monitorium ad testes cogendos concedi lite non cœpta. n. 1.
Veritatis probandæ facultas restringi non debet. ibi.
An post litem motam coram iudice sæculari, possint ab Ecclesiastico cõcedi edicta cogendo testes. n. 2.

1 REspondetur affirmatiue, atque adeo teneri ipsos testes reuelare. Ratio est; quia huiusmodi edicta inseruiunt adhoc, vt actor præparet se ad litem, nempè ad testes reperiendos, instrumẽta, in quibus suam fundat intentionem, producenda &c. & vt loquitur Crauett. consil. 141. sub nu. 3. via aperitur veniendi ad cognitionem principalis negotij. ergo non debent solum cõcedi, aut peti lite iam mota: Veritatem enim omnibus vijs indagare debemus, nec probandi facultas est restringenda ex cap. 2. de probationibus, vbi omnes. sic Abbas *conf.* 15. Ant. Sola *ad*

antiqu. sabaud. consuet. tit. vt nemo inuitus Gloss. vn. nu. 8.

2 Notandum tamen est, quod quamuis omnes concedant, hæc edicta peti, & dari posse post litē motā; negant tamen posse ea dari ab Episcopo lite iam mota coram Iudice sęculari sic. Neuizan *l. 3. Sylu. nupt. n. 60.* At contrariū prorsus tenēdum est ex Grauett. *d. cons. 181. n. 5.* vbi ait. [Curia siquidem Gratianopolis indistinctè obseruat, quod procedatur ad monitoria per Iudicem Ecclesiasticum, non obstante litis pendentia coram Iudice sęculari, & ita vidi obseruari in causa d. Sancti Andreę contra Dominam Miribelli, in quo ęquitas maximè versatur, quā curia memorata sequi semper solet; est enim suspicio contra eum, qui se opponit contra monitoria] & ita hanc sententiam tenet etiam Ludou. Vital. *tr. de reis, & testibus per censuram cogendis nu. 28.* Theoph. Raynaud. de monit. *p. 1. cap. 1. quæst. 13.*

QVAERES VI.

An Episcopus degens in aliena diœcesi, in qua sit locus exemptus ab ordinario illius diœcesis possit ferre monitorium, etiamsi requiratur caussæ cognitio.

SVMMARIVM.

Affirmatiua sententia sustinetur & probatur. n. 1.

Locus exemptus non censetur esse in territorio alterius Episcopi, in quo est. ibi.

Episcopus existens intra monasterium exemptum an possit ferre monitoria n. 2.

Iudex extra suum terminum est persona priuata. ibi.

Episcopus in monasterio exempto non potest diuina officia celebrare inuito superiore regulari. n. 3.

Excommunicatio per Episcopum lata contra ingredientem monialium monasteria; an liget ingredientem Monasterium exemptum. nu. 4.

Quid alij sentiant circa prædicta nu. 5.

Illationes ex positis sententijs pro solutione quæstionis nu. 6.

Auctoris iudicium. nu. 7.

1 RESpondeo affirmatiue, si illud concedat intra septa illius loci, quia ille locus est exemptus à iurisdictione illius Episcopi, subditurque immediate ipsi. Ratio est, quia locus exēptus, licet sit in Diœcesi alterius Episcopi, non tamen est de iurisdictione Diœcesis illius; sed proprij Ordinarij ex Petro Vbaldo *tr. de Cano. Episc. & Paroch. in c. 4. qu. 6. n. 11.* ac censetur esse nō in territorio alterius; sed proprij Episcopi territorij, vt multis probat Roland. *par. 3. cons. 33. à num 44.* Rota Ro. *decis. 55. const. iurisd. coram R. P. D. Ortemberga 18. Maij 1611.* vbi alij. Ergo si Episcopus ille potest in sua Diœcesi ferre monitoria cum caussę cognitione; sic etiam potest concedere in Ecclesia illius loci exempti existens, non obstante quod is situs sit in Diœcesi aliena, & per consequens subditi Episcopo existentes in d. loco, vel in Diœcesi illius tenentur reuelare ad tale edictum.

2 Hinc bene infert Raynaud. de monit. *p. 1. qu. 13.* Episcopum non posse ferre monitoriū, quādo est necessaria caussę cognitio, si existat in aliquo monasterio, vel loco exempto inuito superiore

ore illius Monasterij, seu loci, quia tale monasterium censetur formaliter esse extra territoriũ. Ratio est, quia Iudex extra suum territorium habetur, vt persona priuata, & non potest Tribunal erigere *cap notandum 2. qu 3. ca. Episcop. 9. qu. 3.* Cochier *de iure Ordin. in exemp. p. 2. qu. 1. nu. 6.* Borgas *tr. de irregular p. 6. qu. 2. fol.* 352. Monasterium autem exemptum quoad hoc, nempe ad exercendam intra illud iurisdictionem censetur esse extra territorium. Martin. Landan. *tr. de priuil. q.* 61. *vol.* 2. *fol.* 287. Gartian. Marchię *decis.* 113. *nu.* 3. *in add.* Campan. *in diuers. Iur. Can. rub.* 11. *cap.* 23. *n.* 151. *vers.* 6. & alij loquentes generaliter de loco exempto.

3 Et loquens expresse de monasterio Regular. exempto à iurisdictione Episcopi Henriqu. l. 7. c. 5. nu. vlt. additque Episcopum, non posse in Ecclesiam exemptam conuocare processiones, celebrare in ea ordines, aut publicã missam, aut alia officia: ergo multo minus poterit in ea facere edicta ad reuelãdum, &c. cum requirunt caussæ cognitionem.

4 Et *lib.* 13. *cap.* 26. *nu.* 2. idem Henriqu. ait, quod si Episcopus ferat excommunicationem contra ingredientem monasterium monialium, si tale monasterium est exemptum, intrans non est excommunicatus; quia non incurrit excommunicationem ratione viæ, quæ sub iurisdictione, & territorio Episcopi est. Sed ratione ingressus in monasterium, quod est exemptum, & sic extra territorium formaliter.

5 Sed contrarium docẽt aliqui, vt videre est apud Hurtadum *de Centur. in comm. disp.* 8. *num.* 32. vbi cum statueret, quod existẽs in alieno Episcopatu non potest ligari cẽsuris à suo Episcopo annexis statuto perpetuo. & idem esse, quando quis existit in loco exempto à iurisdictione sui Episcopi, quamuis intra suum Episcopatum, quia locus exemptus est formaliter extra iurisdictionẽ Episcopi. subdit. [Nomine loci exempti quoad hunc effectum intelligitur locus exemptus ratione sui, vt sunt Abbatię aliquę & prioratus, & non intelliguntur monasteria Religiosorum, vt cõtra Henriquez, & Auilam docet Suarez *disp.* 5. *sect.* 4. & Aegidius *disp.* 13. *dub.* 7. quia locus monasterij non est exemptus, sed tãtum Religiosi ipsi, qui nõ ratione loci, sed ratione sui sunt subditi suis Prçlatis Religiosis, sicut filij parẽtibus, & vxor marito.]

Eamdemq; doctrinam tradit Rota Rom. coram R. P. D. Ortembergo *decis* 55. apud Tamburin. *de iure Abb. to.* 3. *f.* 381. vbi sic habet. [Priuilegia eximentia monasteria, eorumque membra nõ eximunt loca, seu castra, siue populum, ideoque non cõcludunt territorium separatum, sed exempti dicuntur habere tãtum iurisdictionem in personis, non in locis per exemptionem, vbi Gemin. n. 5. Fran. num. 3. v. quinto. Guillel. de monte Lauduno. in Clem. Pastoralis nu. 24. lib. 1. &c.]

6 Vnde ex hac sententia infertur, quod si fiat ab Episcopo edictum ad finem reuelandi sub excommunicatione, subditus Episcopi existens in monasterio exempto tenebitur reuelare; quia locus ille exemptus nõ facit territorium. Contra verò in sententia Henriquez, & Raynaud. quia censetur esse extra territorium Episcopi, & sicut per ipsum Hurtadum loc. cit. n. 34. vbi ci-

tat Henriquez, & Coninch. non ligatur cēsuris annexis præcepto generali, aut speciali à suo Episcopo; quando existit in alieno episcopatu, & excommunicatio non fertur pro delicto commisso in suo episcopatu: sic neque existens in monasterio exempto ligabitur excommunicatione lata contra non reuelantes, aut non restituentes, quia censetur esse extra territorium Episcopi ferētis excommunicationem, & ibi delictum committere; nam ibi existens non reuelat, vel non restituit.

7 Certe vtraque sentētia est probabilis siue loquamur in terminis casus initio positi de existente in loco exempto, siue de existente in monasterio Regulariū exēpto.

QVAERES VII.

An incurratur excōmunicatio Papalis, si mortuo Papa intra terminum præfixum, ad reueladū, quis non reuelet?

SVMMARIVM

Explicatur quæstio proposita. n. 1.
Quid in ea aliqui senserint. n. 2.
Mandatū non expirat morte mandantis, re non integra. ibi.
Assignatur differētia inter excommunicationis sententiam latam à Papa sub conditione de futuro, & ab alijs Prælatis. n. 3.
Dispositio facta sub nomine dignitatis non perit morte disponentis. nu. 4.
Quando dispositio censenda sit facta nomine dignitatis. ibid.
Non incurritur excommunicatio à non reuelantibus, mortuo Papa ante lapsum terminum pro ea incurrenda nu. 5.
Mandata superiorum an expirent morte eorum. ib.
Edicta concessa à Papa ad finem reuelandi scripturas, &c. sunt simpliciter mandata. ibi.
Mandata quando censeantur esse data per modum legis. ibi.
Monitoria ab Episcopis concessa expirant eorum morte. n. 6.
Computatio dierum concessorum ad reuelandum in monitorijs quomodo facienda. n. 7.
Mandatum, quo confertur iurisdictio; an expiret morte mandātis. nu. 8.
Res in monitorijs dicitur integra, si terminus ad reuelandum non sit elapsus. nu. 9.
Papa tunc solum censetur velle, vt sua mandata, & non per modū legis data, durent post eius mortem: cum id exprimit. n. 10.
Edicta ad partis instantiam non fiunt à Papa nomine dignitatis, sed Pontificis. nu. 11.
Quid si monitorium committatur ordinario in forma significauit. num. 12.

1 DE hoc casu interrogatus fui occasione mortis SS.D.N. Innocentij X. Is enim sub pœna excommunicationis statim, & ipso facto incurrenda præcepit reuelari quasdam scripturas intra terminū quindecim dierum: at post lapsum decem dierum Papa mortuus est; & quoniam casus in terminis de Pontifice non reperiebatur apud eos, qui tractant de monitorijs: dubitatum fuit: an qui sciebat, vel retinebat scripturas, & non reuelauit, incurrerit excommunicationem.

2 Affirmatiue respondit quidā Theologus ductus ex eo, quod mandatum non expirat morte mandantis, quando res non est integra, vt expresse deciditur C. gratum. cap. relatum. c. licet. de offi-

officio Delegati l. *& quia* 6. *ff. de iurisd. om. Iud.* At in casu nostro res non est integra, cum iam mãdatum Papæ fuerit in Regno acceptatum, & legitime promulgatum publiceque affixum; ergo etiam mortuo Papa, durat eius ius, & consequenter qui non reuelat tempore præfixo incidit in excommunicationem.

3 Confirmatur, quia non debemus discurrere in Summo Pontifice, vt in alijs Prælatis, quorũ sententiæ excõmunicationis sub conditione extinguntur, ipsis mortuis ante aduentum conditionis, vt infra dicemus; nam Papa pro sua suprema potestate, quam ab hominibus non habet, neque ab eis in illo vsu pendet, potest operãdo præter commune ius talia mandata cõdere per modum legis, & abstrahere à ratione sententiæ, quod est in ipso singulare, & non competens alijs Prælatis, vt loquitur Suar. *de cens. disp.* 3. *sect.* 4. *nu.* 12. sic ergo dicendum, quod hoc mandatum Pontificis datum generaliter contra non reuelantes intrà tale tempus non sit per modum sententiæ excommunicationem ferentis contra non reuelantes intra quindecim dies; sed per modum statuti, quod non expirat morte ipsius; sed lapsu temporis ab eo pręfiniti, quãuis in alijs Pręlatis contrarium dicant communiter Doctores, loquentes de sententia excommunicationis lata sub conditione de futuro.

4 Confirm. 2. quia dispositio facta sub nomine dignitatis non perit morte disponentis, vt docet Sylu. *ver. delegatus qu.* 6. *ex ca. gratiose de rescrip. in* 6. At hęc mandata, & edicta Pontificum præcipientium sub excommunicatione reuelationem, fiũt sub nomine dignitatis; tum quia in cõcessione explicatur nomẽ, & dignitas dicendo: Alexander Papa VII. ita Io. Andr. d. cap. *si gratioso n.* 8. *fine.* Tum quia cum partes recurrunt ad sedem Apostolic. & Pontifex respondet, cẽsetur respondere, & concedere monitorium sub nomine sedis Apost. Iason. *l. Gallus in* 1. *lectura* §. *idem credendum nu.* 10. *ff. de lib. & posthum.* Suarez *de matrim. Reg. Angliæ dub.* 5. *n.* 28. Guttier. *lib.* 3. *pract. qu.* 18. *n.* 42. & alij.

5 His tamen non obstantibus, respõdi, dictam excommunicationem non incurri mortuo Papa ante lapsum terminum quindecim dierũ, vel alium assignatum ab his, qui non reuelant; nam ante lapsum terminum nõ tenentur reuelare, vt constat, mortuo autem Papa nõ amplius tenentur eius præcepto, etiamsi totus terminus à Papa assignatus ad reuelandum non sit elapsus. ratio est, quia mandata Superiorum, quibus non confertur iurisdictio, expirant morte mandantis, siue res sit integra, siue non, quãdo non dantur per modum constitutionis, seu legis vniuersalis ex Sylu. *ver. delegatus qu.* 6. Menoch. vbi citat Decium *lib. .qu.* 69. *n.* 4. *de arbitrar.* Cordub *super Regul.* D. *Franc. c.* 10. *qu.* 3. *p.* 1 *par.* 3. quos citat, & sequitur Sanch. *de matrim. l.* 8. *dis.* 28. Vasqu. 1. 2. *disp.* 151. *c.* 3. Suar. *de legib. l.* 1. *cap.* 10. *nu.* 9. Castropal. *tr.* 3. *disp.* 1. *p.* 2. *n.* 3. Sed hæc edicta concessa à Papa ad partis instãtiam sunt simpliciter mandata, seu præcepta ad reuelandum, nec ponuntur per modum constitutionis, seu legis vniuersalis; tum quia non respiciunt bonum commune; sed immediate vnius particularis, de cuius interesse agitur, tũ

quia

quia de se non sunt perpetua (quę sunt conditiones præcipuę ad legem constituendam *l. lex est ff. de leg.* & multis cit. tradit Suar. *d c.* 10. *nu.* 5. *&* 16. Castr. *l. cit.* & alij.) sed dantur pro tempore determinato; namsi nullũ assignatur tempus (quod in his edictis, seu monitorijs fieri non solet.) durant ad summum per spatium duorum mensium, vt cum alijs Recentioribus docet Sanchez *lib. 6. cons. cap. 2. dub.* 25. *n.* 5. Si vero assignatur, v. g. quindecim, aut octo dies, durat eorũ obligatio tantum per octo, vel quindecim dies; itaut si quis ignorauerit edictum fuisse positum, & transactis octo, vel quindecim diebus, sciat fuisse publicatum tale edictum ad reuelandum sub pœna excommunicationis contra non reuelantes, non teneatur reuelare ex vi illius præcepti, nec incurret in excõmunicationẽ non reuelans, quia iam præceptum cessauit, vt tradit Sanch. loc. cit. n. 8. Theoph. Raynaud. de monit. *p. 1. c. 1. ver. ex hac resolutione.* ergo tale edictum Papæ sub excommunicatione ad reuelandum intra quindecim dies expirauit morte ipsius ante elapsum terminũ quindecim dierum: & per consequẽs non incidit in excommunicationem, qui non reuelat pro tempore sequenti, quia non tenetur præcepto Superioris.

6 Hanc sententiã videntur etiã tenere Nauar. *tr.* 27. *n.* 2. Genuẽ. *in Praxi c* 1. *nu.* 18. & alij passim loquẽtes de monitorijs ab Episcopo latis, dicunt enim expirare morte concedentis, quia sunt quędã mãdata generalia, aut specialia, quæ ratio etiam militat in monitorijs à Papa concessis, vt diximus.

7 Vnum hic noto, quod computatio dierũ in monitorijs assignatorũ non debet fieri de momento ad momentum, itaut si edictum v. g. promulgetur die Dominico hora tertia post meridiem ab ea sint dies enumerãdi vsque ad alium diem Dominicum hora tertia. sed est facienda numeratio non computato die, in quo fuit edictum promulgatum, quia dies termini non cõputantur in termino ex Iason. & Bart. *l. 1. ff. si quis caust.* Tiraqu. *de vtroq; retract. p. 1. §. 1. nu.* 41. nisi aliquid aliud in edicto exprimatur. sic Barbosa de potest. Episcopi *alleg.* 96. *n.* 75. Lazarius de monitorijs *sect.* 2. *qu.* 1. *n.* 4. doctissimus Diana *p.* 3. *tr.* 5. *resol.* 95. Theophyl. Raynaud. *p.* 1. *c.* 1. *ver. at difficultas.* licet in fine addat, contrariam sententiã Suar. de cens. *disp.* 20. *sec.* 3. *nu.* 13. Filiuc. *tr.* 14. *cap.* 1. *nu.* 41. & aliorum volentium, computandum esse de momẽto ad momẽtum, esse securiorem, sed certe vtraque est tuta, et probabilis. Vide meipsum. *lib.* 2. *de matr. disp.* 24. vbi aliqua habes notatu digna circa temporis, et dierum computationem.

8 Ad rationem dubitandi initio propositam respondeo. Illa iura, et Doctores loqui de mandato, quo confertur iurisdictio à delegante delegato; vnde non sunt applicanda in casu nostro, non enim inquirimus; an potestas delegata expiret in delegato morte delegantis; sed an pręceptum reuelandi positum sub pœna excommunicationis contra non reuelantes expiret, mortuo præcipiente.

9 Corruit etiam ex alio capite difficultas, quia in nostro casu res censetur integra, si non sit elapsum tempus assignatum, v. g. quindecim dies ante mortem se-

ferentis edictum, vt vult Suar. *de cens. disp. 3. sect. 4. n. 12.* loquens de excommunicatione lata sub conditione de futuro, quamuis non desinam mirari, doctissimũ virum, ad probandum, quod hæc præcepta data sub pœna excommunicationis pẽdentis à cõditione de futuro. vg. si intra decem dies non restituet, sit excõmunicatus; expirent morte præcipientis ante aduentum conditionis, seu lapsum dierum decẽ, vsum fuisse illis iuribus, quæ vt diximus loquuntur in casu diuerso.

10 Ad primam confirmationem dico, verissimum esse, quod nos debemus tribuere hanc potestatem Papæ, quam alijs Prælatis negamus, vt docet Suar. *d. disp. 3. sect. 4. num. 14. fine.* At verissimum etiam est, censendum esse, tunc solum Papam velle, vt præceptum, seu edictum sub excommunicatione à se latum duret, etiam post lapsum termini, quando id exprimit, sicuti fecerũt Greg. XIII. Sixtus V. in Bull. Coen. vt notauit Nauarr. *cap. 27. nu. 73.* ibi [volentes præsentes, ac omnia, et quæcumque his litteris contẽta quousq; alij huiusmodi processus à nobis, aut Ro. Pontifice pro tempore existentè fiant, aut publicentur, durare; suosque effectus omnino sortiri] cum autẽ Papa concedit ad partis instantiam edicta pro reuelãdis, vel restituendis scripturis, &c. & nil aliud addit, censendus est velle, vt durent iuxta naturã talium præceptorum, & non vltra.

11 Ad secundam confirmationẽ, nego hæc edicta ferri à Papa nomine dignitatis: nam in his edictis semper præmittitur nomen Papæ, vt Alexander VII. quod est signum, mandatum illud fieri nomine Alexandri Papæ. vt tradunt Bartol. *l. more in fine ff. de iurisd. omn. Iud.* vbi Decius *n. 55.* Iason. *nu. 65.* Zasius fine, & alij multi, nec ex eo quod partes recurrant ad sedem Apostolicam colligitur, eas velle constituere differentiam inter sedem Apost. & Pontificem. Vide quæ dixi *lib. 8. de matr. disp. 28. nu. 18.*

12 Quod si monitorium non fiat à Papa directè; sed committatur Vicario Generali in forma significauit, per quam mandat Vicario [si id non adimpleuerint intra alium competentem terminum, quem eis de hoc duxeritis præfigendum, ex tunc in eo generalem excõmunicationis sententiam proferatis &c.] tunc talis commissio mortuo Papa non expirat, vt ex Aloys. Ricc. Prax. Archiep. *part. 3. decis. 39.* docet Squillan. *de priu. Cler. c. 2. n. 175.* & est conforme dictis à me cum Sanchez *lib. 8. de matr. disp. 28.*

QVAERES VIII.

An si pars, ad cuius instantiam latum fuit edictum, proroget terminum vg quindecim dierum assignatum ab Episcopo, qui non denunciat, seu reuelat post quindecim dies, incidat in excommunicationem.

SVMMARIVM

Syluester ad quæstionem plene respondet n. 1.

Terminus prorogatur cum accessorijs. ibi.

Iuramentum præstitum parti licet principaliter obliget Deo, potest à parte remitti. ibi.

Iudex intendit partes ad concordiã reducere. ibi.

Partis prorogatio non prodest post lapsum terminum à Iudice in- *mo-*

monitorijs. ibi.
Excommunicatio ex contractu non nascitur, sed ex sententia. ibi.
Si prorogatio termini ad reuelandū est facta de consensu Iudicis Ecclesiastici, elapso secundo termino, reuelans incidit in excommunicationem. ibi. circa finem.
Non bene pro contraria sententia citatur Syluester. nu. 2.
Etiam ante factum potest tuto amplecti d. opinion. 3.
Non reuelans elapso termino, prorogato per solam partem non incidit in excomunicationem n. 4.

1 TRes affert nouissimè sententias circa hanc materiam eruditiss. P. Raynaud. *de monit. p. 1. c. 1. qu. 14. à versu est quinta difficultas*, quas breuiter, & expedite cum omnibus debitis limitationibus tradiderat Sylu. *excommunicatio 2. notan. 1. casu* 13. vbi sic habet. [Decimustertius est quando sub pœna excōmunicationis imponitur, vt aliquid fiat in certo termino, & terminus prorogatur ab eo, cui facere debebat, puta si Petro imponatur, vt soluat Henrico decem in Pascha, & Henricus prorogat vsque ad Pentecostem. In quo casu Hostiens, & Innocen. dicunt, quod creditor terminū prorogare non potest quantum ad sententiam excommunicationis sc. vitanda, nisi Iudex prorogationi consentiat, quod si faciat, adueniente secundo termino, est excommunicatus si non soluerit, quia terminus videtur prorogatus cum accessorijs *arg. ff. de praec. l. sed si manente.* si tamē pars in primo termino reputat sibi satisfactum, cessat excommunicatio tota. Contrarium autem tenuit Pe. *in c. 1. de loc.* facit. *c. praeterea de appellat.* Bart. *in l. 1. §. & post operum ff. de nou. oper. nun.* tenendo, quod iste non sit excommunicatus. sed Io. Andr. *c. praeterea de appellat. el. 2.* dicit, ante factum tenendam esse opinionem Hostien. & Innoc. post factum autem contrarium dicēdum est, & dicens hanc opinionem contrariam esse veriorem, quia Iudex sententiam fulminat in fauorem partis, & dato partis assensu excluditur contumacia. Et hanc opinionem Panormitanus verissimam putat, adducens simile, quia iuramētum præstitū parti, principaliter obligat Deo de iure iurand. cap. *si debitores*, & tamen si ille, cui iuratur, obligationem remittit, non indiget iurās aliqua absolutione; quia etiam Deus remittere videtur; cum ad alterius vtilitatem accepit iuramentum, facit de sponsal. c. 2. si tamen Dei contemplatione principaliter iuratur, secus est quia tūc etiā Papa non remittit sine caussa *de iure iuran. cap.* 4. & ita in proposito cum Iudex excommunicet in fauorem partis, si pars vult terminum differre, etiam Iudex videtur differre velle; cum nil aliud agat, nisi vt partes ad concordiam reducat *l. 1. §. potest autē quas ff. de nou. oper. nun.* Et pro hac opinione videtur casus expressus *in cap. 1. de loca.* Intellige tamen si consensus (nempe partis prorogantis terminū) præstatur ante commissam pœnam, quia si pœna iam inflicta superueniat, eam non tollit (excommunicationem, scillcet iam incursam lapso termino statim) faciunt notata per Bart. *in l. 1. §. sed filius ff. de legat.* 3.

2 Si autem adueniente secundo termino, non soluat erit excommunicatus, si prorogatio est facta de consensu Iudicis, facit *cap. significauit. & cap. ad reprimendū de off. ord.* non autem si est facta sine

sine Iudicis consensu, etiam posito pacto, quod si non solueret, reincideret, vt determinat Bald. *in l. tale pactum §. qui procurauit ff. de pactis.* dicens, quod excommunicatio nasci non potest ex contractu; sed solum ex sententia, tale autem pactum, quod reincideret, non est sententia, sed intellige dictum Baldi, quando pactum est appositum per creditorem, et debitorem; quia si apponatur per sententiam Iudicis, reincideret, vt dictũ est. Hæc omnia Sylu. cui in omnibus adhæreo.

2 Atque adeo patet minus rectè à Raynaudo citari Syluestrũ pro sententia contraria, quod scilicet non possit pars terminũ prorogare, cum videamus, Syluestrum aperte contrarium docere, ac solide probare verbis allatis ex ipso fideliter.

3 Patet secundo nõ solum post factum, vt volebat Ioan. Andr. et nouissime ex Antonino Butrio in c. *præterea 2. de appell.* et Mayner. *ad leg. vbicumque caussæ ff. de reg. iur. n. 8.* Raynaud. *d. p. 1. cap. 1. qu. 14. ver. inter has:* sed etiam ante factum, posse talem opinionem amplecti, & sine metu excommunicationis à denunciatione desistere illum, cui pars prorogat terminum positũ in edicto; nam hæc sententia nõ habet tãtum aliqualem probabilitatem, vt dicere possimus, quod post factum sit consulẽda; sed est valde probabilis tot rationibus, & Doctorum auctoritate stabilita. Nam præter citatos à Syluestro, eã tenet Tolet. *lib. 1. cap. 9. nu. 5.* Hurtad. *disp. de cens. in com. diff. 26. num. 113.* Suar. *de cens. disp. 3. sect. 6. nu. 9.* & septem Theologi Ordinis Minorum apud Neuizan. *in Sylu. nupt. nu. 55.* quos citat ipse Raynaud. *d. q. 14. ver. est quinta difficultas.*

4 Patet tertio cõtra Raynaud. proxime citatum, non incidere in excommunicationem eum, qui elapso termino prorogato tantum à parte non denunciat ob assignatam rationem à Syluestro, & præter eum docet Hẽriquez *lib. 13. c. 20. n. 1. in summa.*

QVAERES IX.

An edicta de reuelando bona Titij obligent scientes hæredem Caij retinere bona, quæ Caius donauerat Titio absenti?

SVMMARIVM

Species facti. n. 1.
Proponitur ratio dubitandi. n. 2.
Donatio post acceptationem, etiam à Notario est confirmata. ibi.
Conscij huiusmodi donationis, non tenentur ad edictum reuelare. nu. 3.
Donatio acceptata, post mortem donantis, an valeat. ibi.
Possidens bona sibi donata sine insinuatione, tenetur reuelare ad edictum de reuelandis bonis donantis. n. 4.
Donatiuus sine insinuatione, & quando restituet bona sic donata. ibi.
Mandatum de donando expirat morte mandantis. n. 5.
Famulus per malitiam differens mandatum donandi tenetur restituere. ibi.
Quando conscij teneantur reuelare, si edictum mandet reuelari bona donantis, vel donatarij in d. casu ibi.
Quid si fuit promissarius, & promissionem acceptauit, an conscij teneantur ad reuelandum ad edictum de reuelandis bonis pro-

missarij. n. 6.

Promissarius non habet ius in re circa res promissas. ibi.

1 CAius donauit Titio absenti centum, ac destinauit nũcium, vel epistolam scripsit, vt Titio talem donationem intimaret, antequam nuncium, vel epistola perueniat, moritur Caius, hæredes bona omnia abscōdunt. Titius obtinet edictum ab Episcopo, vt reuelentur quicũque bona Titij habent, an qui scit, hæredes abscondisse talia bona, teneatur reuelare.

2 Affirmatiue respõdebit Molina *lib. 4. de primoge. c. 2. nu. 77.* & eum sequutus Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 6. n. 5.* quia post acceptationẽ iã est perfecta donatio, & sic bona sunt Titij, & hoc maxime verum erit quando donatio fuit per Notarium acceptata nomine Titij absentis: quia tunc communior sententia, pro qua stat Diana *part. 8. tr. 6. ref. 99.* cum pluribus ab ipso de more citatis, tenet donationem non posse per donãtem reuocari ante acceptationem.

3 Sed ego probabilissimum puto in casu nostro non teneri eos, qui sciunt Caij hæredes abscondisse bona donata Titio reuelare, quia cum sit probabilis satis contraria opinio asserens, non posse post mortem donantis acceptari, à Titio talem donationem, eamque cedere hæredibus Caij donantis, vt tenet Gregor. Lopez, *lib. 4. ver. Nolo puede sine. tit. 4. p. 5.* Burgos de Paz. *cens. 33. nu. 14.* Molina de primog. *lib. 4. cap. 2. nu. 76.* Azebedo *lib. 5. recopil, tit. 6. lib. 2. nu. 11.* & alij per multi apud ipsos: Sequitur, quod edictum iubens sub excõmunicatione reuelari bona donata per Caiũ à Titio, non loquatur de his bonis, quæ vere donata non sunt, non posita acceptatione tempore habili, nempe quando Caius donans erat viuus.

4 Quod confirmo hac paritate, si quis per donationem sine debita insinuatione factã acquisiuit bona Sempronij tenetur ad reuelandum vi edicti præcipiẽtis reuelari bona Sempronij, & ratio est, quia reuera donatio sine insinuatione est ipso iure nulla ex *l. pœn. §. vltimo. Cod. de donat.* & quamuis ex consuetudine, & vsu recepto non teneatur donatarius res sibi donatas sine insinuatione restituere, nisi quãdo aut donans, aut hæredes eius repeterent donatum, nec donatarius tenetur eos docere, quod possint repetere id, quod est donatum sine insinuatione ex Lessio *lib. 2. de iust. cap. 18. num. 99.* tamen illa monitio facta à Iudice Ecclesiastico ad instantiam partis habetur pro repetitione, vt bene aduertit Raynaudus *d. par. 1. cap. 2. qu. 5. ver. Respondeo secundo*; ergo etiam in casu posito cum donatio defectu acceptationis fuerit nulla, bona illa sunt donantis, eorumque hæredum, & sic non sunt reuelanda ad edictum manifestandi bona Titij donatarij.

5 Contra verò, si Caius fecit mãdatum donandi, quia nimirum dedit famulo gemmam, vt Titio ferret, & antequam famulus illam daret Titio donatario, Caius mortuus est, tenentur ad edictum de reuelando bona Caij, denunciare ijs, qui sciunt gemmam esse apud famulum, vel alios, nam per mortem Caij donantis reuocatum est mandatũ, & illud donum pertinet ad hæredes Caij, & est inter eorũ bona

na vt bene aduertit Sanch. *lib. 7. de matrim. disp. 6. n. 8.* cum Molina *disp. 263. §. iuxta hactenus dicta to. 2. de iust.* & quamuis famulus per negligētiam, aut malitiam distulisset donare gemmā Titio, & sic teneatur pretium gēmæ soluere Titio, vt probaui cum Sanchez *lib. 1. de matr. disp. 6.* tamen qui hoc sciunt, non tenetur ad edictū reuelandi, vel restituendi bona Titij denunciare retinētem pretium gemmę; nam reuera ante traditionem, seu solutionem factam per famulum, illa pecunia non est in bonis Titij.

6 Confirmantur ex doctrina Raynaudi *de monit. par. 1. c. 2. qu. 9.* vbi ait, non teneri ad reuelādum ad edicta, vt reuelētur, seu restituantur res Sēpronij, quando ipsi fuit facta promissio illarū rerum, & fuit etiam acceptata, quia quamuis promissio acceptata obliget ex iustitia promittentem, facta iam acceptatione ex parte promissarij, vt tenet communior opinio, adhuc promissarius non habet ius in re, in bonis promissis; sed tantum ad rem, & promittēs est verus Dominus rei; atque adeo non veniunt nomine bonorū Sēpronij. Ergo multo magis decendum est nō esse in bonis Titij id, quod ipsi debet restitui à famulo in cōpensationem doni, quod impediuit, ne fieret ipsius Titij: & potius debet dici tale donum esse in bonis Caij, qui fecit mandatū donandi.

QVAERES X.

An qui ob ingratitudinem donatarij res donatas clā surripuit ante Iudicis sententiam, teneatur ad edictum sub pœna excōmunicationis reuelare quæ repetijt à donatario.

SVMMARIVM.

Donans non potest repetere donata ob ingratitudinem donatarij, nisi post sententiam. n. 1.

Si edictum est de reuelandis bonis donatarij, tenetur reuelare conscius acceptorum ante sententiā de ingratitudine, à donante. ibi.

Contrarium est, probabile. n. 2.

Causæ reuocandi donationem. ibi.

Probabile est posita aliqua ex his causis, donationem statim corruere. ibi.

Accipiens bona alterius ob compēsationem non tenetur ad edicta restituere; nec id sciens reuelare. n. 3.

Quid si in edicto dicatur expressè, vt fiat reuelatio, vel restitutio; quamuis bona sint accepta ob compensationem. n. 4.

Donans nū teneatur restituere, & Conscij reuelare: si bona accepta sunt ob aliquā similem caussam quinque positis ad reuocandam donationem n. 5.

Quid si fuit facta promissio non reuocandi donationem, etiam ob ingratitudinem donatarij. num. 6.

Hæres non tenetur reuelare legatū si graues inimicitiæ inter legātem, & legatarium fuerunt ortæ. n. 7.

Bona inuenta; quorum Dominus nescitur, an sint danda pauperibus, &c. n. 8.

1 AFfirmatiue videtur dicendum ex dictis ab Eruditissimo Diana *par. 8. tr. 6. resol. 58.* cum Viger. *de iust. tr. 5. c. 2. dub. 12. n. 58.* Delugo *de iust. disp. 23. sect. 11. n. 172.* vbi ait, ad hoc, vt donans possit repetere donationem ob ingratitudinem requiri sententiam Iudicis, atque adeo ante sentētiam Iudicis de-

gratitudinẽ reuocari,ex Menochio *de arbitr. casu.* 136. *n.* 3. *lib.* 2. *cent.* 2. Gomez, *to.* 2. *variar. cap.* 4. *n.* 12. Claro *lib.* 4. *sent.* §. *donatio qu.* 21. *n.* 2. & per consequens etiã probabile erit, quod ante sententiam donatio corruet.

6 Et tandem in omnibus casibus, in quibus Doctores dicunt, donationem posse reuocari ob ingratitudinem, non obstante promissione non reuocandi donationem ex caussa ingratitudinis, de quibus videri possunt Vuadignus *tr. de contr. disp.* 3. *dub.* 12. §. 1. *n.* 4. Molfes. *in sum. to.* 2. *tr.* 12. *cap.* 16. *nu.* 61. Delugo *de iust. disp.* 23. *sec.* 11. *n.* 174. & alij, quos refert Religiosissimus Diana *p.* 8. *tract.* 6. *à resol.* 54. In omnibus inquam his casibus si donans rem à se donatam accepit, vel compensauit ab ingrato donatario, non tenetur ad edicta reuelare.

7 Hinc patet primo hæredem non teneri reuelare legatum alicui relictum, quando post factũ legatum graues inimicitiæ inter legantem, & legatarium sunt ortæ, quamuis eas hæres probare non possit pro foro externo, quia statim tale legatum censetur reuocatum, accedit hæredi *ex l. nutu. ff. de leg.* 3. *l.* 2. *ff. de adm. legat.* & ibi cõmuniter scribent.

8 Patet secundo quod si quis tẽpore belli, v.g. vel pestis, vel alio pacto inueniat aliqua bona, quorum neque Dominum, neq; hæredes illius inuenire potuit, quo casu non tenetur secũdum probabilem opinionem dare illa pauperibus, aut expendere pro anima Domini, nisi extẽt aliquę leges municipales, quę de his bonis disponunt, de quibus Molina *de iust. disp.* 746. *tr.* 2. *to.* 3. vt probat solide Diana *p.* 6. *tr.* 5. *res.* 16. Soto, Ledesma, Layman. Caramuel. & alijs. Si postquam illa consumpsit, facta sufficiẽti diligentia, & expectato tempore ad arbitrium prudentum appareat Dominus, & ad eius instantiam ponatur edictũ; vt qui habet eius bona, restituat, aut reuelet. Non tenetur hic restituere, nec scientes reuelare, quia hic postquam bona fide ea consumpserit, non tenetur Domino comparenti restituere, nisi in quantum factus est locupletior, ergo neque tenetur ad edictum restituere, aut reuelare, nisi in quantum factus est locupletior ob rationem supra allatam, quia hęc monitoria obligant ad restituenda ea, quę quis iniuste retinet.

QVAERES XI.

An bona, quæ post delictum patratum competunt fisco debeant ex vi monitorij restitui?

SVMMARIVM

Debent talia bona reuelari. n. 1.
Bona confiscata, an debeant fisco dari ante sententiam. ibi.
Creditum inter bona nostra numeratur. n. 2.
Nomine bonorum mobilium, & immobilium non veniunt credita. n. 3.
Dictio omnis non includit res diuersæ speciei. ibi.
Quæ bona confiscata, & à quo tẽpore sint ad edictum reuelanda. nu. 4.
Sententia an retrotrahatur ad diẽ commissi delicti. ibi.
Quid si reum pœniteat delicti, quæ bona confiscantur? ibi.

Re-

1 RESpondeo affirmatiue, scilicet bona, quæ ob delictum aliquod ipso iure à reo amittuntur, & fisco acquiruntur. vt est v. g. in reis criminis hæresis ex cap. cum secundum leges de hæret. in 6. posito edicto de restituendis, aut reuelandis bonis Titij hæretici debent sub pœnis contentis in edicto restitui, aut reuelari. Ratio est, quia licet ante datam sententiam confiscationis non teneantur rei bona illa restituere, & possint in tertiũ transferre siue titulo oneroso, siue lucratiuo, monendo tamen donatarium de periculo; at post datam sententiam cõfiscationis, si à fisco requirũtur, tenẽtur bona illi tradere ex Salas de legibus *disp.* 15. *sect.* 4. *n.* 61. *v. quin imo.* & alijs.

2 Tantum duo sunt attente aduertenda. Primum est, vt perpẽdantur verba monitorij diligenter. Si enim dicatur, qui habet bona Titij hæretici, vel alterius criminis rei fisco restituat, debitor Titij non potest soluere Titio post edictum; sed tenetur dare fisco id, quod Titio debebat, quia illud inter bona Titij connumeratur ex *leg. si adẽptis cod. de sent. passis.* & tradunt Peregrin. *de iure fisci li.* 5. *tit.* 1. *n.* 50. Simãc. de Cath. inst. *tit.* 9. *nu.* 7. Surd. de alimen. *tit.* 8. *priu.* 59.

3 Contra vero si dicatur in edicto: vt reuelentur bona mobilia, & immobilia Titij, non tenetur debitor fisco soluere. sed potest dare Titio absq; incursu in excõmunicationem, quia illud creditum non venit nomine mobiliũ, aut immobilium: sed constituit tertiam speciem, vt sunt iura, & actiones ex l. *à Diuo Pio* §. *in venditione ff. de recup.* probat Tiraquell. multis relatis de retract. lignagier. §. 1. *gloss.* 7. *n.* 9. Clarus in praxi *l.* 5. §. *finali q.* 78. *nu.* 9. & alij. quod verum est, quamuis addatur omnia bona mobilia, vel immobilia, quia ea dictio vniuersalis omnia, non potest habere tantam vim, vt includat res diuersæ speciei, qualia sunt iura, & actiones, vt notat Tiraquell. loc. cit. Pinell. *in rubr. cod. de bonis mater.* §. 1. *n.* 26. Farinac. de delict. & pœn. *qu.* 25. *nu.* 119. & alij.

4 Aliud quod notandum est circa hæc edicta de restituendo, aut reuelando bona Rei à fisco confiscata, quod cum sit probabilior sentẽtia, quam ex Bursatio cons. 289. vol. 3. nu. 10. Mattiens. *lib.* 5. *recop. tit.* 4. *lib.* 3. *gl.* 7. *num.* 6. Guttier. *lib.* 2 *pract. qu.* 39. *nu.* 6. & alijs probat Sãch. *lib.* 2. *in sum. cap.* 74. *nu.* 10. nimirum in confiscatione post sententiam datã venire bona omnia à die commissi delicti vsque ad diem, quo reum delicti pœnituit, & non illa, quæ obuenerunt Titio post pœnitentiam. Probabilius etiam erit, rerũ non teneri manifestare nisi bona, quæ habebat ante pœnitẽtiam delicti. V. g. delictum fuit commissum primo Ianuarij 1657. sententia datur primo Aprilis, tenetur reus manifestare omnia bona habita à se vsque ad primum Ianuarij, quia licet sententia sit data primo Aprilis, retrotrahitur ad diem cõmissi delicti, vt probant citati Doctores; at si reũ pœnituit delicti primo Februarij potest abscondere, & non reuelare ad edictum bona, quæ illi obuenerunt ab illo primo die vsque ad datam sententiam, quia lex tunc censetur ferre sententiam, quando delictum committitur, & nõ quando Iudex dat sententiam. vt dicit Bursatius *d. cons.* 289. *vol.* 3. *nu.* 10. ergo si tempore aliquo ces-

cessat delictum, ab illo die vsque ad datam sententiam pœna non debetur, & sic monitorium non obligat ad restituenda, quæ non veniunt comprehensa sub pœna confiscationis.

QVAERES XII.

An teneatur restituere ex vi monitorij bona, quæ quis obtinet titulo adiudicationis factæ in hoc nostro Siciliæ Regno, si talis adiudicatio fuerit infra dimidiũ iusti pretij.

SVMMARIVM.

In adiudicatione bonorũ, quæ sint seruanda. nu. 1. remissiue
An in adiudicatione infra dimidiũ detur repetitio fructuum. n. 2.
Possidens ex præscriptione an teneatur monitorio de reuelandis, aut restituendis, &c. ibi.
Adiudicatarius quãdo nõ teneatur ex vi monitorij ad reuelãdũ n. 3.
Quando teneatur reuelare. n. 4.
Quid si timeat amissionẽ sui crediti ibi
Monitoria interpretanda, nequid contra honestum præcipiant. ibi.
Monitoria non obligant ad denunciandum cum periculo damni in bonis, &c. denunciantis n. 5.
Fur occultus ad edictum se prodere non tenetur. ibi.

1 DE praxi, & iustitia talis adiudicationis dixi in *qq. mor. part.* 1. *tr.* 2. *q.* 52. vnde ea non repeto, solum agam de casu in hac quæstione proposito, qui accidit non multis ab hinc annis; cum enim quidam è Sicilia profectus esset ad bellum, & ibi multos annos fuisset, filium ex legitimo matrimonio ibi contracto genuit; hic mortuo Patre, in Siciliam venit bona paterna habiturus; cum nulla via scire posset, quæ fuerint sua bona, obtinuit ab Episcopo monitorium ad effectum, vt qui bona Sempronij Patris retinerent, restituerent, vel reuelarent. Quæsitum fuit quid in hoc casu facerent adiudicatarij dicti.

2 Ratio dubitandi fuit, quia bona adiudicata, præsertim cum adiudicatio facta est infra dimidium iusti pretij, semper possũt repeti à Domino remedio, quod gratiosum vocamus, itaut, offerente Domino prædij adiudicati summam debitam, v. g. Vncias sexaginta, ob quam prædiũ v. g. valens 200. fuit adiudicatũ, adiudicatarius teneatur restituire prædium vna cum fructibus perceptis, & nunquam præscribuntur, si enim curreret præscriptio, ita vt legitimè fuissẽt ea bona præscripta, non teneretur possidens ex præscriptione monitorio, vt ex Auila 2. *p. ca.* 5. *d.* 5. *dub.* 1 *illat.* 3. *Nauarr. cons.* 35. *de sent. excomm. n.* 8. docet tamquam perspicuum Raynaud. *p.* 1. *c.* 2. *qu.* 7. *de monit.*

3 Respondeo cum distinctione: si monitorium fertur ad restituenda bona Sempronij, certe adiudicatarius ex vi illius non tenetur, quia tale monitorium cẽsetur latum contra iniuste detinentes ex dictis supra & hic autem iuste detinet bona illa adiudicata, donec sibi soluatur creditum, ergo ex vi monitorij non tenetur restituere.

4 At si monitoriũ feratur ad hoc, vt bona Sempronij reuelẽtur eo fine, vt sciatur possidens, tunc adiudicatarius tenetur reuelare, quando ex tali reuelatione non veniret ei notabile damnũ, scilicet, quia amitteret suum creditum, si non posset illud probare, nec adiudicationem factam, nã hęc edicta nõ intelliguntur facta

ta cum damno tertij, & semper debent interpretari, nequid cõtra iustitiã, aut honestum præcipere videantur. vt probat Lazar de monit. *sect.* 1. *qu.* 20. *num.* 2. argumen. cap. *quintauallis de iure iurand.* Sayr. *clau. reg. lib.* 12. *cap.* 14. *nu.* 29. Ioan. Guttier. *lib.* 1. *can. qq. c.* 11. *n.* 80. Nauar. *cons.* 18. *de haret. nu.* 7.

5 Confirm. quia à denunciando ad huiusmodi edicta communiter excusantur ob graue damnum, quod ex denunciatione posset euenire ipsi denunciãti, vel in persona, fama, bonis, &c. ex Nauarr. *cap.* 25. *nu.* 50. Nauarra *lib.* 2. *de rest. cap.* 2. *n.* 228. Soto de iust. *memb.* 2. *qu.* 7. *v. respondetur primum*, & alijs, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 6. *cap.* 2. *dub.* 22. *cons. mor.* ergo multo magis excusabitur adiudicatarius denunciare bona à se adiudicata; si amissio sui crediti est sibi obuentura per talem denũciationem, sed potest, ac tenetur alia via bona à se adiudicata tradere, & suum creditum recuperare: fauet huic parti Lazarius de monit. *sect.* 3. *qu.* 12. vbi ex Nauarr. *c. inter verba concl.* 6. *n.* 765. Toleto *sum. lib.* 5. *ca.* 27. *n.* 10. Gaetan. & alijs docet, quod fur occultus non tenetur se prodere ad edictum; sed tantum curare, vt res reddatur Domino, & damnum illi latum resarciatur.

QVAERES XIII.

An quando quis factus est sua culpa impotens ad restituendum, incidat in excommunicationem latam per monitorium de restituendo, præsertim si culpæ se pœniteat.

SVMMARIVM

Fur occultus sine sua culpa factus impotens, non incidit in excommunicationem monitorij. n. 1.

Impotens ad restituendum, an teneatur ex vi monitorij ad reobligandum creditori. n. 2. *&* 3.

Quid senserit P. Raynaudus, quãdo sua culpa debitor factus est impotens n 4.

Reddens se impotentem ad restituendum peccat, incidat in excommunicationem elapso termino ad restituendum. n. 5.

Quid si non dum elapso termino se pœniteat, an incidat in excommunicationem. nu. 6.

Omissio restitutionis in impotente postquam eum pœnituit culpa, prouenit tamen ex impotentia. nu. 7.

Pollutio sequens post pœnitentiam causæ datæ non est peccatum. ibi.

Irregularis est, qui percutit alium quamuis ante illius mortem se pœniteat. n. 8.

Traditur disparitas inter percutientem, quem pœnituit percussionis, & eum, qui doluit de impotentia ad restituendum. ib.

Excommunicatio lata per edictum non retrotrahitur ad tempus cõmissi delicti. nu. 9.

1 Concordant Doctores neq; peccare, neque ligari creditorem, seu furem occultum pœna excommunicationis, quãdo impotentia non est culpabilis. ita Sotus *in* 3. *dis.* 22. *qu.* 1. *ar.* 2. *ver. secundo.* Sayr. clau. reg. *lib.* 12. *cap.* 14. *nu.* 31. Rodriq. in summ. *par.* 1. *cap.* 19. *nu.* 10. Suar. de cens. *disp.* 20. *nu.* 10. & alij omnes. Bene etiam id intelligẽtes non solum, quando debitor seu fur occultus est physicè impotens; sed etiam quando est talis moraliter, vt arbitrio boni

vi-

viri, non possit sine suo magno incommodo restituere in *l. nepos ff. de ver. signific. cap. faciat 22. qu. 2.* De qua materia videri possunt Doctores agentes de restit.

2 Et quamuis aliqui putent, teneri in eo casu ex vi monitorij impotētem obligare se creditori, & reddere illum tutū, quod adueniente potentia illi satisfaciat; nisi tamen ex hoc aliqua infamia oriatur ipsi debitori.

3 At negat hoc esse necessarium Sanch. opus. *lib. 6. c. 24. n.* 4. quē sequitur Raynaudus de monit. *par.* 1. *cap.* 2. *qu.* 3. *ver. sunt qui.* Auila de cens. *p.* 2. *c.* 5. *dis.* 5. *du.* 1. nam non debemus debitori addere nouam obligationem supra eam, quam habet ex natura rei.

4 Loquendò autem in casu posito de debitore, qui voluntarie, aut malitiòse se coniecit in talē impotentiam, quia v.g. habebat bona, quæ restitueret, & sciuit esse edictum sub excommunicatione restituendi intra quindecim dies, & ipse ante decimum diem v.g. omnia dissipauit, vt certum statuit Raynaudus *loco cit. ver. venio ad impotentiā.* hunc peccare contra præceptum Superioris tunc, quando se reddit impotentem, incidere tamen in excōmunicationem statim, ac terminus dierū præfixus ad restituendum elabitur, & non antea, & addit excommunicationem contrahi, non obstante quod antequam elabatur terminus, furem, vel iniustum detētorem pœniteat impotentiæ à se inductæ, vt docet Suar. de cens. *disp.* 20. *sect.* 2. *n.* 16. nam excōmnnicatio incurritur ex vi prioris caussæ iam datæ.

5 Placet mihi huius Doctoris respōsio quoad primam partē, quatenus dicit, hunc se reddentem data opera impotentem, ne restituat ex vi monitorij peccare, & incidere in excommunicationem elapso termino iā cōstituto, & est iuxta communem Doctorum consensum.

6 Quoad secundam vero partē probabilius videtur, quod si nō dum elapso termino v. g. quindecim dierū eum facti pœniteat, non incidet in excommunicationem. posito quod tunc sit impotens.

Ducor quia excommunicatio fertur à Iudice statuente monitorium, seu edictum contra non restituentem culpabiliter intra terminum præfixum, vt patet ex dictis qq. præced. sed hic factus sua culpa impotēs, qui intra terminum ante incursum excōmunicationē doluit sua culpa, non omittit restitutionem culpabiliter; sed ob impotentiam: ergo qui reddit se impotentem culpabiliter, si post eū pœniteat facti, antequam aduenerit terminus præfixus ad incidendum in excommunicationem, non incidit in excommunicationē elapso termino.

7 Dices illa omissio restituendi est ex vi prioris caussę iam datę, quando ante lapsum terminum se reddidit impotentem; ergo omittit culpabiliter, & sic incidit in excommunicationem, elapso termino.

Respōdeo negando anteced. nam posito, quod illa mala voluntas fuit retractata per pœnitentiam, illa omissio restitutionis non prouenit, nisi tantū materialiter ex vi illius; sed prouenit ex impotentia, sicuti quando quis dat caussam pollutioni, si antequam pollutio adueniat legitime de ea habuit pœnitentiam, pollutio postea sequens vacat culpa, & censetur inuolū-

taria, vt ex multis docet Sanch. *lib. 9. disp. 45. n. 29. de matr.*

8 Dices secundò; si Titius percutiat Caium, & ante Caij mortē, pœniteat eum percussionis, est irregularis sequuta morte, vt constat; ergo etiam qui reddit se impotentem ad restituendum ex vi edicti, etiamsi ante terminum pœniteat eum impotentiæ datæ culpabiliter, incidet in excommunicationem.

Respondetur negando consequentiam, & disparitas est, quia irregularitas cōtrahitur ex homicidio posito culpabiliter ex caussa data, & influente adhuc ad mortem: at excommunicatio non fertur ob impotentiam restituendi positam; sed ob ipsam omissionem restitutionis cum culpa intra tale tempus. At iam illa omissio, posita pœnitentia, est sine culpa: ergo per illam nō contrahitur excommunicatio.

9 Confirmatur primo: quia excommunicatio lata per edictum nō retrotrahitur ad tempus cōmissi delicti. Vnde si v. g. hodie 2. Ianuarij fertur edictum ad effectum restituendi intra quindecim dies, qui non restituit, non cēsetur excommunicatus, nisi hodie 17. Ianuarij, itaut si per eos 15. dies cum omnibus communicauerit, tā in humanis, quā in diuinis, non possit puniri à Iudice Ecclesiastico ob contēptum censuræ, quia reuera illam non incurrerat, nisi post elapsos quindecim dies. ergo cum illud peccatum commissum v. g. die 3. Ianuarij, quo se impotentem reddidit, iam cessarit, & sit per pœnitentiam deletum, non poterit incurri excōmunicatio maior (quæ semper incurritur ob culpam mortalem) die 17. Ianuarij, in quo nullum supponimus peccatum non restituendo. quare videtur ex his probabilius esse nō incurrere excommunicationem eum, qui se reddidit impotentem restituendi ad edictum, si ante terminum præfixū pro restituendo doleat culpa, saluo tamen, &c.

QVAERES XIV.

An si edictum sit de reuelando iniustum detentorem, teneatur conscius reuelare eum, qui se data opera reddidit impotentem ad restituendum.

SVMMARIVM.

Conscius impotentiæ debitoris non tenetur reuelare ad edicta. n. 1.

An teneatur debitorem monere, vt securum reddat creditorem. ibi. num. 2.

Non tenetur quis reuelare impotētem debitorem culpabiliter. n. 3.

Occultus delinquens, sed emendatus non est ad edicta reuelandus nu. 4.

Non est reuelandus ad edicta, si de alio crimine est diffamatus. n. 5.

1 DE hoc casu neminem tractantem vidi, excusant quidem Doctores à reuelando ex vi monitorij eum, qui scit debitorem, vel furem esse impotentem ad restituendum, vt videri potest Sanch. *lib. 6. consil. c. 22. dub. 24. nu.* 3. Lazarius de monit. *sect. 2. qu. 13. n.* 3. & alij apud ipsos; & licet ipse Lazarius *nu.* 4. ex Nauarr. & Sayro putet, teneri conscium impotentiæ debitoris illum monere, vt quamprimum possit, creditori satisfaciat, & intra tēpus à monitorio præfixū videat modum aptiorem ad reddendum securum creditorem.

2 Alij tamen, vt Sanchez *d. du. 24. nu.* 4. Auila de cens. *d. par. 2. cap.*

cap. 5. disp. 5. dub. 1. & alij putãt, non esse imponendam talem obligationem huic conscio, quod etiam mihi placet, nõ enim potest assignari caput, vnde hic teneatur ad hoc efficiendum ex vi monitorij, posito quod non teneatur reuelare impotentem.

3 Ad quæstionem igitur propositam videtur negatiue respondendum. Fundamẽtum est, quia reuelatio, quæ præcipitur à Iudice Ecclesiastico non ordinatur ad puniẽdum debitorem ob delictum ab ipso commissum; sed ad satisfaciendum læso, vt docet Sotus de secret. *membr. 2. quæst. 6.* paulo ante solutionem ad 3. Cordub. sum. q. 111. *circa finẽ.* Armilla *ver. Inquisitio num. 8.* & alij. ergo cum ob impotentiam debitoris, etiã culpabiliter ab eo inductã, non possit satisfieri creditori, nõ tenetur cõscius furti, & etiam impotentię ad restituendum reuelare. Pone enim quod ponatur edictum, vt omnes qui sciunt Clericos beneualentes, teneantur eos reuelare ad hoc, vt mittantur ad bellum, quis dicet, me teneri reuelare Clericũ, qui sua culpa in morbũ incidit, vnde ad bellum est impotens.

4 Confirmatur 1. quia quamuis feratur edictum ad detegendum occultum delinquentem, si is est iam emendatus, conscij non tenentur reuelare, imo peccarent eum reuelando; nam ius naturale obligat ad tacendum de delicto occulto proximi, & ad non dandum illi incommodum sine rationabili causa ex Guttier. *l. 1. qq. canon. c. 11. n. 73.* vbi multos citat Sanch. *lib. 6. cons. c. 2. du. 5. nu. 2.* & alijs. ergo multo magis nõ tenebitur conscius culpæ commissæ, ob quam fur se reddidit impotentem, illum reuelare postquam factus est impotens.

5 Confirm. 2. quia qui scit delictum occultũ alterius, v. g. homicidium, non tenetur illud reuelare ad edictum, etiamsi homicida sit de alio delicto v. g. furti diffamatus, nisi quando bonum commune, vel magna vtilitas præponderans damno delinquentis vrgeat, vt ex Nauar. & Sanch. docet Raynaudus *p. 1. c. 3. qu. 18. de monitorijs*: ergo multo minus tenetur conscius impotentiæ debitoris ad restituendum, reuelare illum, ob id, quod sponte sua factus est impotens; nam hoc est aliud delictum ab eo, quod reuelari præcipitur; pręcipitur enim per edictum reuelatio iniusti detentoris bonorum alterius, & nolentis cum possit restituere, & hic reuelaret peccatum quo se reddidit impotentem.

QVAERES XV.

An conscij, quod concubina Clerici possideat eius bona, sibi ab eo donata in remunerationem seruitiorum, teneantur reuelare ex vi monitorij de reuelãdis possessoribus bonorum Clerici.

SVMMARIVM

Clerici quousque possint concubinę donare ratione obsequiorum ipsis ab ea præstitorum. n. 1.
An debeant hæc obsequia in iudicio probari. n. 1. & 2.
Conscius donationis clerici factæ concubinæ ob obsequia, non tenetur iuxta probabiliorem, ad edictum reuelare. n. 2.
Explicatur l. 2. cod. de don. inter vir. & vxor. ibid.
Lex fundata in falsa præsumptione an obliget in conscientia. n. 3.
Iuramentum pactis de futura successione sine consensu eius, cui

succedendum, an obliget.ibid.
*Aduocatus an possit pro foro conscientiæ esse iudex in eadem causa.nu.*4.

1 VIdetur teneri ad reuelandũ concubinam, quia quãuis possit à Clericis donari concubinæ ob seruitia ab ea illis impensa, tamen hæc seruitia debẽt in iudicio probari, neque standũ est assertioni, aut Clerici donantis, aut concubinæ donatariæ, qui asserant illa bona fuisse donata in remunerationem obsequiorum præstitorum, ex Barbosa *in remission. ad ord.reg.*Lusitan. *lib.* 4. *tit.*66.*nu.*2.Tiraquell. *l. si vnquam ver. donatione largitus nu.* 22. *&* 24. Guttier.*de sacr. confir.* 1.*p.c.* 6. *nu.*11.& alij citati à Fagund. *lib.* 4.*cap.* 1.*nu.* 34. *de contractibus*: ergo qui sciunt, Cõcubinam habere bona Clerici, debent reuelare: cum ea, ante probationem obsequiorum in Iudicio factam, non possit retinere talia bona donata.

2 Sed contrarium videtur verius, scilicet conscios huiusmodi bonorum, non teneri concubinam reuelare, quando ipsi moraliter sunt certi, quod illa bona possideantur à cõcubina Clerici ob donationẽ factam in recompensationem obsequiorũ, quæ realiter prẹstitit ipsi concubina, quãuis in iudicio nec fuerint probata, nec possint probari.

Ratio est quia *l.2.c.de donat.inter vir.* & *vxor.* loquitur de donationibus mere gratuitis, non autem de ijs, quæ fiunt ob seruitia, vt notat ex Molina *to.* 2. *de iust. disp.* 275. *§.illud occasione* Fagund.*l.cit.*quod autẽ requiratur probatio obsequiorum, id procedit pro foro externo, vt aduertit idem Fagundez, & leges fundantur in præsumptione, quod id, quod datur Concubinẹ, turpiter videtur datum, & ob turpem amorem ex Cabedo 1.*par. decis.* 116.*n.* 2. 3.*&* 4.

3 Sed vbi est veritas, cessat prẹsumptio in foro conscientiẹ, vt probaui de virtute Relig. *tr.*4. *lib.* 2.*disp.*8.*à nu.*27.Vndè ibi dixi, iuramentum additum pactis de futura successione, etiam sine consensu illius, cui succedendũ erat, valere, cessante prẹsumptione captandi mortem.

4 Aduocatum posse esse Iudicẽ in eadem caussa in foro consciẽtiẹ cessãte affectione ex Corduba in summ. *qu.*259. quem sequitur Diana *par.* 3. *tr.* 2.*miscell.resol.* 56.

Ergo si Concubina potest in foro conscientiẹ retinere donata à Clerico in remunerationem obsequiorum, ac seruitiorum, non tenetur conscius talis veritatis ad edictum de reuelando possessore bonorũ Clerici, eã reuelare, quia generalis ac cõmunis Doctorũ regula est, conscium nõ teneri ex vi horum monitoriorum reuelare eum, qui possidet illa bona aliquo iusto titulo, vt patet ex dictis qq. ex Sanch. *lib.* 9. *conf.c.* 2. *dub.* 24.*n.*2.Suar. de cens.*disp.*20.*sect.* 3. *num.* 12. Bonac.*ex varijs tract.* 6.*punct.*1. *§.* 6. *nu.*3.& alijs apud ipsos.

Vnde non puto longius progrediendum in assignandis casibus, in quibus possidens bona alterius, non peccet ea retinendo, vt faciunt quidam Recentiores extendentes materiam de monitorijs, quam tractant, ad aliam de iustitia, solum ponam aliquot exempla, in quibus cũ ijs non conuenimus.

QVAE-

QVAERES XVI.

An si quis rem à se restituendam tradidit cuidam viro probo, & is eam Domino non restituit, sit reuelandus vi monitorij.

SVMMARIVM

Affertur quid in hac quæst. senserit P. Raynaudus n. 1.
Quid senserit Lazarius.*n.2.*
Debitor qui rem restituendam tradidit viro, quem fidum putabat; non est denunciandus ex vi monitorij de reuelãdo debitore.n. 3.
Non tenetur dictus debitor quidquam restituere iuxta probabilem n. 3.
Fur non ligatur excommunicatione, si rem tradidit restituendã internuncio, qui sibi eam retinuit. nu. 4.
Ligantur monitorijs præsumentes indebite, & malitiose detinere aliorum bona ib.

1 DVas in hac quęstione sentẽtias reperio. Prima est Raynaudi de monitor. *par.* 1. *cap.* 2. *qu.* 16. vbi quęrens [liber ne sit à monitorio, qui rem alienam restituendam commisit infideli internuncio retinenti eam sibi] ait [Respondeo, si ipse restituẽs internuncium illum delegerit, ad restituendum autẽ obligatus fuerit ob iniustã acceptionem, vel ob rem in suum dumtaxat commodum acceptam, non est liber; sed ęque tenetur restituere, ac si nihil ei cõmisisset, ideóq; incidet in excommunicationẽ monitorio illatam, si resciuerit infidelitatem internuncij, & nõ restituerit. ita Nauarr. *sum. c.* 17. *n.* 67. Naldus *v. excommunicatio n.* 19.] & per consequens docebit hic auctor, teneri conscium in hoc casu reuelare ob regulam superiori quęstione allatam.

2 Secunda est Lazarij *de monit. sect.* 4. *qu.* 7. vbi distinguit: si debitor erat ob iniustam acceptionem puta furtum, tenetur sub excommunicatione rẽ Domino restituere statim, ac comperit internuncium ei non dedisse rem commissam à debitore. Quod si debitum erat ratione alicuius iusti tituli, vt mutui, vel depositi, aut aliàs non tenetur pœnitens amplius restituere post rei restituendæ cõsignationem Confessario factam; & per consequens nec debet, nec potest rursus ob illud debitum excommunicari, vt explicat Rodriquez in sum. *p.* 1. *d. cap.* 79. *n.* 16. *in fine &c.*] ita ille, qui etiam in ijsdem casibus dicet, teneri, aut non conscium ad reuelandum.

3 His tamen non obstantibus asero; quando Titius rem, quã furatus est, vel mutuo accepit, aut quocumque alio titulo restituere tenebatur, dedit internuncio, quem ipse fidum putabat, at reuera infidus fuit, siue fuerit Confessarius, siue quilibet alius; conscium huius facti non teneri ex vi monitorij de reuelando possessore bonorum Caij, vel furem Titium denunciare. Fundamentum est, quia non est improbabile in d. casu, siue furẽ, siue quemcumque alium debitorem non teneri ad aliud, posito, quod iam dedit rem, aut pecuniam restituendam creditori, aut Cõfessario, vel alij viro probo; nam vt bene ex Scoto *in* 4. *dis.* 15. *qu.* 2. *ar.* 4. Gabriel. ibid. *qu.* 2. *ar.* 4. & alijs argumentatur Diana *p.* 10. *tr.* 16. *resol.* 97. nec debitor immediate per se ipsos tenetur restitutionem facere; sed sufficit, quod faciãt per alios prudentes, & fideles viros; sed in

in hoc casû fur, aut debitor fecit quantum potuit, & prudenter egit, eam personæ fideli tradendo; ergo deobligatus manet. Secundo quia is, qui illam tradendam, & restituendam accepit, implicitè se obligauit ad illam domino tradẽdam, & consequẽter alterum deobligauit, & si nõ restituit, manet obligatus ad restitutionem, quare si fur, aut debitor, qui illam tradidit, non deobligaretur, & ad restitutionem teneretur iterum; sequeretur quod Dominus redderetur melioris cõditionis propter furtum, cum in hoc casû duæ restitutiones essent faciendæ, at hoc nemo dicet, ergo habemus intentum.

Ex quibus, & alijs rationibus, quas eruditissimus vir adducit, dicta sententia non caret, vt dicebam probabilitate, vt putarunt Less. *lib. 2. cap. 66. dub. 6. fine.* Trullench *in Decalog. to. 2. lib. 7. cap. 14. dub.* 11. *n.* 11. quos citat idem Diana loco cit. *& in 2. par. tr. 17. resol. 2.* citauit Cenedum *de paupertate Religion. dub.* 34. *n.* 8. eam absolutè amplectentem, & nouissimè Castropalaus de iust. *disp. 1. pun.* 17. §. 9. *n.* 4. fatetur, se in eam propendere, licet, contrariam, vt potè cõmunem amplectatur.

4 Ergo posito quod dicta sentẽtentia non caret probabilitate, debemus dicere, conscium non teneri ex vi monitorij ad reuelãdum eum, qui sic restituit, medio viro fideli, nam monitoria vt patet ex eorum forma, quam ponit Lazarius *sect.* 1. *qu.* 18. *n.* 7. *de monitor.* loquuntur quando bona alterius (subtraxerunt, & temere occuparunt, eaque malitiosè, & indebitè detinere præsumpserunt, & præsumunt) qui autem restituit bona debita siue per iniustam actionem, siue per contractum, medio internuncio à se fideli putato, non potest dici, quod indebitè, & malitiosè detinere præsumat, vt patet; ergo prçceptum reuelandi detentores bonorum Titij, non censetur comprehendere hunc casum, in quo Titius debitòr fecit quantum potuit pro restitutione, & vt docet Diana *d resol.* 97. circa finem, ipse latro, vel debitor, qui furtum, vel debitum tradidit internuncio fideli, non ligabitur excommunicatione lata pro furto, aut retentione debiti, tantum abest, quod censẽdus sit ea ligari, qui illum non reuelat in dictis casibus.

QVAERES XVII.

An amicus arctissima amicitia cõiunctus teneatur ad monitorium reuelare, seu restituere, quod ipse surripuit.

SVMMARIVM.

Quo sensu procedat quæstio posita n. 1.
Amicus surripiens rem ab alio, qui non creditur inuitus, non tenetur ad reuelãdum ad edicta n. 2.
Maritus, aut filius non tenentur ad edictum ad instantiam mariti, aut patris, nisi constet sibi, Patrem, aut maritum voluisse eos includere n. 3.
Amicus arcta amicitia coniunctus non tenetur reuelare monitorio lato ad instantiam amici n. 4.
Magnus amor idem operatur, quod sanguinis coniunctio. ibi.
Legata facta à non cogitante de posthumo corruunt, nisi sint facta consanguineis, aut valde amicis n. 5.
An possit pro altero quis stipulari in eo, quod interest ob affectionẽ san-

sanguinis, vel amicitiæ n. 5.
Clausula codicillaris intelligitur in testamentis inter liberos, & valde amicos n. 9.
Legata ex testamẽto minus solemni an competant amicis. ibi.
Vera amicitia quæ sit. n. 7.
Amicus quamuis turpem habeat amorem, an teneatur ad edictum ad instantiam alterius de reuelando, &c. ibid.

1 QVæstio potest procedere, vel quando reuera amicus peccauit rem surripiendo, quia v.g. furatus est id, de quo sciebat, alterum omnino esse inuitum, vt ab eo auferretur, vel non peccauit, quia probabiliter sibi persuasit, amicum nõ fore inuitum, quamuis præ verecundia noluit ab eo rem illam petere ex *l.1.§. furtum ff. de furtis*, & notant omnes cum Lessio *lib.2.c.12.dub.1.n.4.*

2 In hoc secundo casu certum est ex dictis, monitorium non ligare ad reuelandum, aut ad restituendum, quia intentio ferẽtis monitorium sub pœna excõmunicationis, & illius, ad cuius instantiam fertur, est vt sibi restituatur ab iniustis detentoribus, talis autem non est amicus, qui rem ab alio surripuit modo dicto.

3 Circa primum casum nil reperio apud Doctores in nostris terminis, tantum P. Raynaudus de *monit.p.1.c.2.q.12.* & ante ipsum Lazarius item de monitor. *sect. 3.q.8.* loquuntur quando filius, vel vxor furati essent à marito, aut patre, vltra casus licitos, & ferretur monitorium ad Patris, aut mariti instantiam pro restitutione, aut reuelatione, & dicunt, quod vbi non constet de voluntate ferentis monitorium, seu mariti, aut patris, (nam Iudex non intendit ligare plures ijs, quos intendit pars ligare) quod eos etiam voluerit cõprehendere, non tenentur ad edictum reuelare, aut restituere, cõtra vero si sint dubij, tenentur, quia constat de præcepto, vt putat Raynaudus.

4 Ad casum igitur propositum dico; si amicus sit vere arcta amicitia coniunctus, non ligatur monitorio ad finem reuelandi, seu restituendi, ita vt si non reuelet, vel non restituat, peccet quidem contra iustitiam, at non incidet in excommunicationẽ, quia sicuti non est credendum, maritum, aut patrem velle pro furto vxoris, ac filiorum eos tã grauiter punire innodando illos censura excommunicationis, vt docent Lazarius, & Raynaudus supra cum Toleto *lib 1.cap.10.n.7.* Soto de *iust.& iur. lib5.qu.3.ar.1.* Ricc. *Prax. Archiep. Neap. c.2.n.8.* quos citat Lazarius *d. qu. 8. n.2.*

Ita neque est credẽdum, quod amicus tam arcta amicitia coniunctus: velit alterum excommunicationẽ incurrere ob furtum, nam magnus amor idem operatur, quod sanguinis coniũctio ex Abb. *c. requisiu t de testam.* & amicitia arcta superat parentum affectionem. Bart. in l. *alimen. §.1. ff. de alim. & cibar. legatis.* Vnde quęcumque in iure statuta sũt inter sanguine cõiunctos locum habent in amicis huiusmodi ex Menoch. *l. 3. præ. 124. n.28. & de arbit. Iud. cas. 88. n.59.* & sic quamuis legata facta à testatore non cogitante de posthumo non conseruentur, nisi legata sint facta coniunctis personis ex auth. ex caussa *coll. 4. Cod. de lib. præter.* & Corn. *con. 194. col. 3.* ver. *sed dato sine praiud. lib. 3.* arg. l. *cum alienã.*

Co.

Co. de leg. tamen si sint legata facta amicis arcta amicitia coniunctis etiam valent, vt in l. *cum alienam Cod. de leg.* tradũt Guill. Curt. Fulg. Paul. Castr. Alex. & Iason.

5 Imo quamuis id, quod interest ob affectionem coniunctionis ex sanguine non tanti sit, vt quis pro altero stipulari possit ex Guill. in *l. fideiuss. ver. neque enim.* vbi Bart. & alij *ff. de pactis:* tamen in eo, quod interest ob amicitiam, potest amicus pro altero stipulari ex Gloss. in *in l. si vnius §. 5. in ver. videamus ff. de pactis*, vbi Bald. Angel. Alex. Paul. Castr. & alij.

6 Et sicuti liberi capiunt legata ex testamento minus solemni, *l. vlt. Cod. famil. ercisc. l. hac consultissima §. ex imperfecto Cod. de testam.* quia semper in huiusmodi testamentis inter liberos intelligitur clausula Codicillaris ex Gloss. *in l. cohæred. §. cum filia in ver. non valuit* in fine vbi Scrib. *ff. de vul. & pupil. subst.* ita etiam amici ex testamento minus solemni legata capiunt, & quoad ipsos intelligitur etiam Clausula Codicillaris, & gloss. singul. in *l. in testamento ff. de fideiuss.* Barbosa *conf. 3. col. 3. lib. 3.* Iason. *in d. l. cum alienan. col. 2. in 7. lim. Cod. de leg.* Alex. ibi. *col.* 2. & alij multi, quos citat, & sequitur Tiraquell. *in l. si vnquam ver. libertis n.* 103. & sequ. vbi hanc materiam pluribus exornat. Videri etiã potest Surdus *de alim. tit. 1. qu. 14. & tit. 6. q. 21.*

7 Et quamuis hæc, quæ à Doctoribus dicuntur, intelligantur de vera amicitia, quæ fundatur in virtute. Vnde Cic. de off. lib. 1. ait [omnium societatum nulla est præstantior, nulla firmior, quam cum viri boni moribus similes sunt familiaritate coniuncti] & Bald. in *l. si iure Cod. de test. manum.* cautè dixit, quod ardor liciti amoris habet vim clausulæ Codicillaris: tamen pro nostro casu videtur dicendum, quod quoties tãtus est amor inter amicos, etiamsi sit turpis, vt prudenter attentis omnibus circumstantijs præsumi possit, quod amicus nollet includere alium in edicto; tunc non tenetur reuelare ex vi edicti, quia hæc obligatio reuelandi, aut restituendi, non processit ex eo, quod licitè fieri deberet; sed ex eo, quod ille, qui petit monitorium intendit, & vult circa hos dirigere monitorium, & Iudex ad partis requisitionem ferens monitorium, non intendit alios obligare vltra eos, quos intendit includere pars, ergo quoties pars non vult amicum includere, siue hoc faciat ob illicitum amorem, siue ob licitum, ille non obligabitur monitorio, cũ tale edictum ad eum non dirigatur.

QVAERES XVIII.

An qui ob ciuilem communicationem sit secretum alterius teneatur ad edictum reuelare.

SVMMARIVM

Facti species n. 1.

Refertur affirmatiua aliquorum opinio n. 2.

Complex, vel qui promisit secretũ seruare, an teneatur ad reuelandum ad edicta ibi.

Aduocati, obstetrices, &c. consulti, quando teneantur ad reuelãdũ, quod consilij, aut remedij causa sciunt n. 3.

Negatiua sentẽtia admittitur n. 4.

Viri nobiles magnũ malum putãt, ha-

haberi vt desertores fidelitatis. n. 5.

Tenetur quis reuelare ad vitandũ alterius damnum, nisi maius in se timeat n. 6.

Qui non poteſt probare, an teneatur ad edicta reuelare n. 7.

1 NObilis quidam cum forte domi cuiuſdam Baronis cũ inuiſendi cauſa adeſſet, cognouit illum habere quaſdam ſcripturas Titij, ex eo quia Baro ille ob vrbanitatem viro nobili debitam, rem tractauit coram ipſo cum ſuo Curiali, quæſitum à me fuit, an hic teneretur reuelare ad edictum; quando nullum aliud malum timeret.

2 Teneri hunc ad reuelandum dixere aliquot Theologi, exiſtimantes id apertè doceri à doctiſſimo Raynaudo *par. 1. cap. 3. qu. 4. ver. Reſpondeo ſecundo*, circa finẽ *de monit.* vbi habet [nõ eſt quippe nunc nobis ſermo de complice, alioue, qui præmiſſa promiſſione ſeruandi ſecreti admiſſus eſſet, vel ad iuuandum in ſcelere, vel ad illius conſpectionẽ, cum patraretur, hos ſiquidem nil (ex hoc quidem capite) vetaret detegi] ergo cum hic nobilis fuerit admiſſus ad cognitionem occultandi ſcripturas, cũ tractaretur ea de re, nulla promiſſione præmiſſa ſeruandi ſecretum, tenetur ad edictum, poſito quod nullum aliud damnũ ipſi ſequatur, vt ſupponitur in facto.

3 Confirmatur, quia eſt communis DD. opinio ex S. Thoma 2.2. *qu. 70. ar. 1. ad ſecundum* teneri eum, qui rem ſub ſecreto accepit, etiam ob conſilium reuelare ad edictum, quando non reuelatio cederet in graue damnum alicuius priuati. Vnde Aduocati, Procuratores, Medici, Chirurgi, obſtetrices, qui non ligãtur monitorio ad reuelandũ, quod ſibi commiſſum eſt conſilij, vel remedij petendi cauſa, etiamſi de ea re ſit infamia, aut ſemiplena probatio; tamen tenentur ad reuelandum; quando imminet graue damnum tertij, vt ex Sayro Clau. reg. *lib. 12. c. 14. n. 9.* Leſſio *lib. 2. c. 30. n. 45.* Petro Nauarr. *lib. 2. de reſt. c. 4. nu. 722.* Valen. 2.2. *diſp. 5. qu. 14. pu. 1. ſub finem* Bonacin. *tr. 6. ex varijs pu. 1. §. 5. n. 1.* Auila de *Cenſ. 2. p. cap. 5. diſp. 5. dub. 2.* Barboſa *de poteſt. Epiſcopi alleg. 96. nu. 63.* Sanch. *l. 6. conſ. cap. 2. dub. 20. n. 8.* bene probat Raynaud. *d. qu. 4. ver. Reſpondeo ſecundo* ergo multo magis tenebitur ad reuelandum hic nobilis, cum detẽtio illarum ſcripturarum vergat in damnum partis inſtantis.

4 Nihilominus contrarium puto probabilius, nobilem hunc non teneri ad reuelandum, ratio eſt, quia illa occultatio ſcripturarum facta à Barone fuit commiſſa ſub ſecreto, & virtualiter ſic acceptata, ergo non tenetur talis nobilis ad edictum reuelare, quod ſcit, etiamſi nullum aliud damnum illi ſequatur; Antecedens patet ex ipſo facto numquam enim Baro ille ſua arcana commiſiſſet, niſi cognouiſſet, illum omnia ſub ſecreto detenturum.

5 Conſequentia probatur, quia magnum malum eſt viro nobili, vt apud alios habeatur deſertor fidelitatis, & viri nobiles ad omnia genera tormentorum ſe exponunt, ne teſtimonium ferant eius delicti, quod ipſi commiſſum viderunt, & reuelans remaneret infamis apud alios, & omnes recuſarent eius amicitiam, quod an ſit magnum malum; etiamſi nec bonorum iacturam,

nec vitæ timeat à Barone, cæteris relinquo considerandum. Certè iactura honoris, non tantum viro nobili; sed honesto est vita ipsa grauior, vt docet Barbatius *con.* 60. *n.* 3. *vol.* 1. Gabr. *to.* 2. *comm. lib.* 11. *v. metus, fo.* 106. *col.* 2. & alij, cum quibus dixi de matr. *l.* 4. *disp.* 5. *n.* 4. metum honoris amittendi cadere in virum constantem.

6 Vnde bene Auila *de cens. p.* 2. *c.* 5. *disp.* 5. *dub.* 2. *concl.* 3. cum ait, teneri quempiam secreto naturali commissum reuelare, ad euitandam iniuriam alterius, aut iniustum damnum, id limitat, nisi maius malum ipsi conscio secreti alterius impenderet in fama ex reuelatione. Videri etiam potest Diana *par.* 6. *tr.* 8. *resol.* 48. circa finem, vbi loquens de Edicto ad reuelādum alienas scripturas, excusat à reuelatione si sequatur infamia, qui optime more suo, explicat quando quis tenetur ad edictum de reuelandis scripturis, ergo multo magis excusandus est talis nobilis, qui scripturas alienas non detinet, sed tantum scit ab alio detineri, & non reuelat, ne infamiæ notā apud alios nobiles incurrat.

7 Confirmari etiam potest tradita resolutio ex eo, quod qui vidit aliquod delictum v. g. furtum committi, nemine præsente, non tenetur ad denunciandū ad edicta, quia nō potest id probare, vt ex Nauarr. *cap.* 25. *n.* 33. Auila 2. *p. cap.* 3. *disp.* 5. *du.* 7. *concl.* 11. Vasqu. *de restit. cap.* 9. §. 3. *nu.* 4. Guttier. *de matrim. cap.* 59. *nu.* 2. & alijs multis probat Bonacina *to.* 3. *disp.* 6. *p.* 1. §. 4. *nu.* 4. *ver. tertio sequitur*.

Ergo cum in casu nostro occultatio scripturarum fuerit facta nemine præsente, & tantum coram illo viro nobili, etiam ex hoc capite non tenetur reuelare ad edictū, &c. saluo semper, &c.

QVAERES XIX.

An qui occulte vxorem interfecit eo fine, vt duceret concubinam sit denunciandus, si postea cum alia matrimonium contraxit.

SVMMARIVM

Iudex Ecclesiasticus potest monitorium ferre ad denunciandum delicti publici occultum reum. n. 1.
Quid si ex ea reuelatione sequatur reo pœna mortis. n. 2.
Monitoria ad causas criminales quomodo concedi solent. ibi.
Pars affirmatiua pro solutione quæstionis probatur. n. 3.
Quando sit denunciandum peccatum emendatum. ibi.
Qui potest reuelare, an posito edicto teneatur. n. 4. *&* 7.
Pro solutione vera quæstionis, distinguitur. n. 5.
Conscius delicti plene emendati nō tenetur ad reuelandum. ibi.
Nec potest Iudici tanquam Patri num. 6.
Stat posse Iudicem ferre edictum ad reuelandum, & subditos non teneri. nu. 7.

1 MAgna fuit inter quosdā recentiores dissentio circa propositum casum. Nā Episcopus ad partis instātiam promulgauit sub pœna excommunicationis edictum, vt quicūque sciret auctorem talis necis reuelaret; quod posse fieri à Iudice Ecclesiastico docent communiter Doctores, teste Raynaudo *par.* 1. *cap.* 3. *qu.* 7. *de monit. ver. respōdeo* 1. vbi citat Nauarr. *sum. cap.* 18. *nu.* 38. Torres 2. 2. *tom.* 2. *dist.* 50. *dub.* 5. Sanchez *lib.* 6. *opus. ca.* 3. *dub.* 20. Dianā *par.* 2. *trac.* 15.

res.

ref. 63. Lessium *lib.* 22. *cap.* 29. *n.* 114. Quibus adde Turrianum 2.2. *tom.* 2. *dis.* 50. *dub.* 5. *num.* 9. Filiuc. *tom.* 2. *tr.* 40. *cap.* 6. *n.* 185. Nauarr. *de restit. lib.* 2. *cap.* 4. *nu.* 167. Bonac. *de leg. dis.* 16. *punt.* 5. *qu.* 2. *nu.* 14. qui omnes docent, posse Iudicem precipere reuelationem alicuius delicti notorij occultum reum, etiam sub pena excommunicationis prout eos refert *Raynaud. d. qu.* 7. ibi [Verum tamen tametsi omnes hi Doctores contra Gaetanum, & Sotum, censent fas esse in notorijs delictis occultũ authorem generaliter inquirere, etiam intentata excommunicatione.]

2 Quæ intelligẽda sunt, vt possit Iudex ecclesiasticus monitorium ferre ad reuelandum occultum reum, quando ex ea reuelatione non sequitur reo pœna mortis, aut mutilationis, vt patebit *in tract. seq. quæst.* 1. & aduertit Zecchius *de repub. eccles. tit. de Prel. in genere cap.* 1. §. 5. *ver. excommunicatio vero*, hæc monitoria solere cõcedi ad causas criminales cum tribus clausulis prima est, ne fidem faciant, nisi tantum ciuiliter; secunda ad defensionem tantum; tertia quoad interesse.

3 Putarunt igitur aliqui recentiores certum esse, teneri conscios occisionis factæ à marito propriæ vxoris, ad eum reuelandum, modo prædicto, alias eos incursuros fore in excommunicationem.

Ducebantur, quia vnusquisque tenetur reuelare ad edictum peccatum emendatum, quando habet effectum pendentem in futurum, vel damni proximi, cui non est satisfactum de iniuria, vel debito, vel alicuius impedimenti, ex quo sequatur iniuria alicui sacramento, vel rei sacræ, tunc licet peccatum sit secretum, est denunciandum quatenus est necessarium ad impediendum damnum futurum, & hoc siue reus laboret ignorãtia crassa, siue inuincibili impedimenti, sic loquitur Sanchez *lib.* 6. *cons. cap.* 2. *dub.* 15. *n.* 4. ex D. Anton. 3 *par. tit* 9. *ca.* 6. §. 4. Sylu. *v. correctio q.* 10. & docent alij recentiores passim.

Sed in casu nostro habetur effectus pendens in futurum, nẽpe impedimentum criminis, & periculum faciẽdi contra sacramentum matrimonij, si mortua hac secunda vxore, ille ducat concubinam, & est damnum, cui nullo modo est satisfactum, & peccatum est publicum, nempe homicidium, licet delinquẽs sit occultus, nescitur enim, an maritus fuerit eius occisor; ergo est omnino denunciandus ad edicta, & ni conscij eum denuncient, incurrent pœnam excõmunicationis.

4 Cõfirmatur, quia posito quod possint cõscij reuelare reum, tenentur, posito Prælati præcepto, vt ex Sayro *clau. reg. cap.* 14. *n.* 27. & 28. *lib.* 12. Rodriq. *summ. cap.* 76. *n.* 2. Henriquez *lib.* 13. *ca.* 18. *n.* 1. *lit. C.* & alijs aduertit Lazarius *de monit. sect.* 2. *q.* 7. *nu.* 7.

5 Nihilominus quamuis hucusque dicta sint verissima; tamen in casu posito distinguẽdum puto, hoc pacto, si maritus, qui duxit secundam vxorem est reuera emẽdatus, puta quia amorem, & concubinam reliquit; ac cum vxore quiete viuit, non est denunciandus, quia iam cẽsetur emendatus, neque moraliter est periculum noui peccati vxoricidij; nam passim Doctores docent conscios occulti delinquentis iam emendati non teneri ad reuelandum eum ad e-

dicta, quia charitas obligat ad non manifestandum delictum alienum occultum sine causa rationabili, quæ non est, quoties reus est emendatus, prout est in casu nostro, ita alijs citatis Guttierrez *lib.1.qq.canon.cap* 11. *nu.* 33. Sãchez *l.6.conf.c.2.dub.5. n.2.*

6 Imo aduertit Raynaud.*par.* 1. *cap.* 3. *quæst.* 9. *vers. respondeo*, neque conscios in hoc casu veræ emendæ, posse reuelare maritũ superiori suo monitorio præcipienti, tanquam patri, & addit id, quod apud Sanchez *in sum. lib.6.cap.*18.*num.*49. initio dicitur, nimirum non esse necessarium in casu emendæ denunciare reum occultum iudici tanquã patri, quasi vero id fieri posset, id inquam, esse alienæ manus interpolationem, cum probationibus, & discursu Sancij non consentientem, qualis non vna occurrit in illo posthumo opere, sic loquitur Raynaudus.

7 Probabilis tamen, & tuta sẽtentia est, quod quamuis Iudex ecclesiasticus possit ferre monitorium ad reuelandum occultũ reum delicti publici, subditi tamen conscij non tenentur reuelare, nec incidunt in excommunicationem non reuelãdo, quia cum sit probabile, quod non possit ferri à superiore ecclesiastico edictum ad reuelandum occultum delinquentem, prout tenet Gaetan. 2.2.*q.*99.*ar.*2.*ver. sed occurrit.* Sotus *lib.* 5. *de virt. quæst.*6.*ar.*2.*post* 5.*conclusionem*, & alij; iudex non procedit iuridice edictum ponẽdo; ergo subditi non tenentur respondere, & occultum delinquentem ipsi reuelare, ita Lessius, Filliuc. Turrianus, Nauarr. Bonacina, Diana loc. supra citatis.

QVAERES XX.

An gener teneatur reuelare ex vi monitorij Socerum blasphæmantem hæreticaliter.

SVMMARIVM.

Traditur regula quando vel ipse Pater teneatur filium ad edicta reuelare n. 1.

Hæreticum omnes tenentur reuelare, quid si Pater, aut filius sit hæreticus, aliorum refertur opinio n. 3. *&* 4.

Regula generalis circa denunciationem omittẽdam inter cognatos n. 5.

Lex ecclesiastica non debet cedere legi ciuili in benignitate ibi.

Quid in crimine blasphæmiæ hæreticalis, vel alterius sapientis hæresim n. 6.

Gener socerum reuelare non tenetur in his, in quibus nec tenetur filius patrem n. 7.

Socer succedit loco patris ibi.

Gener & nurus veniunt appellatione filiorum n. 8.

Gener communicando cum socero excommunicato vitando, non incidit in excommunicationem ibi.

Matrimonium inter socerum, & nurum an sit iure naturæ irritum n. 9.

Qui sint casus, in quibus filij patrem denunciare non tenentur. n. 10. *remissiue.*

1 NOn loquor de alijs criminibus, nam de his generalis hæc regula solet à Doctoribus constitui, si crimen sit tale, vt eo non detecto, malum graue reipublicæ immineat, certum est, teneri etiam Patrem filium detegere, & ni faciat, excommunicationemque latam vi moni-

nitorij incurrere, quod etiam asserunt de crimine læsæ maiestatis Barbosa de potest. Episc. *alleg. 66. numer.* 57. Mascardus *concl.*561. *n.* 9. *&* *cons.*857 *n.* 20. *&* 23.

2 Et idem, ac multo magis in crimine formalis hæresis, in quo ob magnum periculum religionis, quæ omnibus sanguine coniunctis est præferenda, nulla personarum coniunctio, ac parentela excusat à reuelando delinquente, vt docet Suarez *de fide disp.* 20. *sec.* 4. *num.* 21. Comitolus *lib.* 4. *resp. moral. quæs.* 8. Sãctarellus *de hæresi cap.9.num.* 15. & alij, quos citat, & sequitur Diana *p.* 1. *tr.*4. *res.*4. & 5.

3 Quamuis non desint qui excusent à denunciando filium hæreticum, vt Alexan. de Alex. Rojas, Riccius, Ioan. Valerius, quos refert Diana *d. resol.* 4. & merito eos reicit.

4 Alij vero sunt, qui solum obligent patrem, aut filium ad denunciandum, quando essent hęretici dogmatizãtes, sic Raynaudus *d.q.* 12. citans Simancam *in tract. de patre hæretico*, sed de hac materia videndus est Sanchez *in cons. moral. lib.6.cap.2. dub.* 19. per totum.

5 At si crimina sunt ordinaria, vt si agatur de reuelando furto, &c. generalis item regula est, nõ teneri socerum denunciare generum ad hęc monitoria, neque cognatos vsque ad 4. gradum, vt videri potest apud Neuizanũ *sylua nupt. lib.* 3. *num.* 47. Angel. & Syluest. *ver. Familia.* Auilam *de censur. par.2.cp.5.disp.5.dub.* 2. & colligitur *ex l.4 ff. de testib.* vbi habetur [*ne inuito denuncietur, vt testimonium litis dicat aduersus socerum, generum, vitricum, priuignum, sobrinum, sobrinam, sobrino natũ eosue, qui in priori gradu sunt*] & vt bene notat Raynaud. non debet lex ecclesiastica cedere in benignitate legi ciuili, vt velit, eos ligare suo monitorio, quos lex ciuilis non obligat.

6 De crimine autem blasphæmiæ hæreticalis, aut alio sapiente hæresim duas reperio sententias. Prima asserit, quod vxor non tenetur denunciare maritum in blasphæmias hæreticales prorumpere solitum, vel etiam hæreticalia cõmittentẽ, nec Patrẽ filium, aut fratrem, fratrẽ, sic Lazarius *tract. de blasphæm. quæs.* 12. quem refert, & sequitur Raynaudus *de monit. p.*1.*cap.*3.*q.* 12. fine. loquens de patre, & vxore, Homobonus tract. de casibus reseruatis *par.2.cap.*1. & in exam. eccles. *part.*1.*tract.*7. *cap.* 7. *quæs.* 32. vbi loquitur etiam de fratre.

Alij vero putant, etiam patrem teneri filium reuelare, & contra: ita Comitolus *resp. moral. lib.* 4. *q.* 8. Bonacina *tract.* 6. *ex varijs pun.* 1. §. 3. *n.* 5. Diana *par.* 1. *tract.*4. *res.*6. vbi ait, attenta praxi, contrarium eorum, quę dixere Lazarius, & Homobonus sibi dicendum videri, quare nõ rectè Raynaudus eum citat pro illorum sententia quęs. 12. citata fine.

7 Iam deueniendo ad casum in quæstione propositum, de quo Doctores non agunt.

Dicendum puto, quoties pater non tenetur filium, aut contra, filius patrem blasphæmantem, aut alia crimina committentem ad edicta reuelare, iuxta varias Doctorum opiniones, de quibus meminimus sup. & ad Sancium *lib.6.cons.*1.*cap.* 2. *dub.*19. circa hęresim formalem pręsertim nos remisimus, toties non tenetur Gener socerũ, nec socer generum reuelare ad hæc moni-

monitoria. Fundamentum est, quia socer succedit loco patris, & gener illi loco filij, ex *cap. si vir. 33. quæst. 3.* quod est D. August. *libro 22. contra Faustum cap. 61.* vbi dicitur, *si vir, & vxor non duo, sed vna caro sunt, non aliter nurus est reputanda quam filia et l. 17. ff. sol. matr.* dicitur socer succedere loco patris, & gener illi loco filij.

8 Confirmatur primo, quia in iure nurus, & gener veniunt appellatione filiorum, adeo vt sicuti filij communicantes cum patre, non incurrunt excommunicationem, si sit ille excommunicatus denunciatus, ita neque gener communicando cum socero excommunicato denunciato, vt docent Hurtadus *disp. 9. de excomm. diffic. 4. num. 21.* Cornejo *in 3. partem tract. 5. de excõ. disp. 11. §. 10. dub. 3. quæst. 3.*

9 Confirmatur secundo, quia coniunctio inter socerum, & nurum est talis, vt permulti putarint, matrimonium inter eos contractum esse nullum iure naturæ, vt est inter patrem, & filiam, & ita D. Thom. *in 1. Corinth. 5.* Francisc. Somnius *lib. 1. de mon. tr. 7. de matr. cap. fin.* Couarr. 1. *decret. 2. par. c. 6. §. 10. num. 6.* Ledesma *2. p. 4. q. 56. ar. 4. fo. 487. col. 4.* & alij permulti apud Sanchez *lib. 7. de matr. disp. 66. nu. 6.* quam sententiam dixi probabilem cum Sanchez *d. lib. 7. de matr. disp. 66. num. 2.*

Ergo multo magis dicendũ est, non teneri generum ad reuelandum socerum ex vi monitorialium literarum, in his casibus, in quibus filius non tenetur ad denunciandum patrem.

10 Qui autem sint hi casus, videri possũt apud citatos Doctores, nolo enim hic eos examinare, sed tantum retuli aliquas ex citatis Doctoribus opiniones.

TRAC-





TRACTATVS QVINTVS

DE VARIIS ECCLESIASTICORVM, AC REGVLARIVM DVBIIS.

QVAERES I.

An Iudex Ecclesiasticus absque incursu irregularitatis possit dare Iudici laico quasdam epistolas, quibus probauerat reũ non gaudere immunitate.

SVMMARIVM

Factum proponitur n. 1.
Non potuit Iudex Ecclesiasticus tradere d. Epistolas laico Iudici n. 2.
Laicus cooperans in causa sanguinis quomodo irregularitatem incurrat ibi.
Irregularitas defectu lenitatis an à solis iustitiæ ministris incurratur. n. 3.
Tradens d. literas esset testis ibi.
Testis quid sit ibi.
Clericus legens epistolam, in qua mandatur Principi vt quemdã morte puniat, quando sit irregularis n. 4.

1 Titius occidit proditoriè quandam mulierem, fuit captus in ecclesia à Iudice ecclesiastico, qui reperit quasdam epistolas apud reum, ex quibus concludenter probauit, occisionem fuisse proditoriam, vnde declarauit, reum non gaudere immunitate, ac tradidit illum brachio sæculari iuxta formam bullæ Gregorij 14. Porro Iudex laicus non habens plenas probationes ad condemnandum reum morte, petijt à Iudice ecclesiastico Epistolas illas, quibus potissimum fuit declaratum, quod reus non gauderet immunitate, vt etiam ex illis conuinceret reum de patrato delicto, cumque diu fuisset res exagitata, consultus fui, nũ posset Ecclesiasticus tradere epistolas prædictas.

2 Respondi, non posse, & si daret, esse irregularem. Fundamẽtum est, quia ex vna parte cooperatur immediatè Iudici sæculari procedenti in causa sanguinis, & ex alia non excusatur per dispositionem Gregorij 14. *cum alias nonnulli* volentis in delictis exceptis, reum tradendum esse curiæ sæculari: ergo incurret irregularitatem tradendo has literas. Consequentia est manifesta, quia clericus quomodocumque cooperetur iudici sæculari procedenti in causa sanguinis facto

cto præcepto, vel aliquam causam præbendo, efficitur irregularis morte sequuta, si id faciat sine Papę dispẽsatione, ex Nau. in Manuali c. 27. n. 207. Maiol. de irregular. *lib. 2. cap. 8. n. 4.* Rot. Rom. in vna Iacens. vicariæ 15. Iunij coram Illustriss. Plato. Turrian. de censur. *lib. 9. dis. 66. dub. 3.* Megala *in 3. partem instit.* Peregr. *lib. 7. cap. 5. de censur. n. 1. §. dixi septimo* & alijs, quos citat, & sequitur doctiss. Diana *par. 4. tract. 2. resol.* 101.

3 Imo etiam stando in sententia Vasquez, & Turriani, quos adducit, & sequitur Diana *par. 3. tr. 5. res. 79. & part. 11. tract. 2. res. 63.* vbi affert triginta Doctores idem sentientes, nempe irregularitatem defectu lenitatis non incurri nisi à ministris iustitiæ, & ab his, qui concurrunt ad probationem causæ: adhuc dicendum est, Iudicem ecclesiasticum esse irregularẽ per traditionem harum literarum, quia concurrit veluti testis; nam quid aliud est testis, nisi rei gestæ probator? vt aduertit etiam Cotonius in summ. Dianæ ver. testis initio; at tradens has literas est probator occisionis proditoriæ; supponimus namque in facto, per has literas concludenter probari occisionem proditoriã: ergo in omnium sententia, tam eorum, qui dicunt immediatè cooperantes iudici sæculari in causa sanguinis aliquo pacto esse irregulares, quam Turriani, & aliorum recentiorum asserentiũ non incurri huiusmodi irregularitatem, nisi à cooperantibus vt ministris iustitiæ, vel vt probantibus causam, Iudex ecclesiasticus tradens d. epistolas erit irregularis; nam dicti recentiores inter concurrentes ad causæ probationem numerant testem, vt videri potest apud ipsos, & præsertim apud Delug. de pœnit. *dis. 22. sec. 2. num.* 33. Antecedens quoad primam partem: nimirum quod Iudex Ecclesiasticus tradens d. Epistolas cooperetur, & quidem immediatè Iudici sæculari, patet ex facto, nam positis his literis, habetur concludens probatio.

4 Confirmatur eadem prima pars antecedentis scilicet, tradentem prædictas literas cooperari immediatè ad mortem per Iudicẽ infligendam, quia Clericus legẽs epistolam, in qua mandabatur Principi, vt quæreret in suo statu quemdam delinquentem, ac suspenderet, fuit iudicatus irregularis à Clem. IV. prout referunt, & sequuntur Ioannes And. *cap. sententiæ ne cler. vel monachi col.* 1. Panormit. *ibi col. 3.* Petrus Baisi in director elect. *par. 2. cap.* 29. & hoc ex eo, quia per illam præstitit auxilium ad mortem per Iudicẽ sæcularem infligendam: ergo multo magis censendus est cooperari ad mortem Iudex ecclesiasticus tradens has literas, quibus reus addicitur morti.

§. I.

Probatur, Iudicem ecclesiasticum non tradere dictas Epistolas ex vi constitutionis Gregorij præcipientis, tradendum esse reum in casibus, quos ille excepit, ne gauderent immunitate.

SVMMARIVM.

Ecclesiasticus trãhens reum non gaudentem immunitate ecclesiarum, an debeat tradere cum omnibus accessorijs n. 5.

Quid importet dispositio Greg. 14. dum concedit, vt Ecclesiasticus Iu-

Iudex tradat reum in casibus permissis n. 6.
A separatis non fit illatio n. 7.
Principis dispositio quando nō extendatur ad connexa ibi.
Declaratio, quod reus non gaudeat immunitate ecclesiarum, an sit actus trahēs necessario mortem rei n. 8.
Traditio degradati, aut haeretici facta per Iudicem ecclesiasticū, in quo differat à declaratione, & traditione rei non gaudentis ecclesiae immunitate n. 9.
Testis ferens testimonium coactus in causa sanguinis est irregularis n. 10.

5 TOta difficultas consistit in probanda secunda parte nostri antecedentis, nam ex hoc potissimum quidam docti recētiores putant, Iudicem ecclesiasticum tenēri ad dandas has literas, tantum abest, quod irregularitatem contrahat tradēdo illas, quia dicunt, iudicem ecclesiasticum debere reum tradere in casibus non gaudētibus immunitate cum omnibus accessorijs ipsi reo; nam Papa dum praecipit rei traditionem, praecipit etiam traditionem accessoriorum ipsi reo, vt latius videbimus in solutione argumentorum.

6 Probo igitur, quod ex vi traditionis, seu declarationis; quod reus non gaudeat immunitate, non veniat traditio harum literarum, quae erat secunda pars antecedentis nostri. Pontifex cū praecipit Episcopo, vt reum tradat absque metu irregularitatis, & censurarum; non loquitur de alio actu influente in mortē rei, sed de sola, & mera traditione, seu declaratione, quod nō gaudet immunitate, quae declaratio de se, vel non est actus cooperans ad mortem, vt putat Emm. Sà *ver. irregularitas* §. *ex deformatione licita num* 4. Macerus *in* 3. *par. q.* 24. *de irreg dub.* 6. Bonac. *de cens. dis.* 7. *qu.* 4 *punt.* 1. *n.* 27. Vel si illa declaratio est actus cooperans ad mortem, nō est adeo immediatè influēs vnde ad maiorem cautelam Papa dispensat, ac tollit omnem dubitationem Praelatis, vt notat Gambacur. *lib.* 2. §. 7. *ver. absque irregularitatis nota*: ergo Episcopus exercens alium actū circa reum, per quem is morti tradatur, vltra declarationē quod non gaudeat in casibus exceptis, non exercet illum de licentia Papae.

7 Consequentia est certa; nam à separatis non fit illatio *cap. ad audientiam de decimis l. Papinianus ff. de minoribus.* Imo dispositio Principis non extenditur ad connexa, sine quibus ea potest existere *ex l. fin.* §. *Lutius ff. de cond. indeb.* Antōn. *cap. at si clerici* §. *de adulterijs n.* 14. *de iudicijs* vbi Felin. *nu.* 17. Milis *in repert. lit. d. ver, dispensatio nu.* 23. & alij.

8 Antecedens patet, quia si declaratio quod reus non gaudeat, esset necessario connexa cum traditione scripturarum, quibus probetur delictum in foro saeculari; ita vt absque alia rei confessione, is posset morti tradi; non bene dicerent Doctores omni exceptione maiores, quod traditio, seu declaratio facta per Iudicem ecclesiasticū circa reū, quod is non gaudeat; non sit actus cooperans ad mortem: nā cum secum traheret traditionē scripturarum, seu literarum apud reum captum repertarum, quibus ille possit à laico Iudice morte puniri; nemo dixerit, nō esse actum cooperātē ad mortē.

9 Probatur etiam antecedēs ex Gambac. *lib. 6. cap.* 10. *num.* 10. ibi [neque Episcopi in reos, quibus immunitas ablata est, seruire debent: sed solum declarare, immunitatem eis non deberi] & *cap.* 26. *n.* 5. assignans differentiā inter traditionem rei degradati, vel hæretici, & inter traditionē, seu declarationem rei non gaudentis immunitate, ait [in nostro vero casu qui traditur curię sæculari non est per ecclesiam iudicatus, nec conuictus, nec damnatus, cum ecclesia de ipso delicto nequaquā cognouerit, sed solum de immunitate] *& ca.* 15. *n.* 5. dicit, has cognitiones; an reus gaudeat immunitate, & an delictum cōmiserit, esse omnino diuersas, idem etiam docet Castropal. *tract.* 11. *dis.* 1. *pun.* 13. *n.* 9. & alij, qui ex eo docent, iudicem ecclesiasticum non teneri ad standum processui Iudicis laici, quia acta vnius iudicij non probant in alio, & diuersū iudicium est, cognoscere: an reus gaudeat immunitate, ab eo, quod per sæcularem Iudicē fit; an reus tale delictum commiserit: ergo cum hæc sint diuersa, dum Papa concedit, seu præcipit ecclesiastico in quibusdam casibus reum tradere Iudici sæculari, vel quod idem est, declarare, eum non pertinere ad ecclesiam; non concedit, vt Iudex ecclesiasticus cooperetur in alio iudicio sęculari, & à suo diuerso ad probandum delictum, quod certè fieret, si traderentur hæ literæ, vt supra diximus.

§. II.

Obiectis satisfit, & præcedentia magis confirmantur.

SVMMARIVM.

Princeps quodnam ius habeat contra reos ibi.

Iudex ecclesiasticus an habeat ius conseruandi acta in suo foro gesta n. 11.

Commissio ad cognoscendum de aliqua causa continet etiam potestatem ad capiendas informationes ibi.

10 DIces primo Iudex ecclesiasticus tenetur ad tradendas has literas iure naturali, nā cum Rex habeat ius condemnādi reos sibi subditos, non debet ab alio impediri, posito quod iā sit facta declaratio per Ecclesiasticum iudicem, quod reus non sit sub iurisdictione Ecclesiæ.

Respondeo primo dato, & nō concesso, Iudicem ecclesiasticū teneri tradere d. epistolas: tamē tradendo erit irregularis, quia has literas non tradit ex vi pręcepti Papæ, decernentis reos tradendos esse curiæ sæculari in casibus exceptis, vt probauimus, & per traditionem dictarū epistolarum est veluti testis cooperans ad mortem in iudicio sæculari, vt etiam diximus: ergo etiam posita naturali obligatione dandi has literas, erit irregularis. Doctrinam, & eius rationem accipe ab Hurtado *dis.* 2. *diff.* 11. *num.* 4. *de censur.* vbi sic ait [Id, quod ait Coninch. nempe testem præcepto Iudicis obligatum, aut graui metu coactum ad testificandum non fieri irregularem, falsum est, quia absque fundamento sufficienti excipitur testis ab irregularitate, & etiam in alijs in quibus iure naturæ tenetur (quidquid in his dicat Auila) quia quamuis in omnibus prædictis casibus non re-

reperiatur in teste defectus lenitatis formaliter, quia id efficit obligatus, & coactus; reperitur tamen defectus lenitatis materialiter, & indecentia ob rigorem per se, & ex obiecto in cooperatione ad mortem, intuitu cuius indecentiæ lata est d. irregularitas: sicut etiam fieret irregularis Iudex sua sententia interficiens reum, aut mutilans quãuis obligatus, & coactus assumeret officium, & ferret sententiam] sic Hurtad. quem sequitur Diana *par.4.trac.2.res.31.* cũ Villalobos, Filliucc. Fabro, & alijs apud ipsum, quæ sententia, vtpote probabilior, & communior, & ecclesiasticæ pietati cõformior, debet ab ecclesiasticis amplecti.

11 Respondeo secundo, negãdo, iudicem ecclesiasticum teneri vllo iure ad tradendas has literas, quia eas retinendo non impedit ius regium, iam enim declarauit, reum esse sub eius iurisdictione; sed tantum vtitur iure suo, quod habet conseruãdi apud se acta in suo foro gesta, neque in hoc impedit regiã iurisdictionem, nam cum sibi tradita fuerit potestas à Papa cognoscendi: an delictum gauderet immunitate, fuit etiam tradita iurisdictio, & facultas capiendi illas epistolas, quia, cui demãdatur cognitio alicuius causę, demandatur etiam potestas capiendi probationes deseruiẽtes tali cognitioni *l. vbi Cod. de falsis*, & ibi Glofs. Castrop. *tr. 11. dis. 1. pun. 13. n. 9.* inter quas probationes potissimę fuerunt literę illę apud reum repertę, & sic nõ tenetur eas tradere curię sęculari, cum iam transierint in acta curię ecclesiasticę, & fuerint adhibitę pro diuerso iudicio; ab eo, quod format Iudex sęcularis.

§. III.

Explicatur quando reo, remisso ad suum iudicem competẽtem tradendum sit elogium, & alia argumenta soluuntur.

SVMMARIVM.

Reus quando nam sit remittendus cum elogio n. 12. & seq.

An incurrat irregularitatem Iudex remittendo reum cum elogio, seu processu n. 13.

Iudex ecclesiasticus dum cognoscit an reus, gaudeat immunitate; an possit formare processũ de delicto n. 14.

An teneatur tradere laico in aliquo casu acta suæ curiæ n. 15.

Episcopus dans licentiam exhumãdi cadauer occisi, vt indicium sumatur rei, an sit irregularis n. 16.

Iudex ecclesiasticus dum examinat, an reus gaudeat immunitate, quo sensu dicendus est esse depositarius rei n. 17.

Depositarius quando non teneatur integrum depositum restituere n. 18.

Quo casu d. litteræ essent dandæ. n. 19.

12 Dices secũdo quoties remittitur reus ad iudicem suũ competentem, debet remitti cũ elogio, videlicet cum indicijs, & scripturis, quę coram iudice remittente habita sunt ex *l. Decius initio l. nõ dubium ff. de cust. reor.* & tradit Decianus *in crimin. lib. 4. cap. 19. num. 21.* cum alijs apud ipsum, ergo similiter cum reus in casu nostro remittatur ab ecclesiastico Iudice curię sęculari, remitti debet cum scriptis, seu epistolis inuentis apud ipsum, & sic cum

Papa concesserit, vt reus in casibus exceptis traderetur curiæ sæculari, implicitè etiam concessit, vt traderetur elogium, & per consequens dictæ epistolæ possunt tradi sine metu irregularitatis ob implicitam saltem Pontificis dispensationem. Hoc argumentum videtur aliquam vim habere: à nemine autem ex recentioribus contra nos sētientibus fuit tactum, nihilominus.

13 Respondeo, quod quamuis non careat difficultate, quod Iudex ecclesiasticus possit remittere delinquentem vna cum processu, seu elogio coram se habito absque incursu irregularitatis: tamen in nostro casu id omnino negandum est ob longe diuersam rationem. Iura nāque prædicta, & doctores loquuntur quando iudex v.g. domicilij de eodem delicto capit informationes, & requisitus à Iudice originis reum ad illum remittit, tunc cum agatur de eadem causa, & ipse iudex domicilij non fuerit competens, nisi secundum quid, vt ita loquar, circa illam causam, debet reum remittere cum omnibus actis circa delictum à reo commissum in suo iudicio gestis, sic exempli gratia si iudex Ecclesiasticus capiat Titium reputatū clericum, & accusatum de monetæ falsificatione, si ille reperiatur laicus, & iudex sęcularis requirat ecclesiasticum, vt Titium ad suum forum remittat: potest fortasse Iudex ecclesiasticus illum remittere cū processu facto in sua curia circa delictum falsificationis monetæ, si adsit licentia *Papæ*, qua dicatur, vt reum tradat Iudici sæculari sine periculo irregularitatis (si enim talis licentia non sit, ecclesiasticus tradens reum sæculari Iudici erit proculdubio irregularis) ex Aloys. Ricc. *par.* 3. *dec.* 329. *Prax.Cur.Archiep.* & ratio erit, quia cum Ecclesiasticus non sit iudex competens, & non habeat iurisditionem supra Titium laicum reuera, nisi putatam, & ex errore, quo putabatur clericus; non debet se intromittere, & vlterius prosequi in causa delicti, & cum Papa dispensauerit, vt posset sine metu irregularitatis tradi Iudici sæculari, qui est competens respectu Titij laici; planum videtur etiam intellexisse de traditione elogij facti apud iudicem incompetētem ad probandum delictum, nam Pōtifex sciebat, traditionem elogij semper fieri in remissionė rei ad iudicem competentem.

14 At in casu nostro iudex ecclesiasticus est competens, & acta, quæ circa reum exercuit legitimè sunt gesta circa sibi subditum non per errorem putatum talē; sed vere, & realiter, vt supra diximus. Nec cognouit de delicto, sed an gauderet immunitate, quod iudicium nullo modo pertinet ad laicum iudicem. Et sic debet quidem ecclesiasticus in casibus exceptis, & non gaudentibus immunitate ecclesię remittere reum ad iudicem sæcularem, seu declarare quod non gaudeat immunitate, at nec potest, nec debet elogium, seu processum circa delictum rei tradere, quia tale elogium ipse nunquam formauit, neque formare potuit; sed solum ad ipsum spectauit videre: num reus gauderet immunitate, quod iudiciū est omnino diuersum, vt supra dictum est.

15 Vnde si Episcopus traderet literas, quas à reo accepit, & vsus est ijsdem ad formandum iudi-

dicium, quod reus tradendus esset curię sęculari; traderet iudici laico propria acta suæ curię, quæ in omnium sententia dare non tenetur, ac faceret, vt ea indicia, quæ fuerunt ad dandam sententiam in re diuersa, seu iudicio distincto, deseruirẽt in alio ad reum morte damnãdum. Quare dum Gregorius 14. concessit, vt sine timore irregularitatis traderetur reus curiæ sæculari in casibus non gaudentibus immunitate; non potuit intelligere, vt etiam traderetur processus, qui nec fuit formatus, nec erat formandus ex vi Bullæ Gregorij *cum alias*, neque alterius pontificiæ constitutionis à iudice ecclesiastico, nam Papa solum statuit, iudicem legitimũ ad cognoscendum; vtrum reus fruatur immunitate ecclesiæ esse ecclesiasticum, non vero laicum, & sic dum reus remittitur Iudici laico, non est tradendus vna cum scripturis, quibus probatum est, eum non gaudere immunitate, quia circa hoc nõ est laicus iudex competens; sed circa delicti punitionem, circa quam iudex ecclesiasticus nulla acta attentauit.

16 Et certè nobiscum apertè sentiunt non solum hi Doctores, qui putant, esse irregularem Episcopum, qui dat licentiam iudici laico exhumandi cadauer occisi ad effectum capiendi informationem de delicto in genere, quia in traditione literarũ est maior cooperatio ad mortẽ delinquentis, vt probauimus supra; sed etiam hi, qui negant in illo casu Episcopum esse irregularem, eorum namque ratio est; quia actus ostendendi cadauer est remotissimus, & suapte natura non directus ad mortẽ, & Episcopus nil operatur, sed tãtum permittit exhumari corpus mortuum, & capi informationes: num sit veneno, vel ferro mortuum, an morte naturali: ergo si Episcopus daret scripturas ad plenam probationem delicti inseruientes, esset irregularis iuxta hos Doctores, nempe Iul. Lauorium *in suis vbrat. elucubr. tit. 2. ca. 7.* Ricc. *prax. tom. 1. res. 453.* Vener. *exam. Episcop. lib. 2. c. 23. n. 19.*

17 Dices tertio, Iudex ecclesiasticus est veluti depositarius Rei donec cognoscatur, an gaudeat, nec ne: ergo debet integre illũ restituere iudici laico, prout habuit ab ecclesia extractum, nam restituto principali, debent restitui omnia accessoria: cum igitur reus habuerit literas apud se, debet Iudex ecclesiasticus illum restituere vna cum literis illis.

Respondeo, quod quamuis hoc exemplum depositi sit valdè remotum in nostro casu, nã Ecclesia non accepit reum de manibus laicorum: sed ex iure, quod habet tutandi omnes reos ad se confugientes, est in sua legitima possessione, itaut donec non constet, quod reus nõ gaudeat, semper sit in suo iure, vt communiter docent Doctores, & videri potest Castropalaus *trac. 11. dis. 1. punt. 13. n. 9.* Farinac. *lib. 1. cons. 76. num. 3. & cons. 168. n. 6.*

18 Dico tamen, quod si depositarius acquireret aliquod ius legitimum circa aliquam partem depositi, & fieret verus dominus, non teneretur illam restituere; sic ecclesia cum habuit apud se reum, & debuit formare iudicium legitimè, an reus gauderet immunitate; literas prædictas iure suo ab illo abstulit, quia vt supra dictum est, ex vi iu-

iurisdictionis sibi competentis de cognitione, an gaudeat reus, habet etiam ius capiendi omnia, quæ ad talem cognitionem sunt requisita, inter quæ fuerunt literæ prædictæ, & cum hoc iudicium sit ita proprium ecclesiæ, vt nullo modo laico competat, illæ literæ sunt acta curiæ ecclesiasticę, & non bona rei. Vnde restituendo reum, non debet illi literas restituere cum iam desierint esse ipsius rei, & factę sint acta ecclesiasticæ curiæ.

19 Solum aduerto, hoc argumētum posse procedere quando ecclesia inchoasset iudicium de delicto, & ad hoc probandum literas accepisset; tunc enim, cū in cognitione delicti ea non sit iudex competens, debet reum restituere, & omnia, quæ ad probandum tale delictum à reo abstulit, quia nullum in ijs ius acquisiuit, vt in responsione ad secundum dictum est, mecum sensere multi viri docti, & è nostrą societate P. Alexander Neuola P. Bernardinus Bonici insignes Theologi, ac satis probabile existimauit P. Martinus Esparza professor Theologiæ in Romano Collegio ingenio, & doctrina clarus.

QVAERES II.

An clericus, qui absque animo occisionis ostendit iter inceptum à Titio, qui fuit occisus à suo Inimico, sit irregularis.

SVMMARIVM.

Status quæstionis. n. 1.
Aliquorum opinio refertur n. 2.
Indicans domum alterius homicidis illum ad necem quærentibus ad quid teneatur ibi.
Authoris circa d. quæstionem iudicium n. 3.
Irregularitas quando contrahatur à dante fauorem, aut opem homicidio ibi.
Irregularis an sit, qui tradit arma alicui, sciens eum illis ad necem hominis abusurum n. 4.
Consulens homicidium non est irregularis, quando occisio non sequitur ex d. consilio n. 5.
Quid si consilium exigue mouit ad necem ibi.
Irregularitas ex homicidio an incurratur ab ignorante, illam esse impositam n. 6.
Quid si iudex ignorat esse irregularitatem impositam tradenti reum ad mortem ibi.
Irregularitas an contrahatur ob cooperationem ad homicidium, quando cooperans tantum peccat venialiter n. 7.
Quid si dictus clericus iter ostendens esset irregularis, an possit ab Episcopo dispensari n. 8.
Episcopus quando potest in irregularitate ex homicidio dispensare ibi.
Cooperantes homicidio iniusto etiā directe, sunt irregulares ex homicidio casuali ibi.
Homicidium voluntarium, & casuale quod nam sit ibi. fine.

1 CAsus propositus est, Caius vidēs suum inimicum, rogauit quemdam puerum clericum, qui casu cum eo aderat, vt attēderet, quo pergeret suus inimicus Titius, clericus Titij vestigia notauit aliquantulo temporis spatio; at suspicans, quod reuera accidit, reliquit inceptū iter sequendo Titium, & reuertebatur ad propria; cum illi fit obuius Caius, qui probabiliter, & moraliter certissime coniectabatur vbi nam esset Titius, & illum insequebatur, sed videns clericum redeuntem petijt; vtrùm Titius talem viam inijsset, qui

qui dixit, ita est illac abijt, post multos annos cum iam clericus factus esset Sacerdos, & Parochus, petijt: an esset irregularis, cum iam Titius occisus fuerit à Caio.

2 Affirmatiuè respondit doctus quidam recentior ductus quadã doctrina P. Thomæ Tamburini in decalo. *lib. 6. cap.* 4. §. 4. *n.* 3. & 4. vbi hæc habet [à sicarijs fuit Petrus metu mortis coactus ostendere domum Pauli, vnde factum est, vt Paulus occisus fuerit, domusque incẽsa, ad quid obligabis Petrum? Respondeo. Comitolus damnat hunc homicidij, & restitutionis (vnde, & irregularitatis, quia peccauit cõtra charitatem iustitiamque: neque enim metus mortis debuit illum excusare à tam graui iniustitia, cui ipse indicando ædes cooperatus est, &c.] ergo multo magis erit censendus moraliter occisor Titij clericus, qui nullo coactus metu ostendit iter à Titio inceptum.

3 Cæterum ego negatiue respõdi, dictumque clericum à timore irregularitatis priuaui. *Primo*, quia tunc dans fauorem, auxilium, aut opem homicidio iniusto est irregularis [quando (sic loquitur Sayr. mox citand.) vel qui auxiliatur, vel cooperatur homicidio fit causa propinqua illius effectus, ita scilicet, vt sine eius auxilio, vel ope delictum non fuisset perpetratum, vel quando quis vere cooperatur delinquenti, vel denique quando ex auxilio præstito homicida, aut acrior est effectus, aut citius homicidium cõmittit, vt ex dic. *cap. sicut dignum* colligitur, & tradit Couarr. *in Clemen. si furiosus par.* 2. §. 2. *n.* 2. *de homicidio*, quæ omnia intelligẽda sunt de auxilio in actu proximo, non autem remoto] sic Sayrus *de cens. lib.* 7. *cap.* 4. *n.* 9. at in casu nostro clericus non cooperatus est saltem proximè per illam ostensionem viæ homicidio, neque ex ostensione viæ Caius occidens fuit animosior effectus, aut deniquè nisi sibi manifestatum fuisset à clerico iter à Titio susceptum, illum nõ occidisset; supponimus enim in facto, iam Caium locum, quo Titius inimicus peruenturus esset, sciuisse probabiliter, & illuc suos gressus direxisse, in casu autem posito à Comitolo supponitur, quod Paulus non fuisset occisus, neque eius domus combusta, nisi Petrus ostendisset domum Pauli illis sicarijs, & sic non est mirum, quod censeatur causa moralis occisionis Pauli.

4 Secundo, tradens arma alicui, quamuis sciat illum eis esse vsurum ad homicidium patrandum non est irregularis, nisi tradat intentione, vt occidatur inimicus, sic docet Hurtadus *de irregul. diff.* 8. *n.* 32. quia illa traditio (sic ipse loquitur) ad summum est peccatum scandali passiui, & contra iustitiam secundario: ergo multo minus erit irregularis censendus clericus, qui solum ostendit, quo inimicus Cai profectus fuerat, quod ipse iam sciebat, & de facto iam se dirigebat per illam viam, neque ostendit iter eo animo, vt Titius occideretur; imo neque id sciebat.

Tertio, quia consulens homicidium non incidit in irregularitatem, quando consilium non censetur cooperari in homicidium, nimirum, quia occisio non processit ex dato consilio, nec occidens facilius, aut citius occidit, ob datum consilium, vt mul-

multis citatis docet Castropalaus *tom.6.d.6.pu.15.§.2.n.3.* ergo neque est censendus irregularis clericus, qui ostensione itineris suscepti à Titio non fuit causa illius occisionis, neque quod fieret citius, aut crudelius, &c. cum non possit dici cooperans occisioni. Imo si ostensione itineris solum exigue causa fuisset accelerationis mortis (quod tamen non est verum in nostro casu) adhuc non esset irregularis, quia non peccauit mortaliter, vt docet de consulente, qui exigue mouit suo consilio occisorem Pellezarius *tr.7.cap.5.nu.* 281. citans Auilam, Comitol. Coninch. Nauar. Rodr. Henriq.

6 Quarto denique, quia ille clericus nesciebat, tali actui esse adnexam irregularitatem, etiã si demus reuera illum cooperasse ad mortem Titij ostendendo iter, quod is fuerat aggressurus) neque quid esset irregularitas, aut eius nomen vnquam sciuit: at non esse irregularem etiã ob homicidium commissum eum, qui ignorat impositam esse irregularitatẽ ob homicidium, docent Portellus dub. regul. verb. ignorantia n.19. & Castropal. *tõ. 6.d.6.punt.6.n.3.* putat probabile, citatque pro ea sententia Hostiensem, Syluestr. Philiarcum, Rodriquez, & ad argumentum, quod ipse sibi in contrarium proponit: scilicet quod si ad incurrendam irregularitatem necessarium esset cognoscere eam pœnam delicto annecti, homicida ignorans hanc pœnam nulla irregularitate teneretur; sed libere posset ad ordines promoueri, quod videtur falsum, quia iudex iuste reum morti tradens irregularitatem contrahit; tametsi ignoret irregularitatem suo facto impositam esse, ad hoc argumentum inquam, respondet Castropalaus [neque item est inconueniens, quod iudex ignorans suo facto irregularitatem annecti, eam contrahat, quia irregularitas iudici non in pœnam, sed ob decentiam posita est; at homicidæ tum ob decentiam, tum in pœnam delicti irregularitas inducitur, quæ irregularitas grauior est, & difficilioris dispensationis, ac proinde non est mirum, vt cognitionem legis eam indicentis expostulet] ita Castropalaus, quæ sententia quamuis ante factum esset difficilis, at post factum, cũ iam ille clericus bona fide fuerit ordinatus, & multos annos in sacerdotio perseuerauerit, poterit prudenter amplecti.

7 Atque hæc procedunt etiam posito, quod dictus clericus ostendendo iter à Titio susceptũ peccauerit mortaliter, nam si ponas, clericum demonstrasse viam ex quadam inaduertentia, ita vt solum peccauerit venialiter, non erit dicendus irregularis; quia irregularitas ob homicidium non contrahitur nisi occidens, vel cooperans ad iniustam occisionem peccet mortaliter, vt ex multis tradit Pellezarius *in man.tr.7.cap.5.n.* 281.

8 Ex his patet, valde durum se exhibuisse contra talem clericũ doctum, & amicissimum nostrũ recentiorem, dum asseruit, illũ esse irregularem, nec posse nisi à Papa dispensari, nam etiam dato, quod reuera fuerit irregularis, tamen potest cum eo Episcopus dispensare, vt in susceptis ordinibus ministret, quia nõ potest celebrationem omittere sine graui scandalo, & iactura famæ, & bonorum; est enim Parochus iam, & est valde distãs à curia Romana, quo casu posse

Epi-

Episcopum dispensare cum irregulari, vt in susceptis ordinibus ministret, tradit Marchantius *de sacram. ord. tr. 1. par. 9. diff. 2. n. 11.* ex Diana *part. 4. tr. 2. ref. 110.* & alijs.

6 Immo puto, posse Episcopum in hac irregularitate dispensare absolute ex concessione *Trid. sess. 24. cap. 6.* vbi concilium excipit, ne Episcopus possit dispensare cum irregulari occulto ex homicidio voluntario; at hęc irregularitas, si à dicto clerico fuisset contracta, non est ex homicidio voluntario, nam illa ostensio viæ, non fuit facta inito consilio cum occidente, & ex proposito, animoque deliberato occidendi Titium; sed casu, & per accidens clericus fuit in domo Cai occisoris, & sic nō dicitur homicidium voluntariū, sed casuale, (etiam dato, quod illa itineris suscepti à Titio demonstratio fuerit vera cooperatio ad homicidium) vt in terminis tradit Filiuc. *trac. 20. c. 2. q. 8.* Pellizarius *trac. 7. cap. 5. n. 285.* vbi probat *ex cap. sicut dignum 9. illi de homicidio, & cap. significasti 2. eod. tit.* quod cooperantes homicidio iniusto siue directè, siue indirectè, non sint irregulares ex homicidio volūtario, sed casuali, quando non intenderunt directè homicidiū, at vigore d. decreti Concil. Trident. potest Episcopus dispensare in irregularitate proueniēte ex homicidio casuali, quia ly homicidium voluntarium; in quo Episcopus non potest dispensare sumitur pro homicidio facto ex proposito, & deliberato animo, ad contradistinctionem eius, quod fit casu, & ex aliqua rixa suborta, & non præmedita, vt docent Auila *de cens. par. 7. dis. 6. sec. 2. dub. 1. & sec. 5. dub. 5. concl. 1.* Em. Rodriqu. *sū par. 1. cap. 177. n. 2.* Diana *par. 1. tr. 15. res. 19.* quos citat, & sequitur Marchin. *de sacr. ord. par. 8. diff. 3. tr. 1. n. 10.* Perez, Henriqu. Salzed. Coninch. quos citat Diana *loc. cit. & in par. 10. trac. 11 res. 19.* vbi affert Lessium *in 3. par. D. Thom. cap. 4. de irregul. dub. 2. num. 36.* qui omnes docent, posse Episcopum dispensare in irregularitate occulta proueniente ex homicidio iniusto casuali, & non facto ex proposito, & deliberatione antecedēti, vulgo appostate, quamuis fuerit peccaminosum mortaliter, & per cōsequens voluntarium ipsi occidenti.

QVAERES III.

An promotores designati in determinata Prouincia ad promouēdum ad magisterium, præuio examine, Titium religiosum possint illum promouere, si ante peractum examen cesset causa, ob quam fuerunt constituti ad promouendum in tali Prouincia

SVMMARIVM.

Explicatur status quæstionis n. 1.
Ponuntur argumenta in contrarium n. 2.
Cessante fine concessionis, an cesset concessio ibi.
Affirmatiua sententia stabilitur n. 3.
Priuilegium quando cesset cessante causa ibi.
Principijs beneficium, an requirat causam, & ad quid ibi.
Beneficium mere fauorabile an sit perpetuum ibi.
Concessio vt possit d. religiosus extra prouinciā examinari nulli præiudicat n. 4.
Gratia non cessat, cessante causa

quomodocumque iuxta graues Doctores n.5.
Gratia dispensationis quando censeatur consummata ibi.
An in casu nostro fuerit consummata n.6.
Papa dum concedit, posse generalẽ dare examinatores extra Prouinciam quid operetur ibi.
Si causa est perfecte subsistens tempore gratiæ concessæ, non expirat gratia, ea cessante n.7.
Ius semel acquisitum non reuocatur cessante causa ibi.
In nostro casu bene applicatur doctrina Castropalai, & aliorum. n.8.
Quam faueat nobis Sanchez doctrina n. 9.
Patres designati examinatores, & promotores in casu posito an teneantur indagare, num causa cessarit n. 10.

1 TItius inclitæ religionis petijt à Papa, vt daret facultatem suo Generali, vt posset assignare examinatores hic *Panormi*, quia ratione muneris, quod habet non potest adire locum destinatum pro examine in d. religione requisito ad magisterium, Papa dat facultatem Generali, & hic virtute talis facultatis assignat duos Patres hic Panormi, antequam hi Titium promoueant, cessat impedimẽtum illud muneris, quod gerebat, & tanquam causam proposuit Papæ, an possit adhuc promoueri à dictis examinatoribus ad magisterium.

2 Videtur non posse, quia cessante fine gratiæ, & concessionis, cessat gratia, vt pluribus probat Sanchez *lib. 8. de matr. disp.30.* quem ego secutus sum *lib. 8. de matr. dis. 30. n. 6.* sed in hoc casu cessauit finis concessionis (qui fuit munus, quod Titius religiosus habebat) & cessauit antequam haberetur vltimatus finis, nempe examen, & promotio: ergo cessat facultas, seu gratia, vt is possit Panormi promoueri, sed debet locum examini destinatum, nempe suam Prouinciam Boethicam adire.

3 Nihilominus affirmatiuè respondendum censeo, nimirum posse assignatos examinatores examinare, ac promouere d. religiosum non obstãte, quod cessauerit officium, quod habebat tunc, quando petijt à Papa facultatem.

Fundamentum est, quia, vt loquitur Lezana *ver. priuilegia regularium*, hic modus desitionis (nempe cessante causa, cessare priuilegium) non habet locum in priuilegio, quod non derogat iuri communi, siue alterius tertij, sed est mera gratia, & beneficium Principis, quia vt tale priuilegium ritè, & licitè concedatur, vel non requirit causam, vt aliqui volunt, vel licet illam requirat, vt honestè, & prudenter concedatur, postquam semel facta est concessio iam non amplius requiritur talis causa, quia solum fuit necessaria respectu voluntatis Principis, vt honestè moueretur, & ideo beneficium permanet, etiã si causa cessauerit, decet enim beneficium Principis esse mansurum, vt in regula iuris dicitur, quod maximè locum habet in beneficio mero, & fauorabili, quod sine conditione, & absolutè fit, hucusque Lezana.

4 Subsumo, sed in casu posito priuilegium hoc non derogat iuri cõmuni, cum non sit de iure communi, vt ad magisteriũ promouendus examinetur in sua prouincia, vbi habitũ sumpsit; nec etiam derogat iuri tertij,

tij, nam ob distantiam loci, committitur examẽ patribus Panormi pro hoc religioso, hic degente, & pro his, qui sunt in propria prouincia, patribus ibi degentibus, neque numerus promouẽdorum minuitur per hanc promotionẽ, quæ ex peculiari gratia fit supra numerum, & quod magis cõsiderandum est, ista cõcessio est merum beneficium, neque vlla ponitur conditio, sed absolutè cõceditur ibi (al P. Generale, N. Signore dispensa, e concede la gratia, che si domanda) ergo etiam cessante causa, seu impedimento ratione officij, qua motus fuit Pontifex ad concedendã talem gratiam, ea non cessat.

5 Confimatur quia vniuersaliter dispensatio, aut priuilegium non cessat cessante causa quomodocumque post gratiam cõcessam, vt docet Pontius *lib.* 8. *de matr. cap.* 20. *nu.* 4. vbi sic ait, [tamen videtur verius, non cessare dispẽsationem quacumque causa cessante, neque vinculum semel ablatum redire, quam sententiam docuit Glosa in *reg. argumentum de reg. iur. in* 6. & alij plures, quos refert Sanchez dis. cit. (nempe 30 *lib.* 8. *de mat.*) & sequitur Suarez *de leg. lib.* 6. *ca.* 20. *n.* 14. 15. *& seq. & lib.* 8. *ca.* 30. per totum, & videtur docere Ricc. *l. cit.*] & post pauca subdit [ratio autem pro nostra sententia est manifesta, quia gratia dispensationis iam consummata est in relaxatione legis, siue impedimenti: ergo si iam sublatũ est impedimentum, illa non potest reddi inualida cum semel iã fuerit licita, & iusta, & habuerit effectum] sic ille.

6 Quæ sane ratio multo magis militat in casu nostro, quod sic ostendo: Gratia, quam petijt dictus religiosus fuit, vt tolleretur impedimentum Patri Generali, & vt daretur facultas per Papam, vt is posset destinare duos examinatores in ciuitate Panormi, vt patet ibi, perciò humilissimamente supplica Sua Santità à dispensarli, che il medesimo Padre Generale possa destinarli à questo effetto due esaminatori nella Città di Palermo] & P. Generalis vi talis facultatis sibi concessæ, iam destinauit duos, qui præmisso examine, promouerent d. religiosum; ergo gratia Papæ iam fuit consummata, & habuit suum vltimum effectum; Papa enim sua concessione tantum intendit habilitare Generalem iuxta factam supplicationem, in eo, quod non potest, nempe, vt haberet facultatem, duos examinatores Panormi destinandi: hæc autem destinatio facta est tunc, quando causa extabat, nempe quando d. Religiosus habebat illud officium, quo detinebatur, ne posset ad suam prouinciam sine incommodo ire, nam promouere ad magisterium potest Generalis ex se, & non ex Papæ authoritate, sublato impedimento, seu concessa facultate destinandi examinatores Panormi.

7 Hanc etiam sẽtẽtiam ad vnguem confirmat Castropalaus *tra.* 3. *dis.* 4 *pun.* 14. *num.* 5. iuncto *n.* 6. vbi volens resoluere illam quæstionem: an cessante causa finali, cesset priuilegium, vtitur hac distinctione; si causa est integrè subsistens quando conceditur dispensatio, vt esset dispẽsare in pluralitate beneficiorum ob munus, quod geris, tunc nullo modo suspenditur, aut desinit gratia ob cessationem causæ] probat 1. quia tota causa iam existit quando conceditur priui-

legium, & dispensatio. Secundo per priuilegium, & dispensationem legitimè factam est ius priuilegiato acquisitum: at ius semel acquisitum non reuocatur ex cessatione causæ ob quā fuit concessum, vt alijs relatis docet Menoch. *lib.4.præ.*189.*num.* 97. Tertio, quia priuilegium absolutum differt à conditionato, nā conditionatum durat vsque ad positam conditionem, absolutū vero semper; nisi reuocetur, vel aliunde fiat illicitum.

8 Ex hac Castropalai doctrina manifestè infertur nostrá resolutio; nam gratia fuit concessa à Papa ob causam, quæ tunc extabat integre subsistens, nempè ob munus, quod gerebat, quando fuit dispensatio concessa, dictus religiosus, & per consequens illi fuit ius acquisitum, imo ea dispensatio fuit consummata, quia Generalis iam statuit examinatores, hanc etiam docet Salas *de leg.dis.* 20.*sec.* 6.*n.*67. Guttier. *canon. quæst. lib.*1.*cap.* 15.*num.* 22. Tiraquell. *trac. cessante causa in princ.num.*92. & 94. Granad. *in par.*2.*contr.*7.*trac.*3.*dis.* 17.*sec.*4. *n.*36. Diana *part.* 8.*trac.* 3.*res.* 24. Præpos. *in* 2. *D.Thom.qu.*97.*dub.* 3.*num.* 31. & à fortiori Mascardus *de prob. concl.*1128.*nu.*22. Rebuff. *t.*2.*const. regiar. trac. de rescrip.in præf.n.*56.*ver.*14. Ema. Sà *ver.gratia nu.* 10. & 6. qui dicunt, gratiā nō cessare, cessante causa, etiam tempore, quo ordinarius veritatē precum examinat, dūmodo fuerit tempore concessionis Romæ factæ.

9 Fauet etiam Sāchez, qui quāuis in *d.dis.*30.*lib.*8. putet, quod cessante causa, antequam gratia habeat suum vltimatum effectū, cesset gratia; tamen ait, contrariam sententiam habere graues Doctores, & rationes, in casu autem huius religiosi omnino dicet Sanchez, non cessasse gratiam, quia ea habuit suum vltimatū effectum; nempe Generalis iam constituit examinatores tempore, quo causa extabat, neque Papa aliud sua gratia concessit, nisi vt posset Generalis constituere examinatores, quia aliud ab eo non fuit supplicatū, neque in alia re licentia Papæ erat necessaria, vt dictum est.

10 Hinc infero, teneri promotores à Generali assignatos promouere d. Titium religiosum ad gradum magisterij, cum Generalis nullam exprimat causam in suo mandato, sed tantum dicit, se constituere DD. NN. examinatores, & promotores ex vi concessionis sibi factæ à Papa, atque adeo isti patres sunt ministri necessarij, non enim eorum arbitrio committitur promotio, neque assignatur tempus intra quod illum promouere debeant, sed tantum, vt præuio examine, & sic dictus promouendus ius acquisiuit ad hoc, vt promoueretur ab examinatoribus, cum sit iam gratia facta, vt probaui *lib.8.de matrim.dis.* 28. ex Sanch. *ibid.n.*87. saluo, &c.

QVAERES IV.

An contrahentes matrimonium in diæcesi Panormitana possint omittere benedictiones nuptiales absque peccato mortali.

SVMMARIVM

*De benedictionibus multa dicta sunt remissiuè n.*1.

*Benedictiones omittere sine graui causa est m. in nostra diæcesi. n.*2.

1 DE his benedictionibus multa dixi *lib.7.de matrim. dis.* 82.

82. & seq. & lib. 3. dis. 12. & in qq. moral par. 1. tr. 2. q. 94. quibus in locis habes, quid hæ sint, quibus dari debeant, & à quibus: an sint suscipiendæ ante consummationem matrimonij, & an eas omittere, attento iure communi, sit peccatum mortale, & alij huiusmodi, nunc solum inquiro, an in nostra Diœcesi Panormitana sit mortale eas omittere; an vero sit discurrendum, vt est de iure communi, quo attento, aliqui Doctores affirmant esse peccatum mortale, aliqui vero negant, quorum sententiam putat probabiliorem Sanchez *de mat. lib. 7. dis. 82.* quem sequutus sum *d. dis. 82.* & nunc etiam in eadem sum opinione probabilissima, attento iure communi. ad quæstionem vero hic propositam.

2 Respondeo esse peccatum m. omittere has benedictiones sine graui causa in nostra Diœcesi Panormitana. Ducor quia cõsuetudo legitime prescripta potest inducere obligationẽ sub pec. m. posita capacitate materiæ, quãuis attento iure cõmuni non sit talis obligatio circa illam materiam; sed in diœcesi Panormitana est consuetudo legitime præscripta obligans sub mortali ad benedictiones nuptiales recipiendas, & materia est capax talis obligationis: ergo in diœcesi Pã. omittere benedictiones nuptiales erit peccatum mortale si fiat sine graui causa. Maior nulla indiget probatione, est enim apud DD. certissima, vt videri potest apud Castropal. *trac. 3. dis. 3. pun. 4. §. 1. n. 1.* Suar. *de leg. lib. 7. ca. 14.* fere per totum, & apud me ipsum *qq. moral. trac. 2. q. 86.* Sola minor est probãda quoad vtrãque partem, quam hic, & seq. qu. ostendam, & primo.

§. I.

Probatur benedictiones nuptiales esse materiam capacem obligationis sub mortali.

SVMMARIVM.

Materiam esse capacem obligationis sub m. nec ne vnde sumendũ. n. 3.

Matrimonium sine benedictionibus non habet decorem ibi.

Quo tempore benedictiones nuptiales dari non possunt n. 4.

Quam pœnam incurrat qui diceret benedictiones has esse superstitionem ibi.

Suspenditur dans benedictiones si non sit proprius Parochus n. 5.

Filius familias si benedictiones nõ recipit, an eximatur à patria potestate, & qua commoda amittat n. 6.

Matrimonium consummare sine benedictionibus an sit m. n. 7.

Quid sentiat Thom. Sanch. quoad capacitatem materiæ benedictionum obligationis grauis ibi.

Excommunicatio, an possit imponi differentibus paulum benedictiones ibi.

Excommunicatio minor, an possit pro veniali poni ibi.

Præceptum positiuum, aut negatiuum circa eamdem rem nõ mutat materiam ibi.

Materia parua siue s. materia partialis, siue totalis præcepti; an possit esse capax obligationis sub mortali n. 8.

Qua ratione asserat Sanchez omittere benedictiones nuptiales esse m. ibi.

Præceptum in materia graui an possit obligare sub veniali tantũ. ibi.

Doctor alium citans intelligitur iuxta citatum n. 9.

Se-

3 Secunda pars minoris facile probatur, si enim prudentũ arbitrio pensandum est, vtrum materia sit capax obligationis grauis, vt ex communi docet Suar. *de legib. lib. 7. ca. 25. n. 8.* quis dicet, has benedictiones esse materiam adeo leuem, vt circa eas non possit imponi obligatio sub mortali? si consideret, primo quod tot Pontifices, ac Patres, quos affert Sãchez *lib. 3. de mat. dis. 12. à num. 2.* ipsas inculcauerint, ac putauerint matrimoniũ non habere sine illis decorem, & debitam coniugij honestatem vt Magister *in 4. d. 28. cap. 2. &* Riccar. *ibi q. 3. ad* 1. aduertunt.

4 Secundo si consideret, quod prohibentur dari tales benedictiones tempore feriarum, & à Sacro Conc. Trid. *sess. 24. de refor. cap.* 10. his verbis inculcetur [ab aduentu Domini nostri Iesu Christi vsque in diem Epiphaniæ, & feria quarta cinerum vsque in octauam paschatis inclusiuè, antiquas solemnium benedictionum prohibitiones diligẽter ab omnibus seruari sancta synodus præcipit, in alijs verò temporibus nuptias solemniter celebrari permittit. Quas Episcopi vt ea, quæ decet modestia, & honestate fiant, curabunt, sancta enim res est matrimoniũ, & sanctè tractandum] & præterea anathematizantur dicentes, hanc prohibitionem superstitionem esse, & merito quidem ad os obturandum hæreticis, vt notant Bellarm. *in cõtrou. t. 2. lib. 1. de matr. cap.* 33. Cenedo *ad decret. col.* 12. *n.* 1. *fine*, & alij.

5 Tertio si attendat, quod si alius præter proprium Parochum benedictiones nuptiales conferat, suspensionem ipso facto incurret ex *Trid. sess. 24. de matr. cap.* 1.

6 Quarto denique, quis dicet benedictiones nuptiales non posse esse materiam talem, vt circa eam possit imponi grauis obligatio, si consideret detrimentum, quod etiam in foro externo habent filij familias, si benedictiones nuptiales non receperint in regnis præsertim Hispaniæ *ex l. 8. tit. 1. lib. 5. recop. &* notant omnes scribentes in ea, quod non esse modicum aduertit Thomas Sanch. *lib. 7. dis. 82. num. 7. de matr.* nimirum, si filius fam. eas non recipit remanet sub patria potestate, & si ante benedictionem filius ex eo conceptus sit, erit in potestate aui, etiã si nascatur post benedictiones vt ex Angelo, Ant. Gõ. Castillo, Guttierez, & alijs dixi *lib. 7. de matr. d. 82. n. 3.* ergo omittere benedictiones nuptiales de se est materia, quæ est capax grauis obligationis, alias essent valde seueræ illæ leges, quæ pro omissione rei in se leuis, & incapacis obligationis grauis priuarẽt tãto commodo, quod affert exemptio à patria potestate, & omnibus effectibus illius, de quibus scribentes in st. de patria potest. præsertim in sententia Suarez 1. *lib. leg. for. tit. 11. lib. 9. n.* 23. Meres de maiorat. *in 1. edit. 4. par. 9. 1. lim. 1. num.* 5. & alij apud Baezam *de non melior. filiab. cap.* 16. *num.* 35. qui cum alijs putant, filios in his regnis eximi à patria potestate tantum quoad eos effectus, qui sunt in ipsorum fauorem, non autem in odiosis, quibus sanè consideratis, non poterit quis prudenter existimare, receptionem benedictionũ nuptialium esse materiam adeo leuẽ, vt non sit capax obligationis sub mortali, si eam intendat legislator, eas iubens recipi.

7 Atque hanc partem non solũ

dant

dant omnes, qui de facto putãt, attento iure communi, benedictiones nuptiales non posse sine peccato omitti, imo nec posse matrimonium consummari sine mortali, ante dictas benedictiones, vt sunt Valdens. *de sacr. c.x.* 133. *nu.* 3. Diuus Ant. 3. *p. tit* 1. *cap.* 16. *fine* Rosella *v. impedimentum, imped.* 1. *num.* 12. *& verb. debitum nu.* 1. & alij apud Sanchez *lib.* 3. *de matri. dis.* 12. *à nu.* 1. sed etiam ipsemet Sãchez, qui putat probabile non esse mortale eas omittere: ait enim *d. dis.* 12. *n.* 10. [sed illi malo sufficientissime consuleretur, Episcopo præcipiente, vt intra tempus commodum, vt semestre benedictiones recipiantur sub excommunicatione, quod vtique hoc præceptum iustissimum esset] si ergo per Sanchez esset iustissimum præceptum sub excommunicatione maiori positũ, vt mox probabo, ne benedictiones recipiendæ nimium differrentur, signum est, quod is aperte sentit, materiam benedictionum nuptialium esse capacem obligationis grauis sub mortali; nam loquitur de excommunicatione maiori obligante sub mortali, quia illam excommunicationem dicit, posse imponi differentibus receptionem benedictionum nuptialium, quam dicit, non posse imponi alijs nõ multum differentibus illas recipere; ea autem est sola maior excommunicatio; nam excommunicatio minor etiam pro veniali culpa potest imponi ex Lezana *v. excommunicatio n.* 5. *&* 6. & alijs communiter, & idem apertè etiam insinuat *lib.* 7. *dis.* 7. *nu.* 3. *fine*, vbi dicit, præceptum Trid. *sess.* 24. *de ref. cap.* 10. interdicentis benedictiones has tempore feriarum obligare, sub mortali etiã si nullum esset scandalum, ex eo quia id suadet præcepti natura; sed natura præcepti est, tunc obligare sub mortali cum materia est capax talis obligationis, vt constat ex dictis à me *in qq. moral. tr.* 3. *dis.* 4. *q.* 2. *&* 3. *par.* 1. ergo benedictiones nuptiales de se sunt materia grauis, & capax obligationis, sub mortali, etiam iuxta Sanchez; nam siue præceptum sit positiuum, siue negatiuum circa eamdem rem nõ mutat materiam, v.g. posito, quod tres oboli sint materia parua, siue sit præceptum de non furando, siue de eos dando alicui pauperi, semper erit obligatio sub veniali, quia materia est parua, & per consequens non capax obligationis sub mortali, nisi in aliquo casu fiat aliqua mutatio in aliquibus circumstantijs, & ex parua fiat magna, & sic casus mutatur.

8 Nec refert, vtrum sit materia partialis, vel totalis præcepti posito quod sit parua, vt *d. tr.* 3. *dis.* 4. *q.* 1. & 2. probaui, aut quod prohibeatur ad maiorem Dei cultum, nam etiam in hoc si materia est leuis, non est culpa mortalis. Quare cum Sanchez dicit *d. lib.* 7. *dis.* 82. esse probabile, quod sit peccatum veniale omittere benedictiones nuptiales, non ducitur ex eo quod materia sit parua, & incapax obligationis sub mortali; alias turpiter sibi contradiceret, (quod de tanto Doctore non est asserendum) sed quia cum non sit sacramentum, neque sacramentale tanti momenti, quanti est illud, quod baptismo præfertur: non est dicendum, fuisse datum præceptum cum tanto rigore, nec ecclesiam intendisse obligare sub mortali; nam circa eamdem materiam grauem potest stare præcep-

ceptum obligans tantum ad veniale ex intẽtione præcipientis, vt probat fuse Suarius *de leg. ca. 27. à num.7.* & ego multos adduxi *in qq. moral.tr.3.dis.4.q.2.*

9 Et ob eamdem rationem puto, Doctores recentiores existimare esse veniale de iure communi benedictiones has omittere: nam citant Sanchez, vnde cẽsentur loqui iuxta eius sensum ex Fabio de Anna *cons. 45. num. 59.*

§. II.

An de facto Panormi sit consuetudo recipiendi benedictiones nuptiales obligans sub mortali.

SVMMARIVM.

Traduntur regulæ ad cognoscendũ quando consuetudo obliget sub mor. n. 10.

Receptio benedictionum nuptialiũ, an sit rei grauis, & difficilis nu. 11.

Panormi nil potest recipi à Parochis pro sacramentorum, &c. administratione ibi.

An possit recipi aliquid etiam spõte oblatum ibi.

Magister Cappellanus, ac cæteri Parochi Panormi, quam ceram possint recipere in administratione sacramentorum n. 12.

Recitare coronã B.V. an sit rei grauis n. 13.

Difficultates in benedictionibus nuptialibus numerantur ibi.

Benedictiones nuptiales semper per longum tempus fuere receptæ à populo Panormitano n. 14.

Senatus Panormitanus ad abusus tollendos in exactionibus pro sacramentorum administratione liberaliter prouidit sustentationi Parochorum ibi.

Adhuc extat Panormi consuetudo recipiendi benedictiones, timore ne peccent grauiter n. 15.

Præcipua coniectura, an consuetudo, obliget sub mortali in aliqua materia vnde desumenda n. 16.

Excommunicationis nomine an veniat maior ibi.

Excommunicatio maior posita in pœnam transgressorum, quando indicet peccatum m. in transgressione ibi.

Matrimonium an conferat gratiã eo vtentibus n. 17.

Confirmatur graui consideratione, Panormi præsertim benedictiones nuptiales omittere, esse graue peccatum n. 18.

Confirmatur idem ex Quintanadueña Soc. Iesu n. 19.

10 AD hanc partem priorem Minoris nostri argumenti positi §. præc. num. 2. probandã, affero regulas, quas lauditissimi Doctores tradunt ad cognoscẽdum; vtrum consuetudo sit inducta vigore obligandi sub mortali, nam id aliunde colligi non potest, vt cum Roccaful. *prax. theol. moral. lib.6.c.9.q.3.* Baldelli *tom.1.lib.5.dis 4 qu.3.* Meroll. *tõ. 3. dis. 5 cap.3. dub. 24. dixi in qq. mor. tra.2.q.86.par. 1.* hæ autem assignantur à Suario *de leg. cap. 15.* ibi. [prima si consuetudo sit longi temporis, & rei grauis, ac difficilis, & communiter seruetur à populo pro maiori parte, quia non solet populus in huiusmodi actibus conuenire vniformiter, nisi quando ex obligatione sunt, & sic est magnum indicium, tunc duci ex cognitione obligationis, quæ inducta est, vel inducitur. Secunda si prudentes viri, & timorati male sentiunt de his, qui non seruant consuetudinem. Tertia si prælati, aut gubernatores reipub. grauiter repræhendunt, vel puniunt non ser-

seruantes consuetudinem, etiam est non leue iudicium. Quarta si materia consuetudinis ex se multum conferat ad vtilitatem reipublicæ, itaut obligatio eius prudenter credatur valde expediēs communi bono eius, in dubio præsumi potest esse eo animo introductam,] & quamuis non omnes hæ coniecturæ sint necessariæ ad dignoscendum, vtrum consuetudo obliget sub mortali nec ne, vt ex dictis à me *in qq. mor.tr.2.dic.q.86.* patet; tamen in nostro casu omnes concurrunt proportionaliter.

11 Et primo, quod receptio benedictionum sit rei grauis, & difficilis potest probari ex eo, quod debet fieri inter missarum solemnia, siue missa cantetur, siue legatur, & spōsi debent missæ interesse fundendo preces, & licet sponte id faciant, solent, cereum afferre, dixi sponte quia hic Panormi ex vi bullæ Clement. 8. de reformat. Parochiar. circa quam doctè scripsit Serius nil recipitur pro administratione sacramentorum, &c. vt benè notat Serius *diff.3.quæst.12.nu.* 1. & ipsa verba bullæ, quæ nō grauabor hic apponere expresse statuunt ibi [Præterea, quod pro administratione sacramentorū, & sepulturæ; nihil petatur; atque ad tollēdam omnem extorquēdi occasionem, & exasperatum exactionibus populum cōciliandum, nulla quidem sacramentorum, vel sepulturæ occasione, oblata eleęmosyna, siue merces, siue præmium appelletur, neque omnino aliqua sub quouis alio titulo gratificatio in pecunia, vel aliter nec directè, vel indirectè ab aliquo ciue, vel aduena, neque in d. ciuitate, neque in eius suburbijs, nec transeunte, Peregrino, cuiuscumque dignitatis gradus, ætatis, & conditionis fuerit, recipiatur. Sed vniuersi penitus in ciuitate, & suburbijs præfatis immunes, & exempti sint ab omni solutione, & contributione pro baptismis, confirmationibus, confessionibus, communionibus, spōsalitijs, matrimonijs, purificationibus post partum, extremæ vnctionibus, & sepulturis, &c.]

12 Et solum permittit Pontifex infra [quodque Magistro Cappellano, & rectoribus, &c. ac etiā ea cera, quæ voluntariè in baptismatis confirmationibus, benedictionibus matrimoniorum, & purificationibus post partum offertur] quas pœnas excommunicationis, &c. incurrant aliquid vltra concessa à Papa recipientes: videre apud Serium *l. cit. diff.3.q.11. & seqq.*

13 Iam ad intentum redeuntes, non est absurdum dicere, receptionem benedictionum matrimonialium esse rei grauis, & difficilis: si enim recitare coronam B. Virginis, vel missæ interesse existimatur res grauis, itaut illā omittens, quando est præceptū, vel votum peccet mortaliter, secundum communem opinionē, de qua dixi *in qq. moral. tr. 3. dis. 5. q. 15.* certè res grauis reputabitur attenta hominum conditione interesse illi sacro, & multoties summo mane est è lecto surgendum tempore hiemis ne sponsorum detegatur paupertas alijs: Parochorum benedictiones expectare, & illam ceream oblationem offerre, quæ licet, vt dixi, gratis, ac sponte omnino dari debeat, solet tamen semper offerri, ne adeo pauperes reputentur sponsi.

14 Quod autem per longum tēpus maior pars populi Panormitani illas benedictiones recepe-

rit adeo planum eſt, vt intra ſpatium centum annorum paucos reperias in libris Parochorum, in quibus notantur receptiones ſacramentorum, qui benedictiones nuptiales non receperint, multi eadem die, in qua contraxerunt matrimonium, & poſtquam introductum eſt, vt de licentia Epiſcopi ſero contraherent, multi ſtatim mane ſequenti benedictiones recipiunt, alij poſt aliquod tẽpus, per pauci ex his, qui contraxiſſe matrimonium notantur illas omiſerunt, & quod valde ad rẽ facit, hoc obſeruatum eſt etiam ante bullam Clem. 8. quo tempore magnæ exactiones, vt ipſemet Pontifex aduertit, fiebant Panormi, non ſolùm in cæterorum ſacramentorum adminiſtrationibus, ſed etiam in his benedictionibus: vt indicat Papa dũ vetat aliquid in poſterum accipi pro benedictionibus matrimoniorum, quod eſt manifeſtisſimum ſignum, ſolitos eſſe Parochos pecuniam, vel quid aliud pro his accipere; ſicuti accipiebant, & exigebant pro adminiſtratione aliorum ſacramentorũ ſepulturæ, &c. nam Papa, poſt quam Senatus Panormitanus tã liberaliter prouidit Parochorũ, & aliorum miniſtrorum ſuſtentationi, numerat omnia, pro quibus antea dabatur à parochianis pecunia, & inter ea ponit dictas benedictiones, aliàs ſuperfluum eſſet eas recenſere in prohibitione accipiendi pro his pecuniam, vel aliud, & noſtris temporibus non defuere, qui voluerint has benedictiones per procuratorem ſuſcipere, cum per infirmitatem non poſſent ad eccleſiam accedere, de quo caſu loquutus ſum *trac. 2. in qq. mor. qu. 94.* quod certè manifeſtum facit exiſtimari à populo has benedictiones rem grauem, & earum omiſſionem peccatum mortale.

15 Imo nunc timoratiores conſcientiæ viri ſtatim benedictiones nuptiales recipiunt, ac, vt ego ſeruari vidi, qui ſunt has benedictiones recepturiſe præparant confeſſione peccatorum, & mihi ingenuè faſſi ſunt, ſe benedictiones nuptiales recipere, ne grauiter peccent.

16 Tertia coniectura, quam præcipuam eſſe probauimus *d. q. 86. in noſtris qq. moral.* non deeſt in noſtra Diæceſi, ſeu ciuitate, vidimus enim Prælatos in viſitationibus inquirere; an benedictiones nuptiales omittantur, eas inculcare, & in synodo ſub pœna excommunicationis, & quidem maioris: nomine enim excommunicationis venire maiorem conſtat ex iure, vt aduertit Suar. *lib. 4. de leg. c. 18. n.* 17. ergo ſignum eſt, quod Prælati, & alij Doctores graues, ac pij synodo diæceſana interuenientes ſupponunt, non recipientes benedictiones nuptiales in hac diœceſi peccare mortaliter, aliter iniuſtè, vel imprudenter pro culpa leui imponerent excommunicationem maiorem, nam quamuis ſit opinionum diuerſitas, vtrum excommunicatio ferenda ſit ſignum obligationis ſub mortali: tamen quando eſt talis, vt ſine noua monitione poſſit ferri, vt eſt in noſtro caſu, tunc conſtat inter omnes, eſſe ſignum obligationis ſub mortali, quia ex eo quod poteſt excommunicari ſine noua monitione, ſupponitur tranſgreſſor peccaſſe mortaliter, vt explicat Suarius l. cit Sanchez *ſum. t. 2. lib. 6. cap. 4. n. 51.* Diana *par. 3. tract. 6. reſolut. 76. verſ. ſed tu ne recedas* Caſtropalaus *tom. 1. trac. 2. diſ. 1. pu. 15. n. 2.*

pu.

17 Quarta denique coniectura ad dignoscendum consuetudinē obligare sub mortali, & si non necessaria, cum satis sint dictæ: tamen neque deest in nostro casu nam valde expedit bono spirituali, & etiam temporali, vt matrimonium sanctè celebretur ac tractetur prout reuera est, tāquam sacramentum conferens digne recipientibus, & vtentibus gratiam, vt satis probauimus cum de matr. ad quod valdè conducit receptio benedictionum, vidimus enim, teste Sāchez *in lib.3.de mat.disput.12.nu,* 14.& alijs supra, Sanctos Patres, & Summos Pontifices existimasse matrimonium sine benedictionibus non habere decorem, & debitam coniugij honestatem, præterea ex frequenti omissione talium benedictionū potest facile earum contemptus in animos ciuium subrepere nil eas faciendo tanquam quid vanum, ac puerile, ac sine vllo fructu: merito igitur possumus conijcere Diœcesanos Panormitanæ ecclesiæ ob pietatem, & cultum Deo debitum, ac sacramentis seruandum intactum, voluisse se obligare sub mortali ad has benedictiones recipiendas, & in hoc cum Doctoribus grauibus id asserentibus, etiam iure communi attento, & quorum sententia est valdè probabilis, se cōformare voluisse iuxta doctrinā communiter receptam Gaetani 2.2.*qua.*147.*ar.* 2. *dub.* 2. *& quæs.* 186.*ar.9.circa ad secundum*. Syluest.*v.præceptum q.*2.Nauarr. *cap.* 21.*sum. num.*11.

18 Quæ sane huc vsque dicta me valde mouent ad asserendum in nostra hac Panormitana Diœcesi esse mortale omittere benedictiones nuptiales præsertim in hac ciuitate Panormitana, nam nisi putarent esse graue peccatū eas sine vrgētissima causa omittere, non essent adeo frequētes, itaut diximus valdè pauci in libris parochorum inueniantur, qui eas omiserint, nec tantopere in omnibus fere synodis à prudentissimis, & integerrimis Archiepiscopis celebratis, & tot Doctorum, ac religiosorum calculo inculcarentur, nec pœna excōmunicationis maioris, quæ spiritualium pœnarum grauissima est, imponeretur, nec etiā Panormi præsertim, adeo sūt rudes vt nesciant (saltem viri honestę conditionis, & nobiles, qui cōfessarios doctos habere solent) quod spectato iure communi probabile sit has benedictiones non obligare sub mortali, & sententiam probabilem posse tuto amplecti; si ergo viri sæculares, & coniugati, qui peccata venialia non adeo diligenter cauere solent, cum sciant iure communi probabile esse omittere benedictiones nuptiales esse tantū veniale, illas recipiunt, & cum aliquo graui incommodo, vt diximus; signum manifestissimum est, eos putare in hac diœcesi esse peccatum mortale benedictiones nuptiales siue graui causa omittere, quæ sanè opinio habet fundatam intentionem ex consuetudine, quæ potest talem obligationem imponere obligantem sub mortali ad recipiēdas benedictiones nuptiales.

19 Hanc sentētiam proculdubio dabit Quintanadueñas ingeniosus Soc. Iesu scriptor, is enim cum *in tr.9.sin.*15.probasset, nō esse peccatum m. omittere benedictiones in diœcesi Hispalensi, & in alijs, non obstante quod in synodis earum acceptio imponatur. Concludit tandem esse mortale quando ex earum o-

missione, aut nimia dilatione grave scandalum oriretur,& addit [similiter si in virtute sanctæ obedientiæ, vel sub excommunicatione sub prædicto tempore præciperentur, vt probabo secundo volumine,] sed in hac Diœcesi benedictiones præcipiuntur sub excommunicatione: ergo etiam per Quintanadueñas est p. m. eas hic omittere.

QVAERES V.

Cum quædam Religio prætenderet ex fructibus cuiusdam prædij possessi à congregatione Venerabilium quorumdam Sacerdotũ bona in commuui possidentium summam quandam pecuniæ semel per soluendam v.g. vncias 400. vt lites vitarent elegerunt Doctorem laicum in arbitrum; vt is decerneret; an talis summa pecuniæ deberetur. Vtrum hoc validè fieri potuerit.

DVæ insurgunt ex hoc facto dubitationes ad infringendam dictam Arbitri electionem, & per consequens ad annullandum, ac nullum declarandum Arbitri laici iudicium. prima, quia Clerici non possunt laicos tanquam suarum rerum Iudicẽ eligere. Secunda quia non potest fieri compromissum de bonis Ecclesiæ, sine licentia Sedis Apostolicæ, cum compromissum sit quædam alienatio, quæ ecclesiasticis est prohibita circa res ecclesiæ, & eius bona sine consensu, & licentia Sedis Apostolicæ, sed vtraque dubitatio, meo iudicio, facile euanescet.

§. I.

An religiosi, & alij clerici possint in Iudicem laicum tãquam arbitrum consentire.

SVMMARIVM

Affirmatiua responsio ex Abbate firmatur n. 1.

Clericus cur possit in arbitrum laicum consentire, & non in Iudicem ibi.

Iurisdictio prorogata ad aliam speciem est noua iurisdictionis cõcessio ibi.

Arbitrator est amicabilis compositor ibi.

Ostenditur Abbatem expressè nostrum casum tractare n. 2.

Laicus in causa spirituali non potest esse arbitrer ibi.

Clerici an ob cõsuetudinem possint trahi ad iudicem laicum in temporalibus ibi.

Quid in hoc sentiant cæteri Doctores n. 3.

Clerici possunt in causis temporalibus etiam sine licentia Episcopi compromittere in laicum ibi.

Arbitrer electus de iure, & de facto in procedendo, & de iure in sententiãdo est potius Iudex ibi.

Arbitrer raro eligitur, vt iudicet seruata omni iuris forma ibi.

Clericus nec de licentia Episcopi potest in iudicem laicũ consentire. n. 4.

Clericus in casu spirituali non potest in laicum tanquam in arbitrum compromittere n. 5.

Quid si fiat in clericum, & laicũ ibi.

Totius quæstionis epitome n. 6.

1 RESpõdet Abbas *in cons. 33. secund. part. consil.* [Dico compromissum valuisse, etiam si ambo (nempè compromittẽtes in laicum) fuissent in sacris, quia in laicos bene potest per clericos compromitti de rebus temporalibus, præsertim ad patrimonium eorum spectantibus, vt probatur *in cap. exposita, & ca.* di-

dilecti de arbitris, & à contrario sensu *in cap.contingit*, & notatur *in cap. si diligenti de for.comp.in gl.*1. prope finẽ, quæ dicit, quod licet clericus in Iudicem laicum non possit consentire, vt ibi, in arbitrum tamen sine consensu Episcopi bene consentit, & diuersitatis ratio bene potest esse, quia Iudex habet iurisdictionẽ, vnde per prorogationem subijcietur iurisdictioni iudicis sæcularis, quia per prorogationem extẽditur in prorogatum, & iudicat Iudex iure suo, & iurisdictione prorogata *l. 1. & 2. ff. de iud.* quod circa clericum fieri nõ potest, tum quia laicus non potest habere iurisdictionem in clericos ratione incapacitatis 96. *dist.cap.denique, & cap.si Imperator, & cap.cum ad verum*, tum quia iurisdictio non potest prorogari ad aliam speciem iurisdictionis, quia tunc non esset prorogatio; sed nouæ iurisdictionis datio, vt notatur in *cap. P. & G. de off.deleg.* & per Cyn. *in l. testamento Co. de testam.* Arbitrer autem non habet iurisdictionem, sed quandam notionem, & statur dicto suo metu pœnæ in cõpromisso appositæ *l. ait Prætor l. à diuo Pio in prin.ff. de iud. & in cap.dilecti, & cap. peruenit de arb. l.diem proferre §.stari ff.eo*, & præsertim hoc procedit quando cõpromittitur in laicum tanquam in arbitrum, & arbitratorem, nã talis est quidam amicabilis compositor inter partes, vt *in auth. si vero contigerit Co. de iud. & in corpore, vt diff. iud. not.* Innoc. *c. Quintauallis*] Hæc Abbas, quibus dubitationem propositam, tum rationibus, tum iure canonico, ac ciuili, tum Doctorum auctoritate dissoluit.

2 At luce tam clara allucinatũ esse miror aliquem, qui dicebat, Abbatem nõ loqui in casu propositæ quæstionis; nam ait ipse, Abbas loquitur de compromisso facto circa bona temporalia clericorum, non de compromisso facto in laicũ de bonis ecclesiasticis, quæ non possunt alienari.

Sed errat quisquis ille est; quia Abbas solum considerat nostrũ dubium, & illud resoluit nimirum, an Clericus possit in Iudicem laicum consentire tanquam arbitrum, & affirmatiuè respondet, & optimè probat vt vidimus; cum autem dicit; in laicos posse compromitti de rebus tẽporalibus: bene satis loquitur: nam de rebus spiritualibus; qualis esset causa beneficiorum, validitatis matrimonij, & similiũ, non potest laicus esse arbitrer ex communi apud Farinaceum *de inquis quæst.*8.*n.*24. Carolum de Grassis *effe. 1.n.* 409. 860. & 933. sed solum de rebus temporalibus; de quibus nec clerici possunt trahi ad iudicem laicum, ita vt nulla consuetudo possit præualere in hoc, quamuis agatur de rebus patrimonialibus ipsius clerici, vt probant Doctores *in ca. sane de foro competen.* & alibi de quibus videri potest Roland. à Valle *lib.2.consi.* 23. *nu.* 15. Ergo bene ad nostram primam dubitationem, an sit contra priuilegium fori compromittere in laicum litem circa bona temporalia Ecclesiæ: facit Abbas, & in terminis terminantibus dicit, posse fieri compromissum in laicum tamquam arbitrum de bonis temporalibus clericorum, & hoc non esse clericos, aut etiam sacerdotes submittere Iurisdictioni laicorum, quia atbitrer nõ habet iurisditionem; et cum dicit posse ad laicos compromitti per clericos de rebus temporalibus,

bus, præsertim ad eorum patrimonium spectantibus, non negat posse compromitti de rebus ecclesiæ temporalibus; sed quia hæc quæstio erat alterius considerationis, quam secundo loco proponemus; & ad ipsum solùm in proposito consilio spectabat videre; an clericus, qui nec de suis bonis temporalibus, nec etiam patrimonialibus potest ad iudicem sæcularem trahi, neque in eo consentire, vt ipsemet Abbas d. cons. subiungit; cum hoc priuilegium sit statui clericali concessum; possit compromittere in laicum Iudicem tamquã arbitrum absque eo, quod violetur priuilegium fori, & vt dixi, affirmanter respondit; & addit illa verba, quæ nos vltimo loco retulimus. [Et præsertim hoc procedit quando compromittitur in laicum, tamquam in arbitrum, & arbitratorem, &c.] prout est in nostro casu, in quo non fuit compromissum in Iudicem laicum; sed electus est quidam Doctor laicus tãquam arbitrer, vel arbitrator, quod etiam patet manifestè ex ipso Abbate statim initio, nam supponit validitatẽ compromissi ibi [& supposito, quod compromissum valuerit, quæritur, &c.] nempe an potuerit compromitti in laicum.

3 Ita etiam Lessius Soc. Iesu *l. 2. de iust. cap. 29. num. 52.* dicens in ciuilibus posse clericos se subijcere iudici sæculari, vt arbitro. Pellezarius Soc. Ie. *in manual. tr. 8. c. 6. n. 95.* Salonius 2.2. *q. 67. ar. 1. contr. 2. ver. quod si quaras.* Bonacina *de legibus, & dec, prac. dis. 10. q. 2. punt. 1. §. 3. num. 5.* Clauis regia *lib. 12. cap. 7. num. 10.* Squillante *de priu. cleric. cap. 7. n. 4.* Diana *par. 1. tr. 2. ref. 106.* vbi citat Tannerum 2.2. *q. 4. dub. 1. num. 4. dis. 4.* Emin. Cardinalis Delugo *de iust. dis. 37. sec. 3. num. 18.* vbi citat Sotum *lib. 5. de iust. q. 4. art. 1. fine.* Carolus de Grassis *de effect. clericat. eff. 1. num. 860.* multis adductis.

Nec vidi alium in hac resolutione contradicentem, aut illã limitantem, quod requiratur licentia Episcopi. Scio Gratianũ *par. 4. discep. 674. n. 24.* ad confirmandum, quod in illa disceptatione intendebat; nimirum transactionem circa possessionem, quæ erat penes ecclesiam, vt ipse loquitur, nu. 10. dixisse [maximè quia compromissum fuit factum in laicos, quod est nullũ, & inualidum de rebus ecclesiæ pertinentibus, in quibus non potest eis aliqua iurisdictio competere, quamuis etiam essemus in quocumque possessorio nedũ in petitorio. Rolandus *cons. 23. à n. 7. ad 17.* Couarr. *prac. qq. c. 35. n. 1. vers. ex quo patet non posse laudũ* ad medium] sed hæc doctrina est verissima, neque contra nostram resolutionem quidquam facit, nam loquitur de comprommisso facto in arbitrum electum de iure, & de facto in procedendo, & de iure in sententiando, vt ipse dixerat n. 13. immediatè præcedenti, quia tunc potius est iudex ordinarius, aut delegatus; quam arbitrer, vt notat Molina *tom. 5. tr. 5. dis. 30. n. 3. ex l. prima ff. de recep. arbit.* & hic præssissimè dicitur arbitrer ad distinctionẽ arbitratoris, aduertit tamen Molina in fine eiusdem numeri 4. [raro, aut fortè nunquam arbitri hodie eo modo eliguntur, vt cognoscant seruato omni ordine, formaque tota iuris.] & de facto Gratianus citat pro suo dicto Rolãdum, qui loco citato, loquitur de iudice, vt ibi videri potest, & etiã Couarr. loc. cit. vbi ait [ex quo patet non posse iudi-

dicem laicum secundum rigorẽ iuris cognoscere de causa possessoria beneficij ecclesiastici,&c.] & sic alij relati à Gratiano loquũtur de iudce; vnde *is* etiam hic de arbitro,qui vt Iudex procedit intelligendus est, dum dicit, non posse fieri compromissum in laicos ex Menoch. *præ.* 37.*n*.4.*lib.* 1. & manifestè etiam ostendit ob rationem, quam ad hoc dictum probandum affert; nempe, quia in rebus ecclesiæ pertinẽtibus nulla potest eis iurisdictio competere.

4 Denique quod ad tale compromissum faciendum in laicũ nulla Episcopi licentia requiratur, patet; quia citati Doctores, vel expresè dicunt, posse fieri compromissum in iudicem laicũ per clericos sine Episcopi licentia, vel id supponunt, dum absolutè dicunt, posse ecclesiasticos conuenire in iudice laico, tamquam arbitro, & ratio est manifesta, quia si hæc electio arbitri esset electio iudicis laici, nõ satis esset licentia Episcopi; nam clerici non possunt renunciare foro in nullo casu, neque Episcopus potest dare in hoc licentiam; cum sit de re extra suam potestatem, & ex iure communi competente; immo secundũ multos, de iure diuino, & ob alias rationes, quas adducit Suarius *lib*.4. *de immunit. ecclesiastica cap*.31. *à n*.4.

5 Si vero electio arbitri non est subiectio Clericorum iurisdictioni laicę; sed tantum est adhibere hominem prudentem, & expertum, vt arbitretur quod magis sibi videbitur expedire, & sit quidam amicabilis compositor, qui nullam habere debet iurisdictionem in clericos; vnde hoc prohibetur? aut vnde necessaria Episcopi licentia, quoue iure requiratur? certè quando aliqui Doctores dicunt, compromissũ non posse fieri in laicum sine Episcopi licentia, etiam tanquam arbitrum, vt loquitur Carolus de Grass. *eff.* 1.*n*.933. planè intelligunt, quando res, de qua agitur est spiritualis; quia tunc ex communi opinione, vt supra diximus nõ potest fieri compromissum in laicum tamquam in arbitrum, quam doctrinam limitat Grassis *d.nu.* 933. quando fieret compromissum in laicum, & in Clericum de licentia Episcopi, vt notat Squillante *de priuil. cleric.cap*. 7. *n*. 4. *ver. in causa vero*, vbi præter Grassum, addit Layman *lib*.3.*tr*.6.*c*. 1. *nu*. 3. Nam de reliquo ipse Grassus *n*.859. in eodem effectu primo dixerat [et clericus poterit ad eius libitum facere compromissum tunc solum, quando tractatur de rebus temporalibus tam ecclesiæ, quã sui patrimonij; secus de spiritualibus, quia de eis non potest fieri cõpromissum, nisi in clericũ, & personam ecclesiasticam] & n.860. addit [sed de licentia Episcopi poterit fieri compromissum de re spirituali in Clericum, & Laicum coniunctim, & non aliter]

6 Atque hæc pro solutione primæ difficultatis: nimirum; an cõpromissum factum in Laicũ tanquam in arbitrum, seu arbitratorem sine licentia etiam Episcopi esse validum, ac licitum; quia non est contra immunitatem ecclesiasticam, quam habẽt Clerici non consentiendi in iudice Laico, nec etiam in temporalibus: quia arbitrer, prout nunc eligitur, non habet iurisdictionem, nec vllam exercet in Clericos compromittentes; sed solum est amicabilis compositor, quod nullo nullo iure ecclе-

clesiasticam immunitatem, quoad fori priuilegium, lædit. Iam ad aliam dubitationem accedamus.

§. II.

An sine Papæ licentia potuérint Clerici compromittere; an d. summam pecuniæ deberent, nec ne, quando ea pecunia est fructus bonorum Ecclesiæ.

SVMMARIVM

Negatiua sententia multis rationibus probatur ab alijs n. 7.
Regulares an possint pecuniam ad cambium accipere ibi.
Alienatio Ecclesiasticis probibita quæ sit ibi.
Probibitus alienare est probibitus compromittere. ibid.
Affirmatiua sententia quibus rationibus probetur à quibusdam n. 8.
Res Ecclesiæ si non sint incorporatæ possunt alienari. ibid.
Res litigosa an dicatur incorporata ibi.
Vera ratio pro affirmatiua sententia n. 9.
Pecuniæ, & fructus prædiorum, an sit probibita alienari ab Ecclesia nu. 10.
Quæ res Ecclesiæ alienari non possunt n. 11.
Res quæ seruando seruari possunt quæ sint ibi.
Pecunia an veniat nomine immobilium, aut mobilium pretiosiorum n. 12.
Recensentur Auctores pro hac sententia. n. 13.
Transatio rei Ecclesiæ potest fieri, si in decisione res immobiles remanere debeãt apud Ecclesiam, vel non potẽtem alienare n. 14.

†

7 NEgatiuè respondērũt quidã Neotherici fundamentũ est, quia alienatio bonorũ ecclesiæ fieri non potest sine solemnitatibus iure præscriptis, & pręsertim sine licentia sedis Apostolicæ ex extrauag. Pauli 2. ambitiosæ, & nouissimè SS. D. N. Vrbanus 8. fel. recor. in decreto anno 1624. die 7. sept. edito ipsius iussu à Sacra Congregatione, eãdem constitùtione Pauli 2. quoad omnes pœnas confirmauit, & contractus initos contra dictam prohibitionem, ipso facto annullauit. verba Pontificis, sunt [Omnium rerum, & bonorum immobilium, ac pretiosarũ mobilium alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, census perpetuos, seu vitalitios, hypotecã, locationem, & conductionem vltra triennium concessionem in feudum, vel emphytheusim, &c.] & addidit sacra Congreg. iussu etiam SS. D. Vrbani 8. anni 1626. 21. Maij regularibus non licere pecuniam ad cambium accipere, vel mutuo cum solutione lucri cessantis, & damni emergentis, prout videri possũt Laurentius de Peyrinis *tom. 2. priu. in const. 8. Vrbani* 8. Lezana *tom. 1. cap. 10. n. 1. 2. 3. & ver. alienatio* Bonacina *trac. de alienatione rerum eccl.* Castropalaus, & alij passim, sed transactio, & compromissum est quædam alienatio, ita ut qui non possunt alienare non possint transigere, & compromittere, vt est communis, & recepta sententia inter omnes tam Theologos, quam Canonistas, de qua Molina *tom. 2. tr. 2. dis. 557.* Redoan. *q. 2. cap. 1. & 36. & quæs. 51. cap. 17.* & alij apud ipsos. ergo non potuerunt dicti Ecclesiastici, quibus est prohibita, quæcumque alienatio

tio rerum ecclesiæ, facere compromissum circa illam summam pecuniæ, quæ a parte contraria prætendebatur contra ecclesiã.

8 Alij tamen affirmarunt in hoc casu fieri potuisse compromissũ, quia Doctores, qui dicunt, non posse fieri compromissum de rebus ecclesiæ, loquũtur de rebus ecclesiæ incorporatis, quia tunc est alienationis species; & sic debet esse licentia Papæ, & aliæ solemnitates requisitæ pro alienatione rerum ecclesiarum iuxta Filiucium *tr.*4. *c.* 2. *num.* 25. vbi plures citat, Lezanam *to.* 2. *c.* 19. *num.* 60. *circa finem*, Bordonum *res.* 27. *n.* 19. Peyrinis *in const.* 4. *Iulij* 2. *cap.* 2. §. 3. *n.* 15. Castropal. *de reu. deb. eccles. dis. vn. punt.* 15. §. 3. *n.* 2. *tom.* 2. Barbosa *de pot. Ep. alleg.* 95. *num.* 63. Quarantam *v. alienatio num.* 20. & 43. *limit.* 12. Bonacinam *dis.* 3. *q.* 8. *punt.* 4. *nu.* 20. & aliquos docentes compromissum posse fieri de rebus ecclesiæ, quando res non dum sũt ecclesiæ incorporatæ, qualis est res litigiosa vt cũ Bordono *res.* 27. *num.* 68. Probat Pellezarius *tr.* 6. *cap.* 8. *n.* 27. optima sane distinctio, sed pro solutione nostræ quæstionis non necessaria.

9 Dico igitur, tale compromissum factum de summa quadam pecuniæ posse fieri ab ecclesiasticis, & ab alijs sine vlla solemnitate, & licentia Sedis Apostolicæ, quamuis ea summa sit soluenda de fructibus bonorum stabilium ab ecclesia possessorum.

Vnica ratio, eaque breuissima est, quia de illis rebus non potest fieri transactio, aut compromissum sine licentia Papæ, de quibus extat prohibitio canonum, quod non possint alienari sine solemnitatibus iure requisitis, nempè tractatu canonico; consensu omnium de capitulo, & licentia sacræ congregationis, vt videre est apud omnes Doctores, qui in tantum negant, posse fieri transactionem, & compromissum de rebus, quarum dominium habet ecclesia, in quantum transactio, & compromissũ est quædam alienatio, videantur Doctores supra citati.

10 Sed res, quæ sunt prohibitæ alienari ab ecclesia sine licentia Papæ, &c. non sunt pecuniæ, vt fructus, cẽsuum, donatæ, legatæ, aut ex prædijs exactæ: ergo de his pecunijs potest sine licentia Papæ, aut alterius, dummodo fiat à legitimo superiore, seu bonorum administratore, fieri cõpromissum.

11 Solum restat probãda minor, quæ luce clarior est: res enim, quæ prohibentur alienari sunt tantum illæ, de quibus Pellezarius *in man. reg. tr.* 6. *cap.* 8. *n.* 9. vbi [quær. 5. quorum bonorum alienatio interdicatur regularibus ex vi præsentis prohibitionis, respondeo interdici alienationẽ tum immobilium, (sub quibus comprehenduntur non solum res corporeæ fixæ, & immobiles; sed etiam actiones, & iura, vel redditus longi temporis, seu ius diurnum ad illos; quale censetur illud, quod est saltem decem annorum, nec non iura, seu debita rerum immobilium, quæ eorum naturam participant,) tum mobilium pretiosorum, quæ seruando seruari possunt, vt sunt vasa aurea, vel argentea, gemmæ, vestes aureæ, aut sericę maioris pretij, copiosa bibliotheca monasterio competens, grex integer ouium, aut similium rerum se mouentium, quæ fructiferæ sunt, & communi existimatione æquiparantur bonis immobilibus, &c. ita Suarius *tom.* 4. *de relig. tr.* 8. *lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 16.

17. & 18. alijque communiter] Ex quibus patet inter res prohibitas alienari per Extrauag. Ambitiosæ, ac decretum Vrbani 8. non numerari pecuniam.

12 Et in terminis, quod pecunia non censeatur prohibita alienari; cum nec veniat nomine immobilium, neque mobiliũ pretiosarum, quæ seruando seruari possunt docent Pellezarius *tr.* 6. *cap.*8.*nu.* 101. Castropalaus *tom.* 2. *vbi de reu. debita ecclesiast. dis. vni.pũt.*15.§. 4. *n.*4. vbi sic habet [Secundo dubitatur, an pecunia sub rebus mobilibus pretiosis conseruandis intelligatur. Communis sentẽtia negat, quia pecunia vsui quotidiano deseruit, & ad illum est destinata, neque seruata vllum fructum parit. cap. eijciens dominus 88. dis. Gloss. *in l. cum plures ff. de administr. tutor. & in cap. nulli de rebus eccl. non alienan. num.* 11. Riccius *praxi for. ecclesiast. resol.* 56. *num.* 1. Azorius 2. *p. lib.* 9. *c.* 1. *quæs.* 95. Barbosa 3. *p. de potes. Episc. alleg.* 95. *nu.*49. Mol. Theol. *trac.* 1. *de iust. dis.* 465. *circa finem*] Hæc Castropalaus, cui adde Lezanam *to.* 2. *cap.* 19. *nu.*59. vbi citat Syluestrum *ver. alienatio n.* 7. Quarant. *sum. bull. verb. alienatio n.* 25. Bonacinam *de alienat. bonor. ecclesiaſ. dist.* 2. *qu. vnica pu.* 2. *nu.* 5.

13 Hanc nostram resolutionem, quod dictum compromissum factũ inter duas ecclesias per eorum legitimos bonorum administratores de quadam summa pecuniæ fuerit licitum, ac validum, & tanquam tale esse sustinendum, quamuis nulla solemnitas requisita ad alienationem bonorum ecclesiæ adfuerit, neque vlla licentia Papæ, aut Episcopi, tradunt omnes prorsus, nemine excepto, ex innumeris, quos viderim, & supra citaui. Nam semper dicunt, [quia trãsactio facta super re immobili, est vera species alienationis Crauett. *con.* 197. *num.* 7. quare quoties sine requisitis a iure fit super re immobili ad quam actio Ecclesiæ competebat inualide fit, etiam antiquo iure. Abbas *c.* 1. *n.* 8. *de deposito* Caputaq. *decis.* 106. *par.* 1. idem iudicium esto de compromisso] sic Filiuc. *d. cap.* 2. *nu.* 25. Redoan. *cap.* 1. *quæ.* 2. *de reb. eccl. non alienand. n.* 7. [est decisio Tholosona, vbi Gloss. dicit, quod si per transactionẽ alienatur res immobilis; vel mobilis pretiosa, quod alienatio non tenet sine Episcopi authoritate] Molina *tr.* 2. *dist.* 557. *n.* 1. [item Prælatus transigere non potest, neque cõpromittere circa bona ecclesiastica, quæ alienare non potest; eaque ratione, quæ causa, & solemnitas necessaria est ad alienanda bona ecclesiastica iuxta ea, quæ *dis.* 465. & 368. iunctis antecedentibus, & seq. dis. dicta sunt, eadem requiruntur ad transigẽdum, aut compromittendum circa ea bona] at dictus Molina *dist.* 465. *cit.* docuit, bona immobilia, & pretiosa, &c. tantũ prohibita esse alienari, & expresse exclusit ab his pecuniam; ergo iuxta Molinam licentia, & solemnitas ad compromittendũ requiritur solum quando compromissum fit de rebus immobilibus, &c. & non de pecunia soluenda. Layman. *lib.* 3. *tract.*4. *cap.* 31. *nu.* 3. [Transactio item in bonis ecclesiasticis immobilibus, aut mobilibus pretiosis, quæ seruari possunt, si fiat sine debita solemnitate irrita est] & eodem modo omnes loquuntur.

Im-

14 Immo generalis, & communiter recepta doctrina est, vt loquitur idem Layman. l. c. quam etiam sequitur Clarus *de transac. super feu.* §. *feudũ q.* 38. Pinellus *l.* 4. *c. de bonis mat. par.* 3. *nu.* 46. cum multis, quod potest fieri trãsactio super re immobili prohibita alienari, quando res apud eum manet, qui non potest alienare, dando alteri pecuniam, aut aliquid aliud; sic etiam loquitur Molina *d.* 557. *nu.* 8.

Ergo multo magis potest fieri sine vlla solemnitate, seu nullo modo censetur prohibitũ, nec per canones, nec per vllã aliam constitutionem, compromissum nostrum, in quo arbitrio Doctoris fuit remissum; an debeat quædam summa pecuniæ solui alteri ecclesiæ, remanendo prędium in posse, seu dominio alterius: & vnico verbo, fuit compromissum, vt arbitrer per amicabilem compositionem decerneret; an Ecclesia, quæ prædiũ quoddam possidebat, teneretur soluere ex fructibus quãdã summam pecunię alteri ecclesię, quę illam prętendebat.

QVAERES VI.

An religiosi, qui acceperunt mille aureos cum pacto dicendi tot missas ad rationem vnius tareni pro singulis missis, possint reducere illas ad minorem numerum ad rationem trium carolenorum siculorum, pro singulis missis.

SVMMARIVM.

Casus propositi species n. 1.
*Afferuntur argumenta pro parte affirmatiua n.*2.
Missæ dicendæ à recipientibus stipendium, si distribuens nil determinet, iuxta quam taxam sint determinandæ ibi.
Assertur declaratio sacræ congregationis pro vera sententia negatiua n. 3.
Sacerdotes tenętur missas celebrare iuxta præscriptionem dantis stipendium ibi.
Declaratio Congr. facta authoritate Papæ habet eamdem vim, ac si esset à Papa. ibi.
In moralibus idem est facere per alium, ac facere per se ibi.
Vnusquisque tenetur stare conuentioni a se factæ. n. 4.
Facta conuentione intra latitudinem pretij iusti, non potest vendens rem tradere iuxta proportionem pretij supremi, vel medij iusti. ibi.
Sacerdos, qui cum laico cõuenit dicere tot missas pro iusto stipendio, non potest spectato iure naturæ, minorem numerum dicere ibid.
Iustum stipendium pro missis quale sit n. 5.
Inter sacerdotem acceptantem stipendium pro tot missis, & inter dantem initur contractus innominatus ibi.
Sacra Congregatio sub p. m. mãdet, vt missæ dicantur ad rationem attributæ eleemosynæ n. 6.
Quid si stipendium sit incongruum ibid.
Indecens est Sacerdotibus, exigere summum stipendium pro missis ibid.
An distribuens missas ad rationem vnius tareni fecerit contra voluntatem testatoris. n. 7.
Hæres an possit fundare capellam assignãs minorem summam ea, quam reliquit testator, esto dicatur idẽ missarum numerus n. 8.
In diœcesi Panormitana, an sit taxatio stipendij pro missis, an limitatio n. 9.
Stipendium pro missis non potest taxari, quin abundantius possit

concedi, vel minus accipi ibid.

Quæ fuerit in casu nostro voluntas testatoris mandantis d. summã distribui pro tot missis n.10.

Cappellanus, an teneatur missas applicare pro anima instituentis cappellam, si nõ fuit expressum ibi.

Executor testamenti, an possit ex ducentis pro missis assignatis retinere sibi 50. quando dicuntur missæ, correspondentes ducentis aureis n.11.

Quid dicendum in hoc casu quoad sacerdotes acceptantes illam minorem summam cum pacto dicendi missas tot, quot correspondent ducentis aureis ibi.

Dominus potest cum famulo pacisci de minori stipendio consueto n.12.

Sententia negatiua, quod non possint missæ ad minorem numerũ redigi, facta iam conuentione, multorum authoritate firmatur ibi.

1 CAsus propositus est huiusmodi: Titius reliquit mille aureos Antonio suo testamentario executori, vt ea distribueret pro tot missis pro anima sua, Antonius cõuenit cum quibusdam Religiosis, vt celebrarent duodecim millia missarum, ita vt singulis missis correspõderet pro stipẽdio tarenus. Quęrimus: an dicti sacerdotes, facta tali obligatione, ac spontanea cõuentione, posśint nihilominus dicere missas nouem mille, ad rationẽ trium carolenorum: itaut vnicuique missę stipendium correspondẽs essent tres caroleni nostrę monetę, qui sunt valoris vnius tareni cum dimidio.

2 Affirmatiuę sententię inclinabant dicti Religiosi, aliàs certe non indocti. mouebãtur hac ratione; quia executor testamenti non est dominus illius pecunię; sed merus distributor, prout testator iusśit, at testator tantum expresśit, vt illę vncię mille distribuerunt pro tot misśis, nullo designato stipendio: ergo standum est asśignato in synodo ab Episcopo, quod est trium carolenorum; nam testator supponit, distributionẽ faciendã esse iuxta stipendiũ constitutũ in sua diœcesi. Et hoc videtur, declarasse Sacra Congregatio, vbi infra, dũ ait ad secundum dubium, standũ esse pręscriptioni factę ab Ordinario, quando distribuens eleemosynas numerum missarum celebrandarum non pręscripsit.

3 Cęterum huic quęstioni adeò clarè satisfacit declaratio sacræ Congreg. Conc. SS. D. N. Vrbani Octaui authoritate edita super decretum sacrę eiusdem Congregationis de celebr. miss. vt nullo modo mea opera videatur necessaria: cũ enim in tertio dubio quęsitum esset à sacra Congreg. vt declararet [An cũ Ordinarius pręscripserit eleemosynam congruam iuxta qualitatem loci, personarum, ac temporum: sacerdotes accipientes stipendium minus congruum, teneantur misśas ab offerente pręscriptas celebrare] subditur, [sacra Congregatio Card. Concilij Tridentini interpretum, authoritate sibi attributa à SS. D. N. Vrbano, ad singula dubia superius posita ad hunc modũ respondit. ad primum, &c. ad tertium teneri] ergo cum hęc declaratio facta sit Papę authoritate indubitata res est, vt loquitur Lezana v. sacra congregatio num. 7. habere eam vim legis, ac esse decisiuam, & authoritatiuam, quia facta est authoritate Papę: ergo habet eamdem authoritatẽ, quã haberet, si à Papa immediatè facta

ta fuisset, cum in moralibus, idē sit facere per alium, ac facere per se ipsum. Salas *de leg. trac.* 13. *dis.* 21. *sect.* 12. Peyrin. *tom.* 1. *de sub* · *d. q.* 1. *de obed. cap.* 25. & alij cō · muniter, & sane has declarationes circa missarum celebrationem esse authenticas, & factas iuxta modum præscriptum ab Vrbano VIII. de quo idem Lezana num. 10. nemo dubitauit; cum afferantur integræ à Doctoribus passim ijsdem clausulis, ac verbis, vt videre est apud Tāburinum *in opusc. lib.* 3. *cap.* 1. §. 1. *à nu.* 7. *ad* 44. Lezanam *v. missa num.* 11. Marchinum *de sacr. ord. tr.* 3. *p.* 2. *cap.* 16. *num.* 26. & alios.

4 Sed tamē præciso hoc decreto, ipsa ratio naturalis dictat negatiuam sententiam, nimirum, non posse talem sacerdotē, qui accepit eleemosynam pro tot missis dicendis, & se obligauit ad eas stipendio quidem iusto, minorem numerum missarum dicere iuxta maius stipendium, taxatū promissis in synodo: quia vnusquisque tenetur stare conuentioni à se spontè factæ circa pretium iustum rerum, & intra latitudinem eius, adeo vt si quis vendat v. g. decem vlnas panni ad rationem vnius aurei pro singulis vlnis, quod pretiū sit quidem iustum, at sit infimū, quia scilicet supremum esset 16. tarenis, medium 14. infimum 12. non poterit vendens metiri nouem vlnas v. g. decipiendo emptorem, vt sic compenset pretium supremum, aut mediū, vt late probat Molina *tract.* 2. *disp.* 351. *à num.* 5. dicens, contrarium asserere esse falsum, & aperire viam in iustitijs in Republica, & Ecclesia, quem nouissimè sequitur Tambur. *in decal. lib.* 8. *cap.* 7. §. 11. *nu.* 4. vbi num. 5. ait, neminem refragaturū huic doctrinæ: ergo Sacerdos, qui conuenit cum laico de stipendio missarum, ad rationem vnius tareni pro singulis missis, non potest inscio laico pretium augere ad rationem trium carolenorum, & promissum missarū numerum minuere.

5 Consequentia hęc patet, quia iustum stipendium est id, quod solet dari à viris timoratis, et communiter receptum est, ex Pellezario *tract.* 5. *cap.* 9. *num.* 56. *in manual. reg.* Delugo *de euchar. dis.* 21. *sect.* 2. *nu.* 23. at, vt plurimum pro vna missa datur vnus tarenus, licet etiam soleat dari tarenus cum quinque granis, & aliquādo dantur tres caroleni; ergo posito, quod inter laicum dantem, & Sacerdotem acceptantem fuit facta conuentio de stipendio; quod est intra limites iusti pretij, seu eleemosynæ solitę, non potest absque iniustitia sacerdos variare, & minuere numerum missarum, reducendo eas ad summum stipendium, aut medium per synodū assignatum, quia initus est inter illos contractus innominatus: do mille, vt dicas duodecim millia missarum, & Sacerdos, mille accipio, vt dicam tot missas, vt notant Suarez *in* 3. *partem disp.* 86. *sect.* 1. Vasquez *to.* 3. *in* 3. *par. disput.* 234. *cap.* 4. & est commune Doctorum placitum.

6 Confirmatur primo hęc consequentia ex decreto sacrę congregationis; authoritate Vrbani Octaui edito de celebr. missarū anno 1625. die 21. Iunij, quod vt aduertit Em. Delugo multa, quæ prius fuerunt controuersa sustulit: in eo enim sic dicitur [sacra cōgregatio sub obtestatione diuini iudicij mandat, ac præcipit, vt absolutè tot missæ ce-

celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, itaut alioquin ij, ad quos pertinet suæ obligationi non satisfaciant, quin immo grauiter peccēt,& ad restitutionem teneantur] loquitur autē sacra congregatio in terminis fortioribus, quando nimirum eleemosyna fuisset [quantumuis incongrua, & exigua, siue ab vna, siue à pluribus personis collata fuerit, aut conferretur in futurum sacerdotibus, Ecclesijs, &c.] & quamuis non desint circa hoc decretum explicationes: omnes tamen conueniunt, illud obligare vbi Sacerdos, non obstante tenui eleemosyna ad missæ celebrationē expresſè se obligauit, vt notat Marchinus *de sacr. Ord. tract.* 3. *par.* 2. *cap.* 21. *num.* 5. Diana *par.* 2. *tract.* 14. *resol.* 7. vbi alios citat, ergo multo magis dicendum est, teneri Sacerdotes ad celebrandas missas iuxta promissionem, & obligationem ex iustitia cum stipendium in nostro casu non sit exiguum, aut incongruū, sed quod solet passim dari, & cū gratiarum actione accipi, præsertim cum agatur de tam ingēti summa missarum: nam est valde inconueniens, vt sacerdotes exigant summum, ac rigorosū stipendium instar sæculariū hominum negotiatorum, cum potius contenti esse debeant mediocri stipendio, & talis exactio sapit quandam auaritiam, vt ex plurimis Doctoribus monet Fraxinellus *de sacerd. obligat. sec.* 3. *prænot.* 5. §. 2. *num.* 3. Delugo *de euch. disp.* 21. *num.* 25.

7 Confirmatur secundo dicta consequentia, quia executor testamenti non fecit contra voluntatem testatoris dando, & distribuendo pecuniam pro missis ad rationem vnius tareni pro singulis missis; cum testator neque implicitè mandauerit, vt missæ distribuerentur dicendæ pro tribus carolenis: ergo nullum est fundamentum recedēdi à pacto inito cum executore, & augendi stipendium, seu eleemosynam assignatam de communi consensu tam executoris testamenti, quā sacerdotum. Cōsequētia hæc est manifesta, nam ratio dubitandi horum sacerdotum fuerat, quod executor testamenti, seu hæres fecit contra voluntatem testatoris.

8 Antecedens probatur, quia si testator implicitè mandasset hæredi, vt pecuniam distribueret attributo stipendio trium carolenorum pro qualibet missa, maxime esset ex eo, quod cum ipse sciret stipendium taxatum in synodo Panormitana pro missis esse triū carolenorū, & non assignauit minus; sed tātum mandauit suo executori testamentario, seu hæredi, vt distribueret mille aureos pro tot missis dicendis, intellexit velle se conformare statuto, vt darētur tres caroleni pro qualibet missa: quem discursum confirmabant ex resolutione data à Portello *in resp. moral. tom.* 2. *casu.* 51. nimirum hęredem nō posse fundare cappellaniam assignando 46. scuta, quando testator iussit fundari cappellaniā cum salario scutorum 65. assignandorum Cappellano, quod etiam docuit Lezana *ver. Missa num.* 35. *fine.*

9 Sed hic discursus est minus solidus, ac male fundatus, nam in diœcesi Panormitana non est talis stipendij taxatio pro missis manualibus, sed est potius limitatio in synodo *p.* 3. *n.* 10. ibi [elemosynam pro missis sacerdo-

dotis largiri solitam ad summũ tres carolenos esse statuimus] vbi ly ad summum, denotat, quod minor possit esse eleemosyna, non autem maior tribus carolenis iuxta illud Ciceronis pro Milo. *quatuor ad summum quinque*, & dato quod esset stipendij taxatio, numquam tamen stipendium ita taxari potest, quin abundantius concedi possit à petentibus sacrificium, & minus admitti possit à sacrificantibus, vt benè probat Vasquez *dis.* 234.*c.* 1.*num.* 6. Suarez *d.* 86.*sec.*2.*concl.*1. Miranda manual.præl.*t.*1.*q* 41.*ar.*23.Barbosa *de pot. Episc. alleg.* 24.*num.*8. vt loquitur Castropalaus *trac.* 22. *punt.* 14.*disp.vnica.* nec est ad rē Doctrina Portelli; & Lezanæ, quam vltro admitto: at ibi testator mandauit, vt soluerentur pro salario cappellaniæ scuta 64. & hæres soluit 45. contra voluntatem expressam testatoris, & sic benè dicunt hi Doctores, non posse hæredem retinere excessum supra 45. sed debere dare Cappellano, & tamen nec hi Doctores dicent, quod si Cappellanus fecerit pactum cū hęrede, ac se obligauerit ad tot missas non teneatur illas dicere; sed possit minuere numerū promissum hæredi.

10 Voluit igitur in nostro casu testator, & talis eius voluntas præsumenda est, vt mille aurei in celebrandis missis insumerētur stipendio neque summo, neque exiguo; sed quod solet dari; ita tamen, vt semper censendus sit velle suæ animæ prouidere maiori missarum numero, quo possit *ex l.cum res in principio ff.de leg.* 1. & docent in casu fortiori Barbosa *de pot. Episc. alleg.*24.*num.* 35. Fraxinell. *de obligat. sacerd. sec.* 4. *concl.* 4. §. 8. Homobonus *de exam. ecclesiast. par.*1.*tract.*4.*cap.*23.*quæ.*121.*fine* dicentes si testator cappellaniā instituit, & non expressit, quod Cappellanus teneatur missam applicare pro anima ipsius, vtique tenetur Cappellanus ob intentionem præsumptam defuncti applicare missas pro anima illius, atque adeo hæres operatur in nostro casu iuxta id, quod debet expendendo totam summam præscriptam, & sibi nil detinendo, procurando tamen maiorem numerū missarū, quē intra limites iusti stipendij potest.

11 Imo dato, quod executor testamenti ex mille aureis retinuerit sibi centum, & inueniret sacerdotes, qui vellēt tot missas dicere, quot correspōderēt mille aureis, quod licitum putat Tābur. *in opus. de sacr. mis. lib.* 3. *cap.* 1. cum Pellezar. *in manu. cap.* 3. *n.* 13. *tr.* 6. illicitum vero Fran. Delugo *de sacram. lib.* 5. *cap.* 12. *quæ.* 5. *num.* 50. Fagund. *in* 1. *prae. eccl. lib.* 3. *cap.* 10. *nu.* 9. quos citat, & sequitur Diana *par.*10.*tr.* 16. *res.* 58. dicens se audiuisse à fide digno, illam Pellezarij opinionem fuisse à sacra congregatione damnatam, dato inquam hoc, tamen sacerdotes tenentur dicere tot missas, ad quot se obligarunt sponte, quia ipsi non passi sunt vllam iniustitiam ab executore testamenti, & contractus inter ipsum, & sacerdotes fuit validus, & iustus, nec ex eo quod hæres respectu testatoris fecerit illicitè retinēdo centum sibi ex mille assignatis pro celebratione missarum, sequitur quod hi sacerdotes possint minuere numerum missarū contra promissionem, & pactū.

12 Hanc sententiam procul dubio ostendit responsio sacræ Cōgreg.

greg. ad secundum dubium, quã responsionem aduersarij, vt fauentem sibi attulerunt, nam sacra Congregatio consulta; an illa verba, vt celebrentur tot missæ, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint: intelligi debeant de præscriptione facta ab Ordinario. Respondet, esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, & dabunt Fagundez *d. l.* 3. *cap.* 10. *nu.* 10. *in* 1. *prac. eccl.* vbi ait, posse quem [cum Clericis conuenire iuste pro minori stipendio, modo non sit minor infimo; sicut Domini possunt conuenire cũ famulis de minori stipendio cõsueto, modo illud non sit longè minus iusto; quia volenti, & consentienti nulla fit iniuria. Colligitur ex eodem Nauarr. *pred. cap.* 17. *num.* 108. [iam vero si Sacerdos roget id multo clarius patebit] Marchinus *de sacram. ord. tract.* 3. *par.* 2. *cap.* 21. *n.* 3. [temperarem tamen hanc sententiam (quod secluso decreto sacræ congregationis supra relato, possit sacerdos, cui exigua eleemosyna tradita sit numerum missarum ad competentem reducere) vt locum non haberet in eo sacerdote, qui nõ obstante tenui eleemosyna sibi cognita expressè promisit tot missas celebraturum; nam iste tenebatur stare promissis, aut seruare iuramentum, si quod fecit] Castropalaus *tr.* 22. *dis. vnica qu.* 14. *num.* 6. vbi loquens in casu fortiori, de quo etiam Marchinus, quando nimirum Sacerdos acciperet dimidium stipendium solito; tamen ait [probabiliorem existimo affirmatiuam; sic accipientem stipendiũ obligatum esse sacrificium integre offerre in fauorem illius, qui dimidiatum stipendium concessit] hæc ille. prescindendo etiã à decreto sacræ congregationis, quod omnino præcipit, ne minor missarum numerus dicatur, quam fuerit promissus. idem docent Lezana *v. missa num.* 26. iunctó etiam *nu.* 10. & 11. Tambur. *in opus. de miss. lib.* 3. *cap.* 1. §. 3. *nu.* 66. & alij, quid ergo dicerent hi Doctores in casu nostro, in quo non exiguum datũ est; sed congruum stipendium.

QVAERES VII.

Quædam vniuersitas fecit statutum à principe laico confirmatum, vt ex sex Senatoribus æqualiter diuisis ea pars præualeret, in qua esset Patritius, seu Syndicus. Quæritur, an hoc habeat locum in electione ad beneficia iuris patronatus ipsius vniuersitatis, ita vt is censeatur Beneficiarius, qui est à tribus electus, inter quos est Patritius.

SVMMARIVM.

Electio non est perfecta, quando sunt paria vota n. 1.
Electione non facta intra tempus, Episcopus eliget ibi.
Sententia affirmatiua probatur. nu. 2.
Maior pars dicitur, quæ est sanioris iudicij ibi.
Potest potestas laica dare syndico, seu Prætori Vrbis duas voces, etiam in electione ad beneficia per accidens ibi.
Cur potuerit Ecclesia irritare matrimonium sine Parocho. n. 3.
Principes sæculares: an possent impedimenta matrimonij statuere, si Ecclesia id non vetasset ibi.

† Ra-

1 Ratio dubitandi est, quia cõstat in iure, nõ esse perfectam electionem, quando sunt paria vota. sic Federic. Senen. *consi.232.n.2.fin.* Franc. Marcus *decis.134.n.1.p.* 1. Abbas *cap.cum ecclesia Vulterana n.* 11. *ver. Sed circa hoc quaritur de elect.* vbi Ioan. Andr. Dominic. Franc. & alij. In casu autem nostro vota, sunt paria; nam quod Patritius, seu Syndicus habeat duo vota, est ex statuto laicali à Principe laico confirmato; vnde non potest habere locum circa res ecclesiasticas, qualis est sine controuersia nominatio ad beneficia facta ex vi iuris patronatus, quod esse quid spirituale, satis superque diximus *de vir.relig.tr.2.lib.4.de simonia*, & per consequens cum non fuerit perfecta electio intra tempus legitimum, Episcopus habet ius eligendi, quem volet, exclusis patronis. Abbas *cap. Quoniam not. vlt. in fine* Lãbert. *de iure patronat.l.2.p.2.qu.1.ar.1.* Barbosa alios citans *de potest. Episcop.alleg.72.n.168.*

2 Nihilominus mihi videtur, præualere electionem, seu præsentationem vniuersitatis, factã à tribus Senatoribus, inter quos erat Syndicus, seu Patritius.

Fundamentum est, quia potest laica potestas facere, vt Syndicus, seu Patritius habeat duas voces, tum quia videtur duas personas repræsentare, nempè Senatoris, cum ex sua persona, & alijs quinque Senarium perficiatur, & Patritij, seu superioris cęterorum; vnde etiam potest duas voces habere ex *l. mihi, & Titio* vbi Bart. Iason, et alij scribentes *ff. de legat.* 1. tum quia maior pars debet dici, quæ est sanioris iudicij, ex Menoch. cõs. 96. nu. 12. at, qui alijs præest, vt est Syndicus, seu Patritius præsumitur sanioris iudicij, & prudentioris. Posito autem, quod Syndicus habet duas voces in omnibus decisionibus, tam circa res ecclesiasticas, quam ciuiles eas habet; neque hoc est, laicos disponere circa beneficia, nisi remotè, & per accidens. Sicuti ex eo, quod sunt Iurati facti à Prorege, possunt eligere, & nominare beneficiarium, ita ex eo, quod syndicus habet duas voces, pars syndici debet præualere, etiam in nominatione ad beneficia; neque hoc est, laicũ habere ius aliquod circa res ecclesiasticas.

3 Confirmatur, quia ecclesia nullam habet potestatem ad immutandam materiam, & formã Sacramentorum ex Trid. *sess.21. in doct. de sacram.euchar.cap.2.* at quoniam materia matrimonij est contractus ciuilis, & Ecclesia habet potestatem supra contractus ciuiles, & potest determinare, hunc numerum personarum facere contractum, & nõ alium, quando expedit bono animarum; potuit statuere, quod matrimonium esset nullum, nisi fieret coram Parocho, & duobus testibus. Quæ omnia probaui *de matrim.lib.3.d.* 4. & ob eamdem rationem *l.7.d.3.* dixi cũ Sanchez, & Pontium impugnãdo, posse Principes sęculares statuere impedimẽta, matrimoniũ dirimentia, nisi ecclesia eam potestatem illis ademisset, & sibi reseruasset ob rationem Sacramenti; quæ in matrimonio fidelium reperitur, neque Principes in illo casu disposuissẽt de rebus ecclesiasticis, & Sacramentis, nisi merè per accidens, & indirectè; per se autem, & directè statuissent, rationem contractus debere fieri hoc, vel alio modo, sic planè in casu nostro vniuer-

Ff sitas

sitas ex Principis laici priuilegio statuit, vt Syndicus habeat duas voces, hic siue nominando ad beneficia, siue ad alia, sẽper duas voces habebit, atque ita iudicatum est in Curia Regię Monarchiæ anno nisallor 1652. Insacti contingentia, cum esset Iudex R. Monarchiæ Illus. D. Aloysius de los Cameros, qui ob sua eximia merita nunc est Archiepiscopus, & Abbas Montis Regalis.

QVAERES VIII.

Caius reliquit sua bona Religioni N. sub hac forma: Relinquo omnia bona Prouinciali pro tempore mortis meæ existenti, vt is ea disponat in Prouincia, prout libuerit. Accidit autem, vt tempore mortis Caij esset in Prouincia visitator. Quæsitum fuit; an dispositio pertineret ad visitatorem.

SVMMARIVM

Ratio pro sententia affirmatiua nu. 1.

Exprimens casus solitos accidere, non excludit similes, qui non accidunt. n. 2.

Negatiua sententia comprobatur nu. 3.

Quando sit à verbis testatoris recedẽdum ibi.

Verba sunt de essentiali forma disponentis ibi.

Vbi non est verborum ambiguitas, nulla debet fieri dubitatio de intentione ibi.

Visitatore Religionum existente, an Prouincialis sit Ordinarius ib.

Commissiones factæ Vicario G. non possunt per Episcopum expediri. nu. 4.

Commissiones factæ Prouinciali, an possint per visitatorem expediri ibid.

Quid si testator mãdet, vt disponat superior Prouinciæ, qui pro tempore erit, an possit disponere. n. 5.

Cum verba sunt ambigua ad coniecturas est recurrendum. ibi.

1 Videbatur affirm. respondẽdum, quia Visitator iuxta consuetudinem in illa Religione est supremus superior totius Prouinciæ, ac per consequens illam repræsentat.

2 Nec obstat, quod testator prouincialem expresserit, & nõ dixerit absolute superiorem Prouinciæ; nã quando quis exprimit casum eo quod ita frequenter solet accidere, non cẽsetur excludere similes casus, qui non accidunt. ex Gloss. *l. 1. ver. Iudæi Cod. de his, qui ad Eccles. confugiunt & l. vnic. verb. sponsã. C. de raptu Virginum. & Clem. 1. ver. præs. de rescr.* Peralta *l. Lucius 1. n. 22. ff. de legat. 1.* Velasco *c. 1. cõs. 8. n. 2.* Costa *c. si pater ver. si absque liberis n. 26. de testã. in 6.* Rebuff. *tr. nomination. q. 5. n. 23.* & alijs. Ergo, cum testator Prouincialem nominauerit ex eo, quia frequenter hic solet præesse Prouinciæ Regularĩu, nõ est censendus voluisse excludere visitatorem, casu quo, tempore suæ mortis, is præesset.

3 Nihilominus contrarium dicendum existimaui, nimirum dispositionem dictorum bonorum pertinere ad Prouincialem, non autem ad visitatorem, fundamentum est, quia non est recendendum à verbis testatoris, seu disponentis, nisi quatenus in propria significatione verificari non possunt. *ex leg. cum mulier 96. ff. sol. matr. & l. 2. §. si publico ff. ad l. Iuliam de adult.* ac probat Sanch. *l. 10. de matr. dis. 5. n. 4.* sunt enim verba de essentiali, & intrinseca forma dispositio-

tionis; vt *ex l. si ir, qui, vel si quis cum testamētum ff. de testam.* probat Aret. *in l. qui Romæ §. duo fratres col.* 11. *in princ. de verb. oblig.* atque adeo, vbi in verbis nulla est ambiguitas, non debere fieri aliquam cōtrouersiam, quid testator senserit; tradiderunt Bartol. *in l. si arrogator. sub. n.* 27. *ff. de adopt. & in auth. hoc locū n.* 10 *si secūdo nupserit mul.* Corn. *cons.* 44. *n.* 4. *vol.* 3. Alciat. *con* 8. *nu.* 6. *l.* 1. Angel. *in cons.* 395. *nu.* 3. Roman. *cons.* 71. *n.* 6. Mantic. *de coniect. vlt. volunt. lib.* 3. *cap.* 4. per totum. Ergo, cum testator clarissime dispositionem bonorum suorum cōmiserit Prouinciali pro tempore existenti, & optimè possit in eo verificari, non est cur dicamus, eam committi visitatori, ex eo quia is tūc præest Prouinciæ. Nā visitatore existēte in Prouincia, adhuc Prouincialis est ordinarius, & omnia, prout antea disponit, nec vllū ius censetur sublatum ex his, quæ antea habuerat, ex Peyrino *t.* 1. *add. ad const. Leon. X. n.* 9.

4 Confirm. quia licet Episcopus sit Vicario superior, immo faciat cum eo vnum Tribunal: tamen commissiones factæ Vicario nō possunt per Episcopum expediri, vt tenent Federicus *cons.* 130. *factum tale est, ad fin.* Decius *cap. quoniam Abb. in noua edit. nu.* 62. *de off. delegati.* vbi Bellam. *qu.* 11. Franc. *c. dilecti q.* 5. *de appellat.* & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 8. *de matr. disp.* 27. *n.* 30. ergo multo minus dispositiones, commissæ Prouinciali poterunt per visitatorem expediri, cum sit omnino diuersum officium, nec faciant vnum Tribunal, non obstante, quod visitator sit vniuersalis superior Prouinciæ.

5 Immo quamuis testator dixerit, vt disponat superior Prouinciæ, qui tempore suæ mortis erit, adhuc puto, pertinere dispositionem ad Prouincialem, & non ad Visitatorem; qui tunc erit. Ducor, quia cum in hoc casu verbi ambigui ad coniecturas voluntatis disponētis recurrēdū sit, vt multis citatis, probat Mātica de con. vlt. volunt. lib. 3. c. 5. verisimilius est, testatorem intellexisse de superiore Prouinciæ, qui solet esse frequēter, qualis est *Prouincialis*, non de illo, qui raro solet cōstitui. Saluo, &c.

QVAERES IX.

Titius fecit suum testamentum, & in eo legauit sub hac forma: Volo vt soluantur illa centum vnciæ Monasterio A. quas reliquit meus Auus, & prout ego hactenus solui. Auus non reliquit, nisi quinquaginta vncias annuales, quamuis Titius ob suam deuotionem dederit centum quotannis. Quæritur, an debeantur centum, vel solum quinquaginta.

SVMMARIVM

Quid alij in hac quæstione senserint, & quibus rationibus nu. 1. *& seq.*

Legatum centum aureorum exigēdorum à Caio, & Mutio, an debeatur, si illi non sunt debitores. n. 1.

Verba in dubio præsumuntur posita demonstratiue n. 2.

Legatum ex falsa demonstratione, integrum debetur ibi.

Testatorem locutum taxatiuè, an demonstratiue, vnde dignosci queat n. 3.

Sententia negatiua Alexandri profertur. n. 4.

Falsa demonstratio circa substantiam legati, quando sit, & an

vitiet legatum ibi.
Verba addita post perfectam orationem, & legatum, narratiue, & demonstratiue sunt adiecta n. 5.
Quid in contractibus. ibi.
Quando testator legat sub eadem conceptione verborum, taxatiuè loquitur n.6.
Soluuntur argumenta in contrariũ n.7.8.& 9.
Legatum quãdo censeatur ademptum ex alienatione rei, vnde soluendum mandatur n. 9.
Ademptio legati in causa pia non facile præsumitur. ibi.

1 CAsus est valde difficilis, & deberi centum singulis annis responderunt duo doctissimi Iurisconsulti. Ducti primo *ex l. quidam testamento in principio ff. de legatis* 1. *& l. Lucius ff. de al. leg.* vbi statuitur, deberi cẽtum aureos, non obstante, quod testator dixerit: lego Titio centum aureos, scilicet, quod à Caio sexaginta, & à Mutio quadraginta, quæ debent, exigantur, & Caius, & Mutius non erant debitores illius summæ, ergo similiter non obstante, quod minus reliquerat auus, debentur centum annuatim monasterio, prout Titius reliquit.

2 Secundo, quia in dubio verba potius debent præsumi posita demonstratiue, quam taxatiuè ex Castr. *in l. sticbum, qui meus 6. n.1. & 2. de leg.* 1. Bald. & Salic. *l. si quis argentum §.1. C. de donat.* Felin. *in c. super litteris 20. nu. 4. col.3. in fine de rescript.* & alijs: sed quando testator facit legatum, & addit aliqua demonstratiue; legatum integrum debetur, etiã si procedat ex falsa demonstratione *l. si sic. §. cum si decem ff. de legat.* 1 *l. si libertate §.1. vbi Gloßa ff. de statu liber. l. si non designata C. de fal. cauſ. adiect. legat.* ergo.

3 Tertio denique, quia quamuis in casu nostro Titius Testator in eodem orationis contextu expresserit, deberi vncias cẽtum relictas ab auo, & sic videatur loqui taxatiuè, vt passim declarant DD. ex Gratiano *discept. tat. 988. n.23.* Felino *in cap. super litteris 20. n.4. de rescript.* Itaut si reuera non sint centum, quæ ab auo relicta sunt, non debeãtur; tamen in legatis ad pias causas ista diuersitas nõ attenditur ex Mantica *de coni. vlt. vol. lib. 12. tit.6. n. 24.* & 25. Ergo, cum Titius legasset centum ad pias causas, non obstat, quod in eodem contextu orationis, dixerit; quæ reliquit meus auus; semper enim fauore piæ causæ debet præsumi, quod locutus fuerit demonstratiuè, & non taxatiuè.

4 Cæterum, quid in hac re respondeat Alexander, audiamus. Is enim *lib.7. conſ.116. col.1. n. 2.* in casu omnino simili, in quo testator legauit: illos quadringẽtos ducatos, restantes ex illis mille ducatis apud Ioãnem fratrem, sic concludit. [Sed præmissis non obstantibus, contrarium de iure verius esse puto (nempe non debere hæredem dare vltra summam repertam apud Ioannem) per textum *in l. si seruus legatus §. qui quinque ff. de legat.* 1. vbi testator, qui quinque dumtaxat habebat in arca, sic legando, inquit; decem, quę in arca habeo Titio lego, certe legatum valebit in quinque tantum, quia falsa demonstratio circa designationem substantiæ rei legatæ vitiat legatum, vt ibi ad idem text. *in l. si sic §.1. ff. de leg.* 1. vbi si Testator dicat, lego Titio centum, quæ Seius mihi debet, si Seius non debeat, legatum nõ valet, quia similiter falsa demõ-

stra-

ſtratio in iſto caſu eſt circa ſubſtantiam legati, ſcilicet circa actionem ſibi cõpetẽtem, quam teſtator legaſſe videtur, ideo vitiat legatum vt ibi, & declarat Bart. *in l. Demonſtratio falſa in 11. column. ff. de cond. & demonſtr.* non obſtant iura allegata in cõtrarium, quia ibi teſtator purè, & ſimpliciter legauit quantitatem certam, & poſt perfectum legatum dixit, quantitatem prę ſtari volo de pecunia, quæ eſt in tali loco, vel apud talem, nã licet pecunia ibi non inueniatur, legatum debetur, & ſic, aut poſt legatum perfectum deſignatur per relatiuum, vnde legatum debeat ſolui, & procedunt iura allegata in contrarium: aut relatiuum adijcitur ſubſtantię ipſius legati, & tunc falſa demonſtratio vitiat, vt ſi dico lego tibi centum, quæ habeo in arca *d. §. qui quinque, & d. l. ſi ſic.* Secus ſi dixiſſet: Lego tibi centum, quę ſolui volo de his, quę ſunt in arca, vt etiam declarat Barthol. & alij, *quidã in l.* ad idem facit *l. ſi debitor §. veriſimile ff. de contrahẽda empt. & l. cum certus ff. de vino tri. & oleo legat. &c.*] Cum ergo in caſu noſtro Titius non dixerit: lego centum, quæ volo ſolui ex illis relictis à meo Auo. Sed lego illa centum, quę meus auus reliquit, & relatiuum, *quæ*, prę poſuerit in eadem oratione, planè oſtẽdit ſuam voluntatem eſſe, vt non aliunde fieret ſuppletio; ſed illa ſoluerentur, quę auus reliquit; at auus tantum quinquaginta reliquit; ergo tãtum quinquaginta debentur ab hærede.

5 Quod autem addiderit: prout ego ſolui vſque adhuc; non obſtat, tum quia illa verba cum ſint addita poſt perfectum legatum, cenſentur adiecta narratiuè, & demonſtratiuè, & non diſpoſitiuè, vt latè Menoch. *conſ. 337. n. 7. & 8. l. 4.* Id etiam extendens in alijs contractibus. Tum quia reuera in ſumma maiori, quam Teſtator in vita ſoluerat, verificabatur, quod ſoluerat minorẽ, nempè vncias quinquaginta.

6 Eamdem noſtram reſolutionem cõfirmat Gratianus *diſcept. forenſ. t. 2. c. 256. præſertim n. 59. 60. & 61. & to. 5. c. 988. præſertim à n. 22.* vbi ait. Doctores paſſim concludere, quod quando ſub eadem conceptione verborum, vt eſt in caſu noſtro, aliquid exprimitur, tunc teſtator loquitur taxatiuè, & ſic debent ſeruari, quæ mandat. Contra vero ſi ſub diuerſis verbis ponitur: tunc verba cenſentur poſita demonſtratiue.

7 Nec obſtant adducta in contrarium, non primum: quia ibi teſtator in vna oratione ſimpliciter, legauit centum aureos, & poſtea in diuerſa dixit, vnde erant accipienda, at in caſu noſtro dixit in eadem oratione; illa centum, quæ, &c. vt dictum eſt.

8 Non ſecundum, quia poſito, quod ſimus in eadem oratione, non eſt dubium, quod teſtator loquutus fuerit taxatiuè; hanc enim regulam, vt dixi DD. paſſim aſſignant ad dubium ſoluendum, & ad mentem teſtatoris clare cognoſcendam!

9 Non obſtat tertium, nam illa doctrina procedit in caſu longe diuerſo, nempè in ademptione legatorum, itant quamuis Teſtator, poſuerit rem ipſam in eodem contextu orationis, in qua legatum ipſum continetur, vt ſi dicat; lego centum ex domo A. & poſtea illam alienet, numquã cenſeatur legatum ademptum per alienationem ipſius rei, cum

non

non intelligatur fauore piæ causæ testator præcise voluisse ex ea re legatum solui; sed potius rem esse obligatam pro legato, vt tradũt Roman.*sing*.430.*vol*.432. Mantic. *de conie.vlt. volunt.l.* 12. *n*.16.24.*&* 25.Quam doctrinam: nimirum rem potius esse obligatam pro legato, & securitate legatarij, docuit vniuersaliter Glos. in *l.Caius, Seius cap.* 12. *in verb.neque in rem ff. de an. leg. & in l.Lucius* Titius *libertis* 12. *in verb.ex reditu in princ. ff. de alim. & cib.leg.* At in casu nostro non agitur de adẽptione legati, quã respectu causæ piæ nõ facile debemus præsumere; sed de legato, seu de summa legata, quæ debet attendi ex mente testatoris ex verbis ipsius, iuxta communem Doctorum acceptionem, & sensum.

QVAERES X.

Caius intuitu professionis in monasterio capaci fecit renunciationem legitimæ in personam fratris, & eo mortuo sine liberis, in personam alterius fratris, & suorum filiorum, nec aliud disposuit. Quæritur, an mortuis vocatis, bona renunciata competant monasterio.

SVMMARIVM.

Monasterium capax succedit in omnia bona professi, de quibus ipse ante professionem non disposuit. n. 1.

R*enunciatio sub conditione, hac deficiente, est tamquam non fuisset n.* 2.

1 RESpondeo affirmatiuè. Probatur primò, Monasteriũ succedendi capax succedit in omnia bona sui professi, de quibus ipse ante professionem non disposuit, vt fusè probat Sanch. *lib.7.sum.cap.*12.*à num.* 4. estque certa, & indubitata sententia. sed Caius in casu mortis suorum fratrum nullam fecit dispositionem legitimæ, & aliorum bonorum, vt constat ex facto, ergo mortuis fratribus, monasteriũ succedet in legitima, & aliis bonis Caij monachi.

2 Probatur secundo, quia renũciatio facta à Caio suis fratribus fuit conditionalis, si morirentur relictis filijs, & cæteris descendentibus ex Molin. *tr.* 1. *de iust. dis.*579. Azor. *tom.*2. *inst. mor. lib.* 2. *cap.* 28. *quæ.*11. Couarr. *capit. quamuis pactum p.* 3. §. 3. *nu.*2. & alijs apud ipsos docet Sãchez *lib. 7.sum.cap.7.num.*17. nam ex mẽte expressa renũciantis constat, fuisse renunciatum in fauorem fratrum, & descendentium ex ipsis, & non aliter, nec alio modo: ergo deficiente conditione, nempe existentia descendentiũ ex fratribus, & sorore, renunciatio corruit, & est tamquam facta non fuisset, & per consequẽs succedet monasterium, cum sint bona sui Religiosi professi habita ante professionem, vt docet Baldus *cons.*437.*n.*1.*vol.*1. Marãta *in disp.qu.*10.*n.*14.*&* 15. Guill. Benedictus *cap. Raynutius ver. duas habens filias n.*297. Roland. *cons.*26.*n.*34.*vol.* 3. Cephalus *ca.* 62.*n.*41.*vol.*1. Hondadus *cons.*29. *n.*79.*vol.*1. Decius *cons.*107.*n.* 19. *&* 22. Seraphin. *de priuil. iuram. priu.*21.*n.* 24. Valdes *addit ad Suar. l. quoniam in prioribus in declarat.l.regn.lim.*4. *n.* 10. Baeza *de non melioran.fil.c.*10.*n.* 6. Menoch.*cons.*335.*n.*15.*vol.*4. cum Romano, & Corneo *Tell. leg. 6. Tauri n.* 44.*&* 45. citans Salycetum, Paulum Crottum, & alios, Anton. Gomez latissimè probãs

*l.*2.

l.2.Taur.n. 11. Menchacha *de succesf.creat.l.2.§.18. n.* 146. & alij, qui non solum hoc docent, quando expressè renuncians intendit fauorem fratrum, quibus renũciauit, vt est in casu nostro, sed etiam quando tacitè, & ex præsumptionibus potest colligi eius mens.

QVAERES XI.

An Episcopus possit procedere contra regularem exemptum iuxta terminos Concilij Trid sess.25. c.14. si is libellum infamatoriũ fecerit.

SVMMARIVM.

Quid disposuerit Conc. Tridentinum circa regulares delinquentes extra claustra n.1.
Decretum Clem. 8. circa obseruationem d.Concilij ibi.
Episcopus an possit capere regularẽ delinquentem extra claustra, an solum instare, vt corrigatur n.2.
Distinctio circa positam quæstionem cuiusdam Theologi affertur n.3.& 4.
Episcopus an possit regularem punire, delinquentem intra claustra, si delictum factũ est notorium ibid.
Episcopus potest contra religiosum d.procedere, tamquam contra delinquentem extra claustra. n.5.
Delictum famosi libelli in quo consistat, & quid sit n.6.
Iniuria famosi libelli, vbi fieri cẽseatur ibi.
Episcopus potest procedere contra religiosum, qui alium verbis iniuria grauiter extra claustra afficeret n.7.
Iniuria, quæ fit scriptis, est verbalis ibi.
Existens extra ecclesiam, & emissa sagitta alium existentem in ea occidat, an censeatur occidere intra ecclesiam n.8.
Assignatur disparitas cur religiosus peccans intra claustra non possit ab Episcopo puniri, at si scribat libellum infamatorium puniri possit n.9.

1 SVpponit præsẽs quæstio Cõciliũ Trid.loc. c. statuisse vt [Regularis non subditus Episcopo, qui intra claustra monasterij degit, & extra ea, ita notoriè deliquerit, vt populo scãdalo sit, Episcopo instante, à suo Superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum, seuerè puniatur, & de punitione Episcopum certiorem faciat, sin minus, à suo Superiore officio priuetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit.] Ad huius etiã decreti exequutionem Clem. 8. an. 1596. in Bulla, quæ incipit; *Suscepti muneris*. Præcepit etiã, ne Superior delinquentem regularem extra diæcesim transmitteret; sed si id faceret, teneretur instante Episcopo, intra terminum ab eo præscriptum, Regularem reuocare, & constituere in loco, intra quem deliquit.

2 Quærimus igitur, an si Regularis faciat libellum infamatoriũ, & hoc sit notorium (quod quãdo sit, satis dixi *to.4.tr.3.d.6. à qu.* 13.) possit Episcopus illum capere, vt putat Barbosa loquens de alijs delictis, *de potest.Ep.p.* 3. *alleg.* 102.*n.*19. Portell. *in add.ad dub.regul.ver.punitio relig.extr. Conu.n.*17. vel instare apud superiorem, vt illum corrigat, &c. vt putat Laurẽ.Peyrin. *t.1.priu. minim.in const.2.Six.4.§.11.à n.* 62. Lezana *to.1.c.16.nu.*27. apud quem alia vide. Certè hunc casum,

ſum, de quo paucis ab hinc diebus in facti contingẽtia conſultus ſum, inuenire non potui apud plures Doctores.

3 Cum diſtinctione reſpondendũ eſſe putauit quidam ingenioſus Theologus, nimirum ſi Religioſus tantum ſcripſit Libellũ infamatorium, tunc non poſſe contra ipſum Epiſcopum procedere, quia delictum non eſt commiſſum extra clauſtra, prout requirunt Tridentinum, & Clem. 8. ſed intra cubiculum proprium, & ſecreto; nec quiſquam dicet, poſſe Epiſcopum procedere contra Religioſum percutientem alium intra Monaſterium, quamuis per totam Ciuitatem publicetur poſtea eius delictum, quia aliud eſt, religioſum delinquere extra clauſtra, aliud vero, quod delictum factum intra clauſtra, fiat publicum, & alijs notorium. In priori caſu loquutum eſt Concilium, & non in ſecundo, vt conſtat apud omnes.

4 At ſi Religioſus libellum affixit, tunc cum delinquat extra clauſtra *ex l. lex Cornelia* §. *ſi quis librum in verbo addiderit ff. de iniur.* vbi Iacob. de Aren. & Alberic. in princ. Angel. *nu.* 1. Farin. multos citans *t.* 3. *in crimin. qu.* 105. *n.* 458. & 406. tunc inquam, poteſt per Epiſcopum capi iuxta Barboſam d. *alleg.* 106. aut poteſt apud ſuperiorem inſtare, vt intra tempus præfinitum illum puniat, &c. iuxta dicta.

5 Cæterum dixi, contra talem Religioſum poſſe per Epiſcopũ procedi, ac ſi extra clauſtra deliquerit, ſi liber famoſus fuit publicus de ſuo conſenſu, quamuis ipſe non affixerit, puta quia alijs legit; vnde diffamatus eſt in vulgus, vel alteri ad affigendum tradidit, prout fuit in facto.

6 Fundamentum eſt, quia hoc famoſi libelli delictum conſiſtit in iniuria, qua afficitur is, qui in libello famoſo diffamatur, ſic enim definitur; compoſitio facta in ſcriptis in infamiam alicuius, eius, quod quis probare non vult, & in publico iactat, vel in loco, vbi inueniatur. *Sic* paſſim Doctores ex Syluest. *ſum. de libello num.* 4. Angel. *v. libellus famoſus initio*, Iniuria autem fuit facta extra clauſtra, & in Ciuitate, quia in ea fuit facta diffamatio, ſeu læſa bona exiſtimatio, quam Ciues de diffamato habebant, & præterea eſt notorium, vt ſupponimus, talem diffamationem factam fuiſſe ab illo Religioſo, & ex eo delicto ſcandalum oritur in populo, adeo vt Auctor infamis ſit. *l. ob Carmen ff. de teſtibus l. cum lege, & l. is cui v. inteſtabilis ff. de iniur* §. *ob carmen.* Burſat. *conſ.* 20. *num.* 55. Capra *concluſ.* 102. *num.* 199. *& alij.* Ergo Religioſus, qui librum compoſuit in cubiculo, & publicauit, iniuriam intulit diffamato in Ciuitate extra clauſtra monaſterij, & ſic reuera poteſt contra ipſum procedi, vt contra delinquentem notoriè extra clauſtra.

7 Confirmatur primo, Quia ſi Religioſus grauiter, & cum populi ſcandalo alium verbis iniuria afficeret, poſſet contra eum procedere Epiſcopus, quia re vera extra clauſtra delictum cõmittit, *ex l.* I*tem apud* L*abeonem* §. *generaliter ff. de iniurijs* ibi. [Generaliter autem vetuit Prætor quid ad infamiam alicuius fieri, proinde quodcumque quis fecerit, vel dixerit, vt alium infamet, erit actio iniuriarum.] Bart. *in d. l.* §. *ait Prætor* 2. *n.* 5. Angelus §. *quid ait n.* 1. Corrad. *ſũm. Criminal. rubr.* 24. §. *fin. n.* 1. *in fine v. omnes quidem*, Rom. *conſ.* 97. *n.* 1.

1. Sed iniuria, quæ fit scriptus est iniuria verbalis, vt latè probat Plot. *de lit. iniur. §. 46. n. 4. & est tex. l. apud Labeonem §. conuitium, & sequ. ff. de iniuriis. cap. vbi periculũ de sent. excomm. in 6.* Andr. Gayl. *obser.* 104. *n.* 1. Baiard. *in add. ad Clar. in §. iniuria n.* 35. Busar. *cons.* 64. *à n.* 3. *l.* 1. & alij, quos citat, & sequitur Farin. *tr.* 3. *crimin. qu.* 105. *n.* 439. & fit extra claustra; nam ibi publicatur; scriptio enim mera non affert iniuriam alteri: sed illius publicatio, quam primo, & per se facit ipse Religiosus suo scripto; ac si verbis illã inferret: ergo Episcopus potest procedere contra Religiosum, qui scripsit in cubiculo libellum, & illum publicauit cum scandalo, & notorietate sui delicti, eo pacto, quo potest procedere contra Religiosum notorie delinquentem extra claustra.

8 Confirmatur secundo, quia si quis existat extra ecclesiam, & emissa sagitta occidat aliquem existentem in Ecclesia non gaudet immunitate secundum communem opinionem, de qua dixi *de virt. Relig tr.* 1. *lib.* 4. *d.* 7. *n.* 5. *& disp.* 8. *n.* 18. ergo similiter quãuis Religiosus in suo cubiculo scribat librum, cum illum dirigat extra claustra, & ibi lædat famam alterius, censendus est extra claustra, & in ciuitate delinquere.

9 Et sic patet disparitas ad argumentum in contrarium adductum: nam peccatum illud, v. g. furtum, blasphæmia, fornicatio, &c. fit & consumatur intra claustra, & solum extra claustra propalatur, at diffamatio fit, & consummatur extra claustra ab ipso Religioso; Si enim tantũ libellũ scripsisset, & statim combussisset, nemini attulisset iniuriam, vt dixi: & sic cum Concilium Trid. solum subiecerit punitioni Episcopi Religiosum delinquentem notorie extra claustra, non est extendenda ista dispositio ad Religiosũ delinquentem intra claustra, quando delictum notorium est foris; quia reuera delictũ foris non est perpetratum. Contra vero amplectitur scribentem libellum in cubiculo, & alteri tradentem, vnde sequatur in populo diffamatio cum notorietate, quod à tali Religioso procedat.

QVAERES XII.

Titius legauit domum suã Monasterio in quod filius fuerat ingressus his verbis, ita quod non possit alienari sine Papæ licẽtia ante professionẽ mei filij. Quæritur, an censendus sit testator mandasse, vt post professionem filij possit alienari sine Papæ licentia.

SVMMARIVM

Quid vtilitatis afferat solutio quæstionis n. 1.
Bona ecclesiæ relicta, vt possint alienari sine Papæ licentia, an validè, & licitè sine solemnitatibus alienari queant ibi. & 6.
Prohibitio legis an cesset, cessante prohibitione testatoris n. 2.
Argumentum à contrario sensu quale sit n. 3.
Alienatio prohibita ad tempus, censetur post illud concessa n. 4.
Verba testatoris debent accipi impropriè, vt vitetur superfluitas n. 5.
Iussus non alienare ante 25. annũ, an possit post alienare ibi.

SOlutio huius Quæstionis ex vna parte non leuem habet vti-

vtilitatem; si enim testator reliquit domum cum hac conditione, vt post professionem sui filij possit alienari sine Papæ licẽtia, probabile est, non requiri in vẽditione talis domus solemnitates præscriptas in alienatione rerum Eclesię *in ca. Ambitiosæ de rebus Eclesiæ non alien.* vt putat Quaranta *v. alienatio rerum eccles. num.* 45. *limit.* 16. Vgolin. *de potest. Episc. cap.* 14. §. 7. *n.* 61. Barbosa 3. *par. de potest. Ep. all.* 95. *n.* 61. Castrop. *tr.* 12. *d. vn. pu.* 15. *à n.* 14. Pellizarius *tr.* 6. *c.* 8. *n.* 52. bene limitans, nisi obstet stylus curiæ, qui consulendus est, Bordonus *res.* 27. *nu.* 69. Ex altera vero difficilem habet solutionem.

2 Negatiuam sententiam tenẽdam esse videbatur hoc fundamento, quia cum sit generalis prohibitio legis de non alienãdis rebus ecclesiæ, & specialis prohibitio testatoris de non alienanda tali domo sine Papæ licentia, cessante post professionẽ prohibitione testatoris, non cẽsetur cessare prohibitio legis §. *affinitatis inst. de nuptijs*, vt tradunt Castreos. *cons.* 263. *circa primum quæsitum in* 2. *dub. lib.* 2. Dec. *con.* 386. *in primo dubio* Parisien. *cons.* 131. *n.* 36. *l.* 2. Ruinus *cons.* 117. *n.* 27. *l.* 2. *& cons.* 121. *n.* 9. *lib.* 3. Socin. Iũ. *cons.* 188. *fine l.* 2. Hieron. Gabr. *cons.* 132. *n.* 6. Cephal. *cons.* 143. *n.* 4. *l.* 2. Hieron. Mãfredin. *in tr. de attent. l.* 1. *p.* 6. *n.* 5. & alij absolutè docentes, quod cessante expressa prohibitione facta à testatore, duret tacita legis prohibitio; ergo multo magis prohibitio expressa de non alienãdis rebus ecclesiæ sine Papę licentia non cessabit, cessante prohibitione testatoris.

3 Nihilominus videtur Testator disposuisse, vt post professionem possit domus alienari sine Papæ licentia, & primo vrget argumentum à contrario sensu, quod esset huiusmodi, ita quod post emissam professionem filij mei, sine Papæ licentia possit alienari: nam vt probat Mantica *de coniect. vlt. vol. lib.* 3. *tr.* 17. *sub n.* 11. *ver. neque officit.* Butrius *in cap. cum Apostolicam in vlt. notab. de his, quæ fiunt à Prælatis.* Verba quæ proferuntur in sensu directo, debent repeti in sensu contrario; contrarius autem sensus hic erit, vt consideranti propositam quæstionem patet.

4 Secundo, alienatio prohibita ad tempus censetur cõcessa post illud tempus *l. pater filium* §. *fundum*, vbi Barthol. & alij *de leg.* 3. Decius *cons.* 9. *n.* 17. *ver placet vol.* 3. Menoch. *cons.* 154 *sub num.* 27. *& cons.* 152. *à n.* 60. Ergo cum in casu nostro, prohibitio alienationis sine licentia *Papæ*, sit facta pro tempore ante professionẽ sequitur quod post professionem sit concessa alienatio domus sine licẽtia Papæ, & sic domus est relicta sub conditione, vt possit alienari sine Papæ licẽtia, atque adeo non requiritur licentia sedis Apostolicæ, iuxta probabilẽ opinionem.

5 Tertio, quia verba testatoris debent intelligi, vt quantum fieri possit superfluitas vitetur, itaut verba in testamentis sint improprie accipienda; ne sint superflua *l. fundus qui locatus ff. de fund. inst.* Corn. *cons.* 237. *n.* 7. *vol.* 4. Paris. *cons.* 90. *n.* 33. *vol.* 2. Castren. *cons.* 222. *in prin. vol.* 2. Decius *cons.* 48. *n.* 2. *& in cõs.* 626. *n.* 7. & alij plures à Mantica adducti *lib.* 3. *tit.* 6. *n.* 1. sed, nisi Testator voluisset, vt post professionẽ sui filij domus alienari posset sine *Pape* licentia, superfluè di-

dixisset, vt ante professionem non posset alienari sine Papæ licentia, satis enim fuisset dicere; vt non possit alienari ante professionem filij mei, cum cõpertum ipsi esse debuerit, ac sit præsumendum, sciuisse res ecclesiæ non posse sine Papæ licẽtia alienari, vt pro certa regula statuit Menoch. *lib. 6. præ. 25. à n.* 10. vbi citat Barthol. Alexan. Corn. Soncin. Crauett. & alios plures, cum ergo addidit, sine Papę licentia, planè ostendit voluisse, vt post professionem filij, posset alienari sine Papæ licentia. Hanc sententiam videntur tenere Menoch. *cons.* 151. latè probans Alex. *cons.* 55. *num.* 7. *fine &* 8. *vol.* 3. Iason. *consil.* 173. *l.* 2. Ruinus *cons.* 76. *à n.* 6. *vol.* 2. *cons.* 112. *& vol.* 3. *cons.* 121. *n.* 8. Decius sibi contrarius *cons.* 513. *n.* 4. Sonc. Iun. *cons.* 130. l. 1. & alij, qui in casu simili, nempe si testator, qui filium hæredẽ instituit, & si decesserit sine liberis, Antonium substituit, & addidit, ne filius posset bona alienare ante 25. annum, volunt inquam, hi Doctores, posse post 25. annum filium alienare, quia censetur concessa facultas non obstante
6 vinculo fidei commissi.

Neque obstat argumentum in contrarium adductum, quia nego in hoc casu concurrere dispositionem legis prohibentis alienationem rerum Ecclesiæ; nam ex quo testator relinquit rem suam Ecclesiæ sub pacto, vt illam possit alienare sine Papæ licentia, non censetur res illa contineri sub prohibitione legis de non alienando res Ecclesiæ, sustinendo sententiam probabilem Doctorum, quos initio retuli, vnde nec Doctores ibi citati faciunt contra hanc nostram resolutionem.

QVAERES XIII.

Caius fundauit commendam militarem cum facultate nominandi duos Commendatores; moriẽs nominauit Titium cum pacto secretè inter se inito, vt per quatuor annos non peteret fructus commendæ, hæres mortuo Caio, litem mouit, quod is non potuerit commendam fundare. Datur sententia, quod commenda fuit benefundata. Quæritur, an teneatur Titius per quatuor annos non petere fructus commendæ.

SVMMARIVM.

Fundamentum pro affirmatiua sententia n. 1.

Non teneri non petere est indubitatum n. 2.

Commenda prouenit Titio non ex vi sententiæ, sed ex nominatione facta à laico n. 3.

1 Non defuit, qui putaret, Titium posse fructus tuta conscientia exigere, tum quia dignus est, vt sibi frangatur fides, cum is illam fregerit mouendo litem contra Titium, & contra pactum, quod fuerat à testatore, & ab ipso confirmatũ, cum Titio initum, tum quia iam Titius habet commendam ex vi sentẽtiæ, & vt sic dicam ex manu Iudicis, & non ab hærede, cum is cõtenderit, quantum potuit illam à Titio remouere.

2 Cęterum indubitatum mihi est, teneri Titium pacto, & sic non potest fructus commendæ per quatuor annos percipere; sed eos debet hæredi restituere. Ratio est, quia hæres non fregit fidem Titio, non enim directè venit contra nominationem fa-

ctam à Caio, quasi Caius non potuisset illum nominare, & sic voluit directè illum excludere: Sed directè procurauit annullare fundationem, prætendes, bona Caij esse hypothecata fidei commisso, & sic non esse liberũ illi disponere de his bonis pro fundatione commendæ; ergo nullam fecit Titio iniuriam, sed vsus est iure suo, mouitque litẽ non contra Titium quoad nominationem factam à Caio; sed quo ad fundationem, & sic directè contra Caium.

3 Præterea cum datur sentẽtia, quod cõmenda fuit benè fundata, Titius non remanet in sua commenda vi sententiæ; sed vi nominationis factæ à Caio, ergo illam recipit non de manu Iudicis; sed de manu Caij, & per cõsequens debet stare pacto cum eo inito, aliàs iniustitiam committit, teneturque, vel commendam renunciare hæredi, vel per quatuor annos à fructuum perceptione desistere. Saluo tamen; &c.

QVAERES XIV.

An sit in loco sacro sepeliendus infans, qui fuit baptizatus sub conditione In dubio; an natus esset viuus.

SVMMARIVM

Puer extractus ab vtero matris sine baptismo non potest in loco sacro sepeliri n.1.
Quid si moriatur in vtero ibi.
P. Ioãnes de Onofrio laudatur ibi.
Possidentis conditio melior est ibi.
Puer in dubio est in possessione vitæ, nisi probetur mortuus ibi.
Est sepeliendum in loco sacro, si nõ constet de morte ante baptismũ. n.2.
Mors est probanda ab asserente, aliquem esse mortuum ibi.
In dubio præsumendum est, non esse baptizatum n.3.
Dubitãs, an sit baptizatus an possit ad ordines promoueri ibi.
Baptizatus à Iudæis, &c. an sit iterum baptizandus ibi.
Quid si sit baptizatus ab obstetrice, vel Parocho trahentibus originem à Saracenis n.4.
Quid de baptizato ratione periculi domi à laicis, an sit baptizandus n.5.
Infans expositus cum scriptura, quod sit baptizatus, an debeat rebaptizari n.6.
Scrupulis agitatus, quod non sit baptizatus, an debeat baptizari n.7.
Quid si Episcopus, vel Sacerdos dubitet de suo baptismo ibi.

1 SVpponit præsens quæstio puerum, si natus sit, & extractus ab vtero matris, & non sit baptizatus, non posse in loco sacro sepeliri, contra vero, si moriatur vna cum matre, & ex eius vtero non fuerit extractus *ex ca. si qua de consecrat. dist.* 4. Sylu. *v. sepultura n.* 10. ad eam autem. Respondi in facti contingentia hesterna die interrogatus a P. Ioanne de Onofrio huius Domus professæ Panormitanæ secundũ Præposito, gubernandi munere, & virtutibus satis inclyto, talem puerum posse, ac debere in loco sacro sepeliri. Fundamentum est; quia in pari causa potior est conditio possidentis, nec quis debet excludi, nisi cõtrarium probetur. Sic multis relatis, Sanchez *lib. 2. de matrim. d.* 41.*n.*12. Syluest. *v. restitutio q.* 1. Lessius *l.* 1.*c.*14.*dub.*4.*n.* 43. & alij passim. Sed infans saltem in vtero matris fuit in possessione vitę, vt clarum est, fuit enim per mul-

tos

tos menses animatus; ergo non est spoliandus ista possessione, nisi probetur, iam fuisse mortuũ, cum fuit baptizatus; & per consequens præsumendum est illum habuisse baptismum dum viueret, & sic debere in loco sacro sepeliri.

2 Confirmatur, quia mors non præsumitur, & qui aliquẽ mortuum esse dicit, debet probare *ex l. 2. §. si dubitetur ff. quemadmodum testamenta aperiantur*. Bartholus, quem citat, & sequitur Menochius *l. 2. præ. 83. n. 6.* Ergo Ecclesia, quæ vult puerum excludere à sepultura ecclesiastica ex eo, quod is fuerit baptizatus mortuus, debet mortem probare, & dum nõ potest, quia vt supponimus in facto, dubitat obstetrix, an puer erat viuus, vt talis reputandus est, & per consequens, vt verè baptizatus sepeliendus in loco sacro.

3 Dices is, de quo non probabatur certo testimonio baptizatum esse, pro non baptizato est habendus ex *cap. placuit de infantibus, de consec. dist. 4.* Vnde inferunt primo, quod qui dubitat, an sit baptizatus, non potest ad ordines promoueri, vt docet Suar. *de censf. disp. 42. sec. 1. nu.* 10. Secũdo quamuis baptismus collatus à Iudæis, Paganis, &c. sit validus ex Innoc. 3. in Conc. Lateran. Eugen. 4. in Florent. Et Triden. *sess. 7. c.* 4. tamen DD. graues asserunt, baptizatos ab his personis esse iterum rebaptizandos ob dubium; quod potest esse, quod baptizantes non habuerint intẽtionem debitam, sic latè probans Quintanadueñas *sing. 3. tr* 1.

4 Immo idem dicit, Si quis fuit baptizatus ab Obstetrice, vel Parocho, qui è Saracenorum sanguine ortum habent, & non dederunt præclarum vitæ Christianæ, & fidei specimen.

5 Tertio omnes fere infantes ob periculum vitæ, vel aliam causã domi baptizatos à cognatis laicis, debere iterum sub conditione baptizari, & non baptizatos ritè præsumi, probat Syluius *in 3 par. S. Tho. qu. 66. ar. 9. dub.* 2. Quintanadueñas *sing. 5. tr. 1.*

6 Qui etiam addit sing. 9. quod est baptizandus infans inter Catholicos expositus cum scriptura, qua fit fides, quod fuit baptizatus: ergo cum in hoc casu simus dubij, an puer fuerit baptizatus, præsumendum est non fuisse.

7 Respondeo. Negando consequentiam, quia in tantum in dictis casibus dicunt DD. esse in dubio rebaptizandos sub conditione, in quantum intendunt fauorem animarum, & ipsius pueri, qui si reuera baptismum non recepit, damnabitur, vt tradunt Suar. Zambra. Layman. quos citat, & sequitur Quintanadueñas *l. cit. sing. 8. n. 4.* vbi ipse ob eamdem rationem probat cõtra communem opinionem, posse baptizari mulierem, vel aliam personam scrupulis agitatam, quod non sit baptizata. Et sing. 10. Sustinet Episcopos, & Sacerdotes dubios de suo baptismo, debere iterum ordines, &c. suscipere. At in nostro casu ratio hæc suadet oppositum, nimirum, vt dicamus, puerum fuisse baptizatum, & cum baptismo decessisse, quia sic est fauor animarum, & ecclesiæ nulla infertur iniuria; præsertim cum directè non sit dubium de baptismo, quod non fuerit collatus ritè, vel cum debita intentione, certi enim sumus rectè collatum esse; sed tantum dubitamus; an puer erat viuus, cum fuit baptizatus, &

& dicimus, quod præsumendus sit viuus ratione possessionis vitæ, saluo, &c.

QVAERES XV.

Puella duodecim annorum vouit Religionem si à morbo conualesceret. Obtinuit à Papa commutationem huius voti in votum castitatis, nunc vellet matrimonium contrahere. Quæritur an possit petere dispensationem voti castitatis ab Episcopo.

SVMMARIVM.

Episcopus potest dispensare in voto pœnali, quamuis Papa noluerit requisitus dispensare n. 1.
Episcopus potest dispensare in materia subrogata voto reseruato Papæ ibi.
Quid si materia subrogata, sit Papæ reseruata ibi.
Episcopus potest dispensare in casu posito n. 2.
Subrogatum est eiusdem naturæ eius, cui subrogatur ibi.
Noua voti obligatio sine nouo consensu non inducitur n. 3.
Commutato voto, potest rediri ad prius votum n. 4.
Acceptans voti commutationem, & in ea perseuerans, potest iterū ad prius votum redire n. 5.
Authoris sententia Sancij authoritate firmatur n. 6.

1 DVbitabant in hoc casu duo graues Theologi nostræ Societatis, Et ratio difficultatis erat, quia quamuis posset Episcopus dispensare in voto pœnali religionis, non obstante, quod vouens prius Papam adierit, et ille dispensationem denegauerit, et etiam possit dispensare in materia subrogata voto etiam reseruato, vt si Papa dispensando in voto castitatis addidisset aliquam commutationem; v. g. vt vouens teneatur dicere quotidie septem psalmos Pœnitentiales, poterit Episcopus dispensare, ne dicantur septem psalmi, vt probaui ex Sanch. *l.* 8. *de matrim. disput.* 14. tamen quando materia subrogata est aliquod ex Papæ reseruatis, vt est in casu nostro, nempè perpetua castitas, non videtur, posse Episcopum dispensare, quia iam puella tenetur ex voto obseruare castitatem: nam obligatio voti Religionis non fuit extincta; sed translata in obseruantiā castitatis, vt omnes docent cū Gaetano 2.2. *qu.* 88. *ar.* 10. *notab.* 2. & quidem in castitatem perpetuam, & absolutam, cum Papa non in pœnam; sed in maiorem vouentis consolationem eā materiam subrogauerit, neque puella acceptans aliquam conditionem posuit, immo visa est voluisse votum castitatis absolutæ seruare, & de facto per octo annos seruauit sine vlla spe matrimonij.

2 Cæterum putaui, posse Episcopum dispensare in hoc voto castitatis, ad hoc, vt puella matrimonium contraheret. Fundamentum est, quia subrogatū est eiusdem naturæ, & qualitatis, cuius est illud, cui subrogatur *l. si eum* §. *qui iniuriarum ff. si quis cautionibus. l. si donata* §. *si sponsus ff. de donat. inter vir. & vxor.* Bart. *in l.* 1. §. *si hac actio. ff. si quis test. lib. esse, &c.* Surd. *cons.* 42. *n.* 11. *l.* 1. Ergo cum votum castitatis sit per Pontificis commutationem subrogatum loco voti religionis, seu cum castitas fuerit materia subrogatā Religioni, quæ fuerat materia prioris voti, sequitur quod si prius votum religionis erat pœnale,

nale, & dispensabile, erit etiam pœnale, & dispensabile ab Episcopo, secundum votum castitatis subrogatum loco prioris voti; seu si votum in materia religionis erat dispensabile per Episcopum; erit etiam idem votũ in materia castitatis dispensabile per Episcopum.

3 Confirmatur primo, quia nõ potest induci noua obligatio voti, nisi adsit nouus vouentis cõsensus, vt de se patet, & satis probatum à nobis est *to.* 4. *tr.* 3. Nouus autem consensus vouentis non fuit in casu nostro, nisi ad hoc, vt acceptaret translationẽ prioris obligationis circa ingressum Religionis, in obseruãtiam castitatis; non autem ad alterandam naturam prioris obligationis, & ad mutandum illam ex conditionata in absolutam.

4 Confirmatur secundo, quia quando votum commutatur, intelligitur ista conditio, vt vouens possit quoties ipsi libuerit, redire ad prius votum, qualiscumque fuerit materia subrogata, vt probat Sachez *l.* 8. *de matr. disp.* 9. *n.* 21. Castropal. *tr.* 15. *d.* 2. *pu.* 18. *n.* 6. Suar. *lib.* 6. *cap.* 20. *n.* 4. Lessius *lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 26. *fin.* & alij. Ergo non obstante commutatione, facta à Papa voti Religionis, in votum castitatis, & acceptatione puellæ, potest ipsa redire ad prius votum, & ab eo petere dispensationem; nam Papa per suam commutationem non abstulit potestatem Episcopo, vel alteri habenti priuilegium commutandi votum Religionis, quando non est absolutum, nec posuit aliquod nouũ præceptum, nam si puella castitatem non seruat, facit solum contra votum, vt tradit Sanch. *l.* 4. *sum. c.* 52. *n.* 11.

5 Et per hęc patet responsio ad argumenta in contrarium adducta; negamus enim, obligationẽ voti circa castitatem esse absolutam, & strictius ligare obligatione voti religionis emissi, & præterea dicimus, puellam per illam acceptationem commutationis, & perseuerantiam longi temporis in castitate, non amisisse potestatem redeundi ad prius votum, nec renunciasse vsũ commutationis, quia hæc renunciatio non potest alia via præstari, nisi nouo voto vsum commutationis renunciando, vt loquitur Castrop. *d. pu.* 18. *n.* 10. fine.

6 Concludo igitur, posse Episcopum, vel alium habentem similem facultatem dispensare, aut commutare hoc votum castitatis, non obstante, quod Papa illud subrogauerit loco voti Religionis, & videtur aperta sententia Sanchez *l.* 4. *sum. c.* 52. *n.* 24. *vbi ait* [secundo deducitur votum semel commutatum in aliquam materiam virtute horũ priuilegiorum, vel quacumque alia potestate posse iterum quo ad illam materiam subrogatam commutari per hoc triplex priuilegium, quia cum idem voti vinculum transeat in posteriorem hanc materiam, nec hæc priuilegia restringuntur ad vnicam vicem, non est cur nequeat iterũ, atque iterum commutari ea materia, in quam est votum commutatum, & sic loquẽs de Bulla tenet Corduba sum. qu. 150.] Ita Sanch. cui certè potẽrunt dicti DD. contrarium sentientes, cedere.



QVAE-

QVAERES XVI.

An faciat contra præceptum Superioris de non adhibenda sæcularium intercessione, Religiosus subditus, si volens v.g. cathedram, Principem rogat, vt Superiori incutiat metum verberum &c. ni cathedram illi concedat.

SVMMARIVM.

Afferuntur rationes negatiuam sententiam firmantes n. 1.
Verba in odiosis quo modo interpretanda ibi.
Præceptum non adhibendi sæcularium intercessiones ad obtinẽda officia religionum est odiosum ibi.
Superior dans officium intuitu amici, an faciat contra præceptũ, ea nõ dandi ad instantiam aliorum n. 2.
Lex odiosa non extenditur de casu, ad casum similem n. 3.
Loquens per nutus cum monialibus, an incidat in excommunicationem latam contra loquentes n. 4.
Quid si loquatur per intermediam personam, vel scripto ibi.
Affirmatiua sentẽtia præponitur ibi. n. 5.
Verba in odiosis debent accipi iuxta suam naturalem significationem n. 6.
Intercedere quid significet ibi.
Lex odiosa pœnas quando extendit ad casum similem n. 7.
Faciens contra intentionem superioris peccat, esto non faciat cõtra verba n. 6.
Soluuntur argumenta pro contraria opinione n. 9.

NOn facere dictum Religiosum cõtra præceptum superioris, nec censuras incurrere (licet aliàs peccauerit grauiter (putabat contra me quidam Theologus. Ducebatur, quia cum hoc præceptum sit odiosũ, vt docent in similibus præceptis, quibus prohibentur regulares per Summos Pontifices recurrere ad sæculares personas Lezana *v. officia Religionum nu. 17. fine* Peyrin. *addit. ad cõst. Pauli V. c.* 10. *n.* 1. & alij apud ipsos; verba debent accipi strictè, quãtum proprietas ipsorum permiserit, vt ex dictis alibi à nobis, & ab eisdẽ DD. probatur loco cit. atqui adhibet minas, & indignationem sęcularium Principum nõ adhibet intercessionem, quæ secundum communem modum loquendi, qui in his præceptis est attendendus, significat potius precibus mouere, & allicere animum Superioris, quam minis terrere.

2 Hinc infert Peyrinus l. cit. n. 2 quod Superior non facit contra constitutionem mandantẽ; ne Superiores conferant dignitatem alicui Religioso ad instãtiam sæcularium; si intuitu alicuius amici daret dignitatem Religioso, vel ad simplicem sæcularis petitionem, quia non dat ad instãtiam, hæc enim (sic loquitur ipse) non denotat vnã, sed tres, aut duas ad minus petitiones sæcularis instanter, & affectuosè factas apud Prælatum.

3 Nec obstat, quod in nostro casu militet idem finis præcepti, ne scilicet sæculares intromittãtur in negotijs Religiosorum, & ne hi sæcularium patrocinio velint obtinere, quod à Superiorum voluntate debent expectare cum omni indifferentia, non inquam, militat hæc ratio, quia lex odiosa non debet extendi de casu ad alium casum similẽ, quãuis eadem, vel maior ratio militet

tet ex Sayro *Claui regia l.3.c.8.n.9.* Naldo *v. obligatio nu.*14. Layman *lib.1.tr.4.c.1.n.4.*& alijs.

4 Vnde Ioseph Ianuarius *de caſ. reſeru. reſ.* 34. quamuis putet cũ Baucio *de caſib.reſeru. eccleſ. Neap.caſ.4. fol.* 20. incidere in cenſuras latas contra loquentes cũ monialibus eum, qui per nutus, vel ſigna cum illis loquitur: At negat incidere ſi loquatur per intermediam perſonã, vel ſcripturam; quia in primo caſu eſt vera locutio, in ſecundo verò nõ eſt locutio cum monialibus, quamuis reperiatur in vtroque idem effectus, & militet eadem ratio prohibitionis: ergo ſimiliter, quamuis idem ſit effectus in caſu noſtro, & ratio præcepti; tamen quia metum incutere, nõ eſt intercedere, non ſequitur, quòd Religioſus, qui procurat, vt Princeps metum incutiat Superiori ad dignitatem obtinendam, faciat contra præceptum. Hæ fuere huius viri docti, & Pij rationes, & ſanè primo intuitu videbantur probabiliter ſuam opinionem probare.

5 His tamen non obſtantibus, omnino dicendum puto, dictũ Religioſum feciſſe contra præceptum, & incurriſſe cenſuras poſitas contra procurantes interceſſionem ſæcularium.

6 Ducor primò, eodem fundamento contrariæ ſententiæ, nimirum etiam in odioſis verba debere accipi iuxta ſuam propriam ſignificationem, & naturalem; quæ ſcilicet prouenit ex primaria hominum inſtitutione ex Salas *de leg.d.21 ſect.* 13. Suar. *de leg.lib.6.c.2.*Laym.*l.1.tr.4. ca.* 18. Lezana *v. leges regularium n.* 33. ſed interceſſio, & intercedere iuxta propriam ſuam ſignificationem, ſignificant ſe opponere verbis, aut vi ex Valla *lib.* 3. & Papinianus Iuriſconſ. *in l.virum ff. ſi quis aliquem teſt. prohib.* intercedere idem eſſe ait, ac inhibere, & cohercere, & paſſim Doctores hoc verbo vtũtur, quatenus ſignificat impedire, ne quis ſua poteſtate vtatur, ſiue impediat vi, ſiue verbis, aut blanditijs; ergo Religioſus procurans, vt Princeps minis adigat Superiorem ad hoc, vt det illi cathedram, procurat Principum interceſſiones, & ſic facit contra præceptum.

7 Secundo, tunc lex pœnalis non extenditur ad caſum alium ſimilem, quando ille caſus non cõprehenditur ſub verbis legis, ex Tiraquell. *l. ſi vnquã v. libertis n.*61.& alijs Cod. de reu. donat. ſed facere minas, & Superiorem deterrere, ne libere de cathedra v.g. diſponat, comprehenditur ſub ly intercedere, vt probauimus: ergo præceptum de non adhibẽda interceſſione, eſto vt putat aduerſarius, ſignificet inſtantiam factam precibus, &c. extenditur etiam ad illam minis factam, cum militet eadem ratio præcepti, & hic caſus comprehendatur ſub verbis legis.

8 Tertio, quia conſtat in caſu noſtro præcipientis voluntatem eſſe, vt ſubditi omnino abſtineant à quærendo medijs ſæcularibus, officia, &c. in religione, & vt plena gubernãdi libertas relinquatur ſuperioribus, vt clarũ eſt, ergo facit contra præceptũ, qui impedit medijs ſæcularibus libertatem Superioris, quamuis non faciat directè contra verba, vt bene dicitur *in reg.* 88. *de reg. iur. ibi.* [Certum eſt, quod committit in legem, qui legis verba complectens cõtra legis nititur voluntatem] & aduertit Gloſſa, & Doctores *in l.non dubiũ Co. de*

legib. vbi aiunt, eum facere contra ftatutum, præcipiens, ne quis frumentum extrahat, qui extraheret farinam.

9 Ex his manent soluta, quæ in contrarium adducebantur, dicimus enim nos accipere verba iuxta propriam significationẽ; nec duci solum ex identitate, rationis extendendo præceptum de casu ad casum. Sed quia, aut constat de intentione præcipiẽtis, aut verba comprehendunt nostrum casum, quæ rationes non militant in exemplis allatis secundum DD. tenentes, probabiliter illas opiniones; nam dicunt ipsi, scribere non est alloqui, nec in hoc militat eadem ratio, quia collocutione maius est periculum, quam in scriptura, & sic de alijs.

QVAERES XVII.

Titius, cum quædam cimbula ad littus ad naufragium vitandum appropinquaret, noluit funem porrigere; vnde miseri, qui ea vehebantur fluctibus perierunt, erat quidam Sacerdos inter eos naufragus. Quæritur, an Titius inciderit in excommunicationẽ cap. si quis suadente, & factus fuerit irregularis.

SVMMARIVM

Quid veniat nomine iniectionis manus violentæ n. 1.
An teneamur extremè indigenti subuenire ex iustitia ibi, & n. 4.
Retinens clericum in custodia incidit in excommunicationem cap. si quis ibi.
Necare videtur, qui partum abijcit, & alimenta denegat n. 2.
Non obuians clerici percussioni, an incidat in excommunicationem d. cap. n. 3.
Clericus non dans panem pauperi extremè indigenti, an eo mortuo, sit irregularis ibi.
Quid si quis non impediat homicidium, quando ex officio tenetur impedire ibi.
Non esse Titium in d. casu irregularem probatur n. 4.
Homicidium quid sit n. 5.
Faciens alteri iniuriam peccat contra iustitiam, at non omnis peccans contra iustitiam facit alteri iniuriam n. 6.
Definitur iniuria ibi.
Cur canones excommunicationem non statuunt contra permittentem, alium perire fame, &c. at statuunt contra non obuiantem homicidio ibi.
Irregularitas tantum incurritur in casibus iure expressis n. 8.
An incurratur ab eo, qui mortem alterius naturalibus causis causatam non impedit ibi.
Corollarium præcedentis doctrinæ n. 9.

1 CAsus huius decisionem, quã fortasse non ita facile apud alios reperies, difficilem mihi reddit canonum, ac legum multiplex dispositio, ac varia DD. interpretatio. Videbatur quibusdam Theologis incidisse in excommunicationem *c. si quis* 17. *qu.* 4. Ratio est quia in *d. cap. si quis* per iniectionem manus violentæ intelligitur omnis effectus iniuriosus, etiamsi non esset violentus, nec tam modus inferendi violentiam, quam effectus consideratur, ut ex Panor. *c. nuper de sent. excomm.* docet Sylu. *v. excommunicatio 6. n. 1.* & est communis; at qui negauit funẽ Clerico in extrema necessitate constituto, vt se à morte liberaret, fecit illi iniuriam *ex l. 1. ff. de iniurijs*, quia ex iustitia tenebatur illam dare, vt docent Caiet.

qu.

*qu.*118.*ar.*3.*&* 4. Spin. *specul.te-stam. gloss.*6.*n.*8. Sarmien. de do-tib.3.*p.c.*4.*a n.*3. Aragonius 2. 2. *qu.*32.*ar.*5. Alex. de Aless. 4. *par. qu.*113.*membr.* 1. Nauar. *de rest. l.*3.*c.*1.*à n.* 344. & alij apud Sãch. *lib.*1.*consf.mor.c.*4.*dub.*5.*n.*59. Dian.*par.*5.*tr.*8.*res.*2. qui eam satis probabilem iudicant, ergo incurret excommunicationem dictam, non secus ac incurret, qui Clericum detinet in custodia, licet eum non tetigerit, *ex cap. nuper de sent.excom.*

2 Nec refert, quod iste non exercuerit positiuam actionem contra Clericum, sed merè negatiuè se habuerit non præbendo funem, quia in *c. sicut dignum* §. *illi de homic.* dicitur, scriptũ esse [*qui potuit hominem liberare à morte, & non liberauit, eum occidit*] *& l.necare ff. de agnosc. & alĩ.* dicitur [*necare videtur non tantũ is, qui partum præfocat, sed et is, qui abijcit, & alimoniã denegat.*]

3 Hinc Suar. *de cens.disp.*22.*sec.*1.*n.*56. (cuius sententiam Filiucius *tr.*15.*c.*1. *de excomm. Papæ reseru. n.*33. dicit esse communem) putat, incidere in d. excommunicationem eum, qui nõ obuiauerit Clericorum percussioni, & nõ obuiãdo peccat mortaliter, siue contra iustitiam, siue contra charitatem, quia *in cap. quanta de sent.excomm.* dicitur, eos etiã incidere *in d. Can. si quis* excommunicationem [*qui cum possint, manifesto facinori desinunt obuiare.*] Ergo, cum Titius potuerit obuiare morti Clerici, præbẽdo funem, & ad hoc fuerit ex iustitia adstrictus, stante extrema necessitate, sanè incidit in excommunicationem, & per consequẽs est etiam irregularis, vt tradit Couarr. 2. *par. relect. in Clem. si furiosus* §. 2. *n.* 7. circa finem. ibi. [ex quibus poterit defendi Hostien. & aliorum opinio, vt denique in his casibus, in quibus constat excommunicationem Canonis locum habere, in eisdẽ etiam pœnam) & vitium irregularitatis constituamus propter eamdem rationem, & authoritatem textus in d. *cap. sicut dignũ* §. *ille etiam de homicidio*,] & supponit Suar. de censuris *disput.*45. *sec.*4.*n.* 7. loquens de Clerico nõ dante Eleemosynã pauperi extremè indigenti, & per hoc ille mortuus est; dat enim, hunc esse irregularem, facta suppositione, quod teneatur ex iustitia, & ratio, quam ille assignat, conuincit intentũ, et confirmat supradicta, ait enim. [Ille enim est moraliter homicida, quia priuat alium iure suo, & re sua, sibique necessaria ad defẽsionẽ, & consequenter habet moralem influxum positiuum, at iura, quæ de irregularitate loquũtur moraliter intelligenda sunt, alia vero, quæ apponunt illas particulas diminuẽtes, *videtur*, & *quodammodo*, respiciũt ad actionem materialem occidendi] sic Suar. Cui proculdubio assentiũtur alij DD. asserentes, esse irregularem eum, qui cum tenetur ex iustitia, non impedit alterius homicidium. Sic Layman. *Theol. mor.tr.*3.*sec.*5.*p.*3.*c.*4.*n.*7. Megala 3 *par.lib.*7.*c.*2.*q.*5.*n.* 89. Castrop. *de censur.d.*6.*pun.*15.§.7.*n.*3. Coninch. *de sacr. disp.*18. *dub.* 8. *nu.* 71. & alij communiter, teste Castrop. loc. cit.

4 His tamen minimè obstantibus, dixi in facti contingentia, Titium non incidisse in excommunicationem *d.c. si quis*, nec esse irregularẽ. Probo primo de excõmunicatione quia lõgè probabilius est, nõ succurrãtẽ extremè indigenti peccare solum contra charitatem, vt tradunt Lessius,

Sotus, Nauarr. Vasquez, Sãchez, & alij communiter apud Emin. Delugo de iust. *disp. 16. sect. 7. nu. 141.* ergo Titius nullam fecit Clerico iniuriam nolens dare funem, cum Clericus non habeat ius ad illum, licet grauiter peccauerit, & coram Deo sit homicida ob malum animum, vt aduertit Farinacius cum alijs, quos citat *in tit. de homicidio qu. 119. n. 5.*

5 Probatur secundo, quia etiã facta suppositione, quod Titius fuerit obligatus ex iustitia; tamẽ non fuit nec violentus percussor, aut homicida, vt supponitur in facto, nam homicidium est occisio hominis ab homine facta ex Ioanne de Andr. *in rubr. de homicid. nu. 1. & 2.* ab alijs recepto, quæ sine actione positiua, & cæsione fieri non potest *ex l. qui cædem ff. de sicarijs l. ita vulneratus ff. ad l. Aquiliam*, & videri potest Farinac. *tit. de homicid. qu. 119. n. 4.* Nec mors Clerici prout potest imputari Titio, est iniuriosè caussata; ergo non incurrit excommunicationem *cap. si quis.* Consequentia patet ex dictis in primo argumento pro contraria sententia.

6 Quod autem mors Clerici nõ fuerit iniuriosè caussata à Titio probatur, quia quamuis qui facit alteri iniuriam peccat contra iustitiam, at non quoties aliquis peccat contra iustitiam facit alteri iniuriam, nisi impropriè, & largè, iniuria enim propriè dicta, de qua loquuntur Canones, dum prohibent sub excõmunicatione eam fieri Ecclesiasticis personis, est contumelia in corpus, honore, vel fama dolosè illata, vt notant Scribentes *in tit. ff. de iniuriis*, & canones se restringunt ad iniuriam factam in corpus. Quis enim dicet, rusticum v.g. qui furatur à suo Principe, & facit contra iustitiam, inferre illi contumeliam? aut quis dicet, debitorem Clerici, & nolentem restituere, esse illi iniuriosum, & eius honorem lædere, itaut incidat in excommunicationem *cap. si quis suadente.*

7 Neque Canones cum statuũt excommunicationem contra non obuiantes facinori in Clericos, loquuntur in casu, quo quis permittit Clericum perire naufragio, vel fame, & non adiuuat. Sed iuxta probabiliorem, & cõmuniorem sententiam de eo, qui nõ impedit iniuriosã actionem, v. g. percussionem, & homicidiũ clerici, & cũ possit, & teneatur ex iustitia, illi non obuiat: quia tũc, cum censeatur moraliter esse concaussa percussionis Clerici, & iniuriæ statui Clericali factæ; voluit ius, vt excommunicationem incurreret, præcisa autem hac dispositione, certè non incurreretur excommunicatio, vt docet nouissimè Turrianus *de cens. lib. 9. disp. 64 dub. 3.* ergo cũ in iure solum sit imposita excõmunicatio contra causantes iniuriosam, vel violentam Clerici percussionem, siue physicè, siue moraliter, vt explicatum est: sequitur, quod quamuis Titius poterit dici occisor Clerici per negationem funis, attamen, quia non fecit illi violentiam, nec iniuriam neque vllam positiuam exercuit actionem contra illum, non incurrit excommunicationem, licet mortaliter peccauerit, & coram Deo sit homicida.

8 Quod autem Titius neque incurrerit irregularitatem, probatur: irregularitas non incurritur nisi in casibus iure expressis, vt omnes concedunt, at in iure non exprimitur in ordine ad cõtrahendam irregularitatem ille, qui

qui desinit succurrere extremè indigenti, vt clarum est. Ergo, hanc sententiam dabunt à fortiori Vasquez, quem citat, & sequitur Hurtado *disp.2. de irregular.diff.9.n.34.* Turrian.*de cens. li. 9.disp.65.dub.3.* Diana *par.4.tr.2. resol. 7.* & nouissimè Caspens. *in cursu Theolog.t.2.tr.25.dis. 5. sect. 7.n.38.* qui probabiliter putant, non incurri irregularitatem ab eo, qui tenetur ex iustitia obuiare homicidio, & non obuiat, [quia licet iste (sic loquitur Caspens.) sit causa moralis, seu voluntaria homicidij, quod non impedit, & consequenter influat moraliter, & voluntariè in illud; nihilominus non est causa positiua influens positiuè, vel opere aliquo, vel auxilio, vel consilio, & in iure hæc irregularitas non fertur nisi contra verè, & positiuè homicidas saltem cõsilio, aut animatione,] quæ sanè ratio multo magis in nostro casu applicari potest, cum verè non sit homicidium Clerici, sed mors causata à naufragio, nullibi autem in iure reperitur, quod irregularitas incurratur ab aliquo, qui non impediuit mortẽ alicuius infirmi adhibendo aliquod remedium, vel non accurrit ad extinguendum ignem casu fortuito accensum, in quo aliquis fuit combustus.

9 Concludo igitur breuiter (nã quæ in contrarium sunt adducta ex rationibus assignatis, corruunt manifestè) Titiũ, ex eo quod funem noluit porrigere naufragantibus, cum quibus Clericus fuit submersus, nec incidisse in excommunicationem *cap. si quis* quia nullam exercuit physicè, aut moraliter iniuriosam actionem circa Clericum, nec etiam incurrisse irregularitatẽ, quia nõ fuit causa positiua saltem moraliter influens in mortem, prout canones requirunt; esto possit dici causa moralis, & voluntaria mortis; mere negatiua. Et hoc, etiam facta suppositione, quod teneretur ex iustitia succurrere extremè indigenti, cuius tamen contrarium est verius, & magis commune Doctorum placitum, saluo, &c.

QVAERES XVIII.

An Prælatus, siue supremus, vt Generalis, siue non, vt Prior, possit dare licentiam extrahendi libros à Bibliotheca conuentus, vbi extat prohibitio Papæ, ne quisquam quauis authoritate fungẽs extrahat libros, sub pœna excommunicationis, &c.

SVMMARIVM

Sententia affirmatiua multis probatur rationibus n.1. & seqq.

Papa concedens inferiori priuilegium, non censetur priuare superiorem eius iure, quod habet. ibi.

Potest vnusquisque suo priuilegio renunciare n.2.

Prælatus regularis potest limitare, & tollere vsum priuilegiorum suis religiosis n.3.

Fratres minimi in Conuentu Sanctissimæ Trinitatis, an possint alios recipere, qui non sint Galli n.4.

Negatiua sententia amplectenda. n.6.

Papa prohibens, ne quis extrahat libros, &c. non condit priuilegiũ, sed legem n.6. & 7.

Definitio priuilegij, ac dispensationis ibi.

Argumenta in contrarium soluũtur n.7.

Lex ad instãtiam alicuius lata debet interpretari iuxta intentionem

onem instantis n. 8.

In generali locutione venit etiam persona loquentis ibi.

Qui petit à Papa prohibitionem, ne quisquam possit libros extrahere includit etiam seipsum ibi.

Subditi permittentes extrahi libros à bibliotheca, an incidant in excõmunicationem latam n. 9.

Sodalitatis superiores an possint res commodare exteris; quando extat Papa prohibitio, ne quis commodet res, &c. n. 10.

1 AFfirmatiuè responderunt quidam docti recentiores, quia hoc est priuilegium concessum in fauorem superioris, & ad eius instantiam; ergo non debet contra ipsum cedere priuãdo illum potestate, quam ratione officij, & de iure habet, quod argumentum maximè procedit respectu Generalis, vel Prouincialis, quia Papa concedens priuilegium hoc Superiori immediato v.g. Rectori non censetur priuare Generalem, vel Prouincialem iure suo, ex Pauorm. *cap. certificari n.9. de sepult.* Salas *de leg. disp.* 17. *sect.* 8. Bonacin. *de leg. disp.4. qu.3. pu.7.* §.1. *n.* 13. & alijs.

2 Secundo, quia vnusquisque potest suo priuilegio renunciare *cap. si de terra, & cap. accedentibus de priuileg. & cap. ad Apostolicam de regul. l. si quis in conscribẽdo Cod. de pactis.* vbi Doctores: ergo superior immediatus v. g. Rector, cui fuit hoc priuilegiũ concessum, ne quis possit libros è Bibliotheca extrahere, potest suo priuilegio renunciare, sinẽdo, vt extrahant illos.

3 Mediatus vero, vt Generalis potest limitare, restringere, imò etiam tollere suis subditis vsum quorumcumque priuilegiorum, etiam à Sede Apostolica emanãtium: itaut nequeãt talibus priuilegijs vti, vt loquitur Lezana *to.1. cap.* 18. *n.* 56. Portell. *in dubijs regular. v. priuilegium num.* 78. Tambur. *de iure Abb. t.1. disp.* 16. *qu.* 9. Rodriqu. *tom.* 1. *qq. regul. qu.9. ar.2.*

4 Fauet huic sententiæ Peyrinus *in const.7. Pauli V.* §. 3. *n.* 12. vbi ait, quod Fratres Gallicani Ordinis Minimorũ in Conuentu SS. Trinitatis in monte Piceno possint admittere fratres alterius nationis, si velint, non obstante constit. Pauli V. incipit *Romani Põtificis an.* 1606. prohibente, admitti fratres alterius nationis sub pœna excommunicationis, & alijs pœnis, & eius ratio est, quia, cum hoc decretum sit factum in fauorem Patrũ Gallicę Nationis, ipsi possũt hoc priuilegium renunciare.

5 Sed ego negatiuæ sententiæ adhæreo; nimirum nec Superiorem immediatum, qui petijt à Papa prohibitionem fieri, ne libri è Bibliotheca extrahantur, nec Generalẽ posse dare facultatem extrahendi libros à Bibliotheca. Moueor hoc argumento, quia nullus inferior potest dispensare in lege superioris, vt constat, ergo cum Papa statuerit legem, seu Constitutionem, prohibendo, ne quispiam quauis authoritate fungens libros extrahere, siue vt extrahantur, seu remoueantur, permittere audeat; non poterit etiam Generalis dare licentiam, vt extrahantur, nec etiam ipse valebit extrahere.

6 Quod autem Pontifex non merum priuilegium in hac bulla condiderit; sed legem, licet ad instantiam superioris, patet. quia priuilegiũ propriè acceptũ est idem, ac dispensatio, nam est concessio contra ius, & sic potest definiri [est Iuris relaxatio facta ab

ab habente potestatem relaxandi] vt probaui *de matrim. lib. 8. d. 1.* cum Sanchez, & alijs. Priuilegium vero impropriè dictum est concessio præter ius, vt ibidē dixi. In hac autem Bulla prohibente, ne quis extrahat libros, vel det licentiam, aut permittat extrahere è Bibliotheca, neutrū horum reperitur respectu Superiorum, aut fratrum; sed solum habetur prohibitio non extrahendi libros, quę & si resultet in bonum conuentus, & sic sit illi fauorabilis; tamen priuilegium dici non potest, itaut pendeat eius valor ab acceptatione Prælatorum, & possint vti, vel non prout voluerint; sed velint, nolint postquam est legitimè intimata, &c. debent illam obseruare.

Neque est nouū in iure, multas leges condi ad instantiā partis; ita vt in dubio sint explicandæ iuxta instātium petitionem, vt mox subdam.

7 Ex his facilè meo iudicio solues, quæ in contrarium sunt obiecta, nego enim, hoc esse priuilegium, & aio esse legem, quæ cum loquatur vniuersaliter, ne *quisquam quauis auctoritate fungens*, vniuersaliter est intelligēda, vt toties probauimus, comprehenditque ipsum Generalē Religionis, & ipsum superiorem, ad cuius petitionem Bulla emanauit, cum de ipsis verificetur, quod dignitate fungantur. Causa enim mouens Pontificem fuit quidem petitio; at finalis fuit conseruare Bibliothecam intactam, cuius cura non magis pertinet ad Superiores Religionū, quam ad ipsum Papam, cum sit vniuersalis Superior, & Pater.

8 Nec obstat doctrina Peyrini in *d. cons. 7. Pauli V. §. 3. nu.* 12. nam, vt alia omittam, nec exagitem, illud decretum solum spectauit fauorem fratrum Gallicæ nationis, nec alium habuit finē, nisi eorum consolationem, quare non incōgruè potest dici priuilegium, ac posse à Gallica natione renunciari, quia prohibitio, ne alij fratres alterius nationis ponerentur in Conuētu SS. Trinitatis, intelligebatur, inuita Gallica Natione, quæ faciebat instantiam; nam lex ad instantiam alicuius lata, debet explicari iuxta verba, & intentionem instantis *ex cap. dilectos §. cæteris de. fid. instrum. cap. intelligentia de verb. significat.* & multis adductis probat Mirāda *manual. Prælat. qu.* 25. *art.* 26. *conf.* 6. Lezana *ver. leges Regularium nu.* 38. Intentio autem fratrum Gallorum erat, ne superiores ad libitum possent alios fratres in eorū conuentu constituere sine beneplacito ipsorum; in casu vero nostro aliter res se habet, finis enim, vt dixi, fuit seruare Bibliothecam monasterij, immo & si spectanda est instantis intentio, & verba, ea sanè apertè concludunt nostram resolutionem; nā Superior localis ideo ad Papam recurrit, vt à potestate superiori tolleretur penitus omnis facultas inferioribus Prælatis, & & sic facilius excusarentur, nec viderentur inurbani, si ad preces alicuius Principis libros è bibliotheca remouere nollent, vnde cum ipse Superior localis petijt à Papa, vt præciperet ne quisquam possit libros extrahere, nec dare licentiam extrahēdi, planè non solum de laicis, aut subditis, sed etiam de alijs Superioribus intellexit, & de se ipso, quia in generali locutione venit etiam persona loquentis *l. Paulus* 29. *§. fin. ff. de pignorib.* & probaui *in quæst. mor. tr.* 1. *qu.* 15.

Hanc

9 Hanc sententiam apertè supponit Peyrinus *in const.* 4.*Vrb.*8. in qua ad instantiam ipsius Peyrini tunc Prouincialis, Papa mãdat, ne quisquam quauis auctoritate fungens extrahat, vel extrahere permittat libros à Bibliotheca Genuensi Ordinis minimorum, ait enim Peyrinus *in notat.*3. quod Superiores, & Bibliothecarij si permittãt extrahi, vel remoueri libros è Bibliotheca incidunt in pœnas ab Vrbano positas, siue directè, siue indirectè permittat. Subditos autem merè permittentes nõ incurrere has pęnas.

10 Vnde obiter noto, me benè dixisse his diebus præteritis quibusdam sodalibus nobilis sanè huius Vrbis sodalitatis, nempe non posse superiores commodare res sodalitatis, v. g. candelabra, flores, sericos, paramenta, &c. quia Vrban. 8. sub pœna excommunicationis, &c. prohibuit, ne in posterum possent dictæ res commodari alijs extra sodalitatem, quamuis enim Pontifex motus fuerit ad instantiam quorumdam sodalium, qui non faciebant corpus sodalitatis; tamen lex Pontificia vniuersaliter fuit prolata, & vniuersaliter loquitur, nec subest declarationi, seu moderationi Superiorum sodalitatis, quia hoc esset exercere potestatem supra legem Põtificis,

QVAERES XIX.

An Religiosus delinquens in loco, vbi non est conuentus sui ordinis possit ab ordinario loci puniri, si ibi sit ad breue tempus.

SVMMARIVM.

Facti species ponitur n. 1.

Decretum in d. sess. 6. c. 3. circa regulares ibi.

Negatiue respondetur ad positam quæstionem n. 2.

Degere extra claustra quando dicatur religiosus ibi.

Doctorum authoritate data resolutio firmatur n. 3.

Religiosus manens extra claustra cum Superioris licentia, an veniat in dec. con. d. sess. 6. nu. 3. & 4.

Manere quid importet ibi.

Quid si d. religiosus venit Montẽ Regalem sine superioris licẽtia num. 5.

1 CAsus est. Religiosus A de licentia sui superioris Panormo, vbi est monasterium sui ordinis proficiscitur Montem Regalem ad animi recreationẽ, vel ad aliquid agendum per aliquot dies, vbi non est monasterium sui ordinis, ibi committit aliquod delictum, an tunc possit ab Archiepiscopo, vel eius Vicario puniri iuxta decretum Concilij Triden. *sess.6.de reform. cap.*3. vbi decernitur, quod [*nemo Regularis extra Monasterium degẽs etiam sui ordinis priuilegijs prætextu tutus censeatur, quominus si deliquerit ab Ordinario loci tamquam super hoc à Sede Apostolica Delegato secundum canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat.*

2 Respondeo non posse, nisi delictum fuerit notorium, & cum populi scandalo iuxta terminos Conc.Trid. *sess.*25. *c.* 14. vt supra dictum est. Ducor, quia dictus Religiosus quamuis extra claustra deliquerit, vt supponitur in facto; tamen non degit extra claustra, degere enim non denotat vtcumque extra claustra reperiri, sed longam perseuerãtiam ex Cic. 1. *de offic.* Id sibi quisque

que genus ætatis degendæ constituit, quod maximè adamauit, & alibi pluries. Vnde non benè quis diceret de Petro, qui alicuius negotij causa Panormi reperitur, eum Panormi degere, aut si paucis diebus desint nummi, vitam in paupertate degere. sic in terminis Peyrinus *to.1.const. 1. Sixt.4.n.29.* vbi ait [non dicitur extra Monasterium degere, qui causa prædicationis, vel eleemosynæ, vel alicuius rei ad tēpus, & non permanenter extra Monasterium moratur] quod etiam tradit Lezana *to.1.ca. 11. n. 10.* ergo talis religiosus, qui discessit Panormo, & Monte Regali, vbi nō est Monasterium sui Ordinis per aliquot dies moratur, non comprehenditur in d. Decreto Concil. *sess. 6.* vt possit ab Episcopo loci puniri tamquā degens extra claustra.

3 Contra hanc meam resolutionem neminem ex Auctotibus siue antiquis, siue recentioribus contradicentem vidi; nam qui negant, religiosum extra claustra manentem cum Superioris licentia posse dici degere intra Claustra, vt Campanil. *in diuers. iuri. rubr. 13. c. 12. n. 22. fine* Piasec. *Praxi Episc. p. 1. c. 3. n. 42.* quos refert, & sequitur Barbosa *de potest. Episc. alleg. 105. n. 16.* quem immerito pro contraria sententia allegat Peyrinus *Addit. ad const. Sixti IV. c. 2. nu. 17.* apertè loquuntur de diuturna habitatione extra Monasterium; nam ducūtur auctoritate Emin. Cardinalium, quorum declarationē referunt, quæ ita sonat. [Regularis manens extra claustrum de licentia superioris, etiam in domo deputata ad erectionem monasterij, nisi in dicta domo sit regularis obseruantia, vt saltem viuat sub superiore conuentualiter, si deliquerit, potest puniri ab Ordinario] vbi ly manet, non dicit perfunctoriam, vt ita dicam, & breuem moram, sed permanentiam iuxta illud Virg. *Aeneid. 1.* Manet alta mente repostum iudicium Paridis, &c. prout varia eruditione locupletās intelligit rectè Lacerda ibid. & de facto dictum Sacræ Cōgregationis decretum in hoc sensu intelligit Peyrinus mox citandus, vnde non est contra nos.

4 Qui vero putant, Religiosum de licentia Superioris manentē in quocumque loco non posse dici esse extra Monasterium à fortiori nobiscum sentient, vt adductis Panor. *in ca. ex rescript. de iure iuran. n. 5.* Sylu. *v. Religio 3. qu. 29. ver. secundo inducitur.* Nauar. *com. 4. de regul. n. 47 ver. Aduertendum tertio.* Passarel. *in schol.* ex Genuensi *n. 21.* Henriq. *lib. 6. c. 24. n. 3. in com. lit. O.* docet Peyrinus *in const. 2. Sixt. 4. nu. 22.* vbi loquens de Decreto Cōc. *sess. 6. de reform. c. 3.* à nobis relato, sic concludit. [Ad summum ergo puto, habere locum istud Decretum, quando Regularis degit in aliquo loco distanti admodum à suo conuentu, & ad longum tempus, puta si detur alicui licentia exeundi conuentum ad subueniendum parentibus inopia laborantibus, & hic degeret in loco, vbi non esset Conuentus suæ Religionis, tunc benè posset Ordinarius loci, virtute huius decreti illum punire, &c.]

5 Immo puto, quod quamuis dictus Religiosus venerit Mōtem Regalem sine Superioris licentia, & ibi deliquerit, non poterit per Episcopum loci puniri, quia Cōcilium Triden. dum dat facultatem Ordinario puniendi Religiosum exemptum, non cōsiderat solum delictum; sed etiā,

& indiuißibiliter, quod Ille degat extra Monasterium; qui autem sine licentia reperitur in aliquo loco extra Monasterium, non potest dici degere, seu, vt Sacra Cōgregatio loquitur, manere extra Monasteriū, vt probaui. Hoc apertè docet Peyrinus *addit. ad constit. Sixti IV. c.2. n.27.* vbi ait de d. Decreto Concilij *seß. 6. cap. 3. de refor.* [Neque etiam intelligitur de ijs Regularibus extra Claustra degentibus absque licentia, quos ad Religionem reducere procurāt Prælati] ergo multominus est intelligendum in casu nostro, in quo religiosus, quamuis sine licentia exierit; tamen sine Prælati coactione reuersus est intra triduum v.g. ad monasterium: sed solum exierit animi causa, licet contra debitam obedientiā Prælato.

QVAERES XX.

An Iudex, seu Aßessor laicus Episcopi gaudeat priuilegio immunitatis à gabellis, &c.

SVMMARIVM.

Episcopus non potest laicum vt Iudicem constituere ad omnes causas clericorum n. 1.
Potest tamen aßessorem eligere laicum nu. 2.
Assessor Episcopi non gaudet exemptione à tributis ibi.
At gaudet fori priuilegio ibi.
Officiales curie Episcopalis cur gaudeant fori priuilegio n. 3.
Priuilegiatus si non potest commode suo priuilegio vti, familia illo gaudet ibi.
Clerici coniugati gaudent fori priuilegio, at nequaquam sunt à gabellis immunes num. 4.
Qui sint ministri Episcopi, qui gaudent foro ibi.
Confirmatur tradita resolutio doctorum auctoritate nu. 5.
Famuli clericorum quando gaudent foro ibi.
Famuli clericorum quando nam sint à gabellis exempti n.6.
Exponitur germanus intellectus epistolarum Emin. Cardin. n. 7.
Quid senserit Squillante, *dum ait, famulis clericorum competere immunitatem à gabellis. n.8.*

1 Dixi Iudicem, seu Assessorē, quia suppono, Episcopū non posse laicum constituere ad omnes causas clericorum cognoscendas ad hoc, vt tamquā iudex ferat sententiam; sed solum potest assumere sibi assessorem, cuius consilio ipse, vel eius Vicarius sententiam proferat, sic Barbosa de potestate Episc. *alleg.* 108. alios allegans, Sanch. *lib.7. de matrim. dis* 46.*n.*14.& innumeri apud ipsum, de hoc ergo ad quæsitum

2 Respondeo negatiuè, quia esto gaudeat priuilegio fori tāquam vnus de familia Episcopi ex eo, quia est deputatus ad aliquod officium in curia Episcopali *ex l. fin. cod. de prox.* Bart. *in l.1.* [6] *familia n.5. ff. de trib. & vectig.* Mascard. *de probat. conclus.* 756.*n.*1. Farin. prax. crimin. *quæs.* 55.*n.*135. & alijs, quos citat, & sequitur Barbosa de potest. Epis. *alleg.* 107,*n.*11. (nam in terminis de assessore Episcopi, quod gaudeat fori priuilegio neminē tractantem vidi) tamen ex hoc, quod gaudeat fori priuilegio, & sit exemptus à foro sæculari, nō sequitur, quod non sit subditus in alijs Regi, seu Principi; nam aliud est forum sortiri; aliud subditum esse, vt ex Gaill. *obseruat.* 37. *num.* 15. *lib.* 2. notat Gratian. di-

*discept.forens.cap.*431.*n.*15. ergo, cum sit subditus Regi, excepto foro, tenetur ad præstanda onera à Rege subditis imposita, nec censendus est ab his immunis, ex eo quod sit de foro Episcopi.

3 Confirmatur primo, quia ratio, ob quam Doctores tradunt, Magistrum Notarium Episcopi, & alios officiales Curiæ, fiscalem scilicet, nuntios, &c. gaudere priuilegio fori, est, quia cum sint necessarij ad iurisdictionem Episcopi exercendam, esset magnum incommodum Episcopo si extra suum forum traherentur, vt videri potest in Gratiano *l.cit.* Vnde tradunt rationem vniuersalem; si priuilegiatus non potest commodè vti suo priuilegio, semper familia gauderet eodem priuilegio. Niger in *Clem.*1.*de vit.& honest.cler. cõclus.*4.*n.*23.Felin.*in c.*2.*nu.*2.*ver. Generaliter de foro compet.*Bart.*in tr.de repræsal.qu.*7. *quæst.principal.*& alij, quos sequitur Carauita *in rit.Curiæ Neap.rit.*46. *n.*28. quæ sane ratio in solutione Gabellarum non militat.

4 Confirmatur secundo, quia priuilegium fori est diuersum à priuilegio immunitatis à gabellis, itaut de facto Clerici coniugati gaudeant priuilegio fori; non vero immunitatis a gabellis, vt tradit Gloss. cum omnibus scribentibus *cap.vn. ver. in cæteris de cleric.coniugat.n.*6.Couarr. alios referens *quæst.pract. c.*31. *n.*9.Azor.*l.*13. *inst. mor. cap. vlt. qu.fin.* ergo ex eo quod Iudex, seu Assessor Episcopi gaudeat fori priuilegio, nõ gaudebit immunitate à gabellis, & de facto Doctores omnes quamuis concedant, priuilegium fori Magistro Notario, & alijs ministris Curiæ Episcopi, at cum agunt de his, qui gaudent immunitate à gabellis, hos non nominant, vt videri potest in Squill. *de priuil.cleric.vbi c.*7. agens de priuilegio fori *n.* 54. 55. *&* 56. dicit, hoc priuilegio gaudere Magistrum Actorum, familiam Vicarij, Nuntios Episcopi, Notarios, & alios officiales. cap. vero 8. dũ loquitur de priuilegio immunitatis à gabellis, &c.& de his, qui eo gaudent, nullam de Notarijs, aut alijs officialibus facit mentionem.

5 Hanc sententiam apertè tradit Castropal. *to.*2.*tr.*12. *disp. vn. pun.* 2. *n.* 10. vbi numerans eos, qui gaudent priuilegio fori, quatenus hoc priuilegium includit, vt ipse loquitur eadem *disp.p.* 1. *n.*2.*&* 3. exemptionem in causis spiritualibus, & in causis temporalibus, solutione tributorũ, punitione criminum, obligatione legum ciuilium: ait. [Nono hoc priuilegium fori extendi dicitur non solum ad Clericos, sed etiam ad eorum famulos, at hoc intelligendum est non de quibuscumque famulis, aut de quocumque Clerico, sed solum de famulis Episcoporum, qui proprie famuli, & serui sint nõ mercede conducti, vt latè, & eruditè tradit Decianus *to.*1.*lib.*4.*c.* 9.*n.*47.*&* 57.Farin.*prax.qu.*8. *nu.* 46. & facit textus *in cap. final.de offic.Archid.* Item non debet intelligi spectato iure communi, quia nullus est textus, vt benè expendit Suar. *lib.* 4. *de immun. eccles.cap.*29. *n.*10. hanc exemptionem probans, & præcipuè stante Trid.est manifestum, quia Tridentinum omnes in minoribus constitutos excludit à priuilegio fori: nisi habeant beneficium, &c. quo circa solum ex consuetudine intelligendum est; quæ consuetudo rationabilis est, vtpotè quæ iurisdictionem, &

auctoritatē Episcopalem fouet. cum autem *in cap. ecclesiarum seruos* 12. *qu.* 2. Serui Episcoporum, & Clericorum ab oneribus eximuntur, id est, quia inter bona Domini computantur.]

6 Apertius sanè Menoch. *l.* 2. *de arbitrarijs cent.* 6. *cas.* 562. *nu.* 17. vbi loquens de priuilegio concesso Clericis ab exemptione à gabellis ait. Illud non competere famulis, seruis, & colonis Ecclesiæ, quia est priuilegium personale, nisi famuli, & serui sint perpetuo obligati inseruire Ecclesiæ, & affert Bald. *in l.* 1. *nu.* 2. *& in l.* 2. *n.* 4. *cap. de Episc. & Cler.* Federic. de Senis *cons.* 111. *nu.* 10. Abbat. *cap. non minus n.* 14. *de Immun. Eccles.* Ripam *in tr. de Peste in tit. de remedijs ad conseruand. vbert. n.* 128. Ant. Nigr. *in extrauag. vn. n.* 88. *de vit.* & *honest. Cler.* Gam. *cons.* 102. *n.* 15. *in ciuilibus* Thesaur *dec.* 116. *n.* 12.

7 Neque nostræ opinioni obstant ea, quæ affert eruditiss. Diana *p.* 6. *tr.* 2. quia tam ipse, quam Doctores ab eo allegati, & Epistolæ Emin. Card. de mandato SS. D. N. Vrbani 8. loquuntur de priuilegio fori, quod bene stare potest sine priuilegio immunitatis à gabellis, vt diximus.

8 Nec obstat secundo doctrina Squillan. *de priuileg. cler. cap.* 8. *n.* 17. vbi ait, hęc priuilegia Immunitatis à solutione gabellarum, &c. competere famulis, seu seruitoribus Clericorum. Nam dico, id debere intelligi de seruis perpetuo seruientibus, vt dixi ex Menochio, & alijs, quibus adde in terminis terminātibus Carolum de Graffis *de effect. Cleric. priuileg.* 3. *nu.* 152. Loderch. *cons.* 103. *n.* 15. *lib.* 1. vbi dicit, quod hoc omnes habent pro absoluto Bursat. *cons.* 25. *n.* 15. *lib.* 1. Vran. *cons.* 8. *n.* 4. *vers.* 4. *lib.* 1. Io. Aloys. de Leo, *in l.* 1. *n.* 5. *Cod. de Episcop. & Cler.* & alij apud ipsos.

QVAERES XXI.

An Episcopus, vel alius, cui committitur dispensatio pro foro externo, possit pœnitentiam à Papa assignatam in aliam commutare.

SVMMARIVM.

Explicatur quæstio proposita. n. 1.
Negatiue respondent alij, n. 2. *&* 3.
Episcopus potest pœnitentiā iniunctam à Papa pro foro conscientiæ commutare n. 2.
Affertur ratio fundamentalis negatiuæ sententiæ n. 3.
Affirmatiua sententia solido stabilitur fundamento. n. 4.
Varia exempla ex Sanchez, & alijs, in quibus delegatus potest procedere non seruata forma præscripta n 5. *& seq.*
Excommunicatio cōtra Ministros sanctissimæ Inquisitionis extorquentes pecuniam modis illicitis ex cle. 2. *de hæret. à quibus possit absolui ibi.*
Recipientes munera à religiosis, an possint absolui, non facta prius restitutione ibid.
Quid dicendum si sint data, vel accepta pro iustitia, vel gratia in curia Rom. ibid.
Tenentes decimas, an possint absolui, si sint impotentes ad restituendum. n. 6.
Ostenditur in d. clem. poni formā nu. 7.
Conditio suspensiua, & formam inducens quæ sit n. 8.
Verbum possit, quid importat. ibi.
Actus non vitiatur si desit conditio large accepta n. 9.
Confirmatur in d. clem. dari formam, & conditionem suspensiuam. n. 10.

Quid

Quid in alijs exemplis allatis per Sanchez n. 11.
Regula generalis ad cognoſcẽdum, quando poteſtas delegata ſit cõceſſa cum conditione, & forma nu. 12.
Practicatur d. regula varijs exemplis nu. 13.
Confirmatur ex Trid. n. 14.
Actus à delegato geſtus contra formam traditam in delegatione, quando ſit nullus. n. 15.
Afferuntur Doctores ad confirmationem d. reſolutionis n. 16.
Matrimonium in caſu grauiſsimo, & extrema neceſsitatis, an poſſit ſine Parocho contrahi. n. 17.

1 CAſus frequenter accidit, in diſpenſationibus ad matrimonium cum inceſtuoſis, & alijs quorum diſpẽſatio committitur Epiſcopo, vel ordinario cũ taxatione pœnitentiæ v. g. vt ſeruiant ad minus tribus menſibus Eccleſiæ, vt pœnitentiam publicam faciãt, & quærimus, an poſſit ordinarius diſpẽſaturus tamquam Papę delegatus ex iuſta cauſſa, v. g. ob debilitatem ſpõſi, vel infirmitatem, pœnitentiam commutare, ſcilicet loco ſeruitij eccleſiæ, vt ieiunet, vel det talem eleemoſynam, &c.

2 Ad hunc caſum videtur negatiuè reſpõdendum ex Genueuſ. *in pra. cur. Archiep. Neap. c. 21. n. 2.* vbi ſic ait. [fuit dubitatum in Curia Neapol. an poſſit delegatus, cui commiſſa eſt diſpenſatio matrimonialis commutare pœnitentiam iniunctam viro inceſtuoſo, quod operam ſuam conferat fabricę Eccleſiæ, ſi ſit perſona nobilis, vel delicata, Et quãuis Epiſcopus poſſit ex cauſa commutare pœnitentiam iniunctam à Papa iuxta Gloſs. *in cap. tempora 26. qu. 6.* Felin. Decium, & alios, *in cap. at ſi Clerici §. de adulterijs de iudicijs*, id procedit in foro conſciẽtiæ non exteriori iuxta Decium *in d. § de adulterijs nu. 31.* tanto minus in delegato, qui tenetur ſeruare formam commiſſionis. Nihilominus fuit dictum poſſe, hanc commutatitionem fieri à delegato, ſi quidem diſpenſatio non adſtringit ſe ad fabricam tãtum, vt indicant illa verba, vel alteri pio loco, quæ fuiſſent poſita in genitiuo, non in datiuo, v.g. (vel fabricæ alterius pij loci) & re delata ad Vrbem fuit anno 1601. reſcriptum Curię Archiepiſcop. Poſſe fieri talem commutationem.] Ex quibus vides, Genuẽſem in tantum concedere, quod Ordinarius, cui committitur diſpenſatio matrimonialis, poſſit commutare pœnitentiam ſeruiendi fabricæ Eccleſiæ, in quantum putat, illam pœnitentiam non eſſe determinatè taxatam; quare ſequitur iuxta eius doctrinam, quod ſi pœnitentia eſt determinata, non poterit delegatus illam commutare.

3 Expreſſe illam docet Theſaurus *in prax. de pœnis p. 1. c. 2.* quãuis citet Genuenſem pro affirmatiua ſententia, teſte Diana, *p. 7. tr. 10. reſol 9.* ſed meo iudicio Genuenſis eſt etiam pro negatiua, vt dixi, pro qua eſt Bardi *in ſelect. lib. 4. qu. 5. nu. 5* vbi afferens Conradum *in praxi diſpenſ. l. 8. cap. 6. nu. 53. & ſeq.* Marcum Paulum de Leone *in praxi ad litteras Pœnitentiariæ par. 3. de diſpenſation. malę promotionis ante ætatem §. pœnitentia*. Genuenſem in praxi Curię Archiep. Neap. *c. 2. n. 3.* qui omnes docent nõ poſſe ordinarium diſpenſare antequam pœnitentia, à Papa impoſita, vt præſtanda ante matrimonium, expleatur. Vnicum horum Doctorum fundamentũ, quod

quod latè, vt mox videbimus exagitat Bardi l. cit. est. quia illa executio pœnitentiæ est imposita à Papa sub conditione, & per modum formæ substantialis, vt loquitur Bardi, ergo deficiente conditione, & non seruata forma substantiali deficit Pōtificis intentio committendi delegato dispensationem, & sic delegatus dispensans id facit sine potestate, & sic dicent, cum Papa pœnitētiam determinet, non posse ordinarium illum mutare.

4 Cæterum ego, cum de hoc casu consultus fuissem non multis ab hinc diebus à doctissimo, & prudentissimo Societatis nostræ Religioso in affirmatiuam sententiam propendebam: ductus, quia non obstante, quod commissio sit facta a Papa sub conditione, & tradita forma, itaut ea non seruata nolit Pontifex dare auctoritatem Commissario, seu Delegato; tamen ex benigna interpretatione voluntatis Pontificis rectè possumus asserere, ipsum non intendisse negare facultatem dispensandi suo delegato, quando conditio, & forma ab ipso præscripta nō potest obseruari; sed tunc contentum esse, vt conditio à se imposita per æquiualens impleatur, facta commutatioue per Delegatum.

5 Hanc doctrinam sumo à doctissimo Sanchez *l. 2. sum. cap. 20.* is enim multa affert exempla, in quibus Papa committit potestatem Delegato sub præcisa conditione, & forma assignata, & tamen dicit, posse Delegatum vti potestate, non impleta conditione, seu non obseruata forma, quando ex aliquo casu ea non potest seruari. Nam cum n. 18. dixisset, excommunicationem *in Clement. 2. de Hæret.* latā contra Inquisitores, & eorum Commissarios extorquentes pecuniam modis illicitis ratione officij, non esse Papæ simpliciter reseruatam [sed eius absolutionem permitti cum quadam conditione ibi: à qua non possint absolui præterquam in mortis articulo, donec illis à quibus extorserint, plene satisfecerint de pecunijs sic extortis, nullis remissionibus super hoc valituris] Per quam concludit, quod vt possit inferior Pontifice absolutionem huius excommunicationis impertiri, oportet antea cum effectu impleri hanc conditionem.

6 Tamen n. 19. subiungit. [sed difficultas est, an restituendi impotentia excuset ad eum effectū, vt possit inferior ab hac excommunicatione absoluere absque reali satisfactione, sed sola restituendi cautione sibi possibili tradita. Negat Suar. num. præced. relatus, quia hoc in mortis articulo exigitur ad absolutionem, hanc ritè concedendam, & tamē in illo textu solus mortis articulus excipitur; ergo illo articulo excepto, est necessaria realis satisfactio, aliàs excommunicatio manet Pontifici reseruata. Verū existimo id intelligendum esse, si hi extorquentes sint satisfaciēdo: quare quando paupertas excusat, poterunt ab inferiori absolui. Nec obstat illa articuli mortis exceptio, tum quia tacite intelligebatur, & ideo eius expresio nil operatur, tum quia in eo non præmissa hac reali satisfactione, nec excusante paupertate, valeret vtique hæc absolutio, cum in eo articulo illa non petatur; at extra illum ea non valeret. Et ideo hanc partē sustinēt Gloss. *ca. Clem. 2. v. satisfecerit*, & ibi Imola *nu. 7.* & Cardin. *in 1. opposit. n. 5.* Bonifac. *nu.*

92.

92. D. Anton. 3 *p. tit. 24. c. 8.* Sylu. *ver. excommunicatio 9. cas. 42. nu.* 81. Tabiena *ver. excommunicatio 5. casu 4. qu. 17. n.* 18. Nauar. *sum. c. 27. Hispan 1 n.* 143. *Latina num.* 142. Atque sũt alij casus similes, vbi idem tradunt Doctores, nã in motu proprio Clem. 8. de largitione munerum interdicta Religiosis, sic dicitur de recipiẽtibus munera ab illis, restitutione ipsa realiter non facta, neque etiam in foro conscientiæ absolui possunt, & tamẽ Sousa in eius expositione n. 96. dicit intelligi, quando moraliter possunt restituere, & Gregor. 13. in suo motu proprio de datis, & acceptis pro iustitia, vel gratia sic ait. (*nec quisquam admittatur ad absolutionis gratiam, nisi prius erogatum esset pauperibus quantum ille dedisset, vel recepisset*) & tamen Nauarr. *in comment. illius n.* 38. ait, Posse hos absolui, quando impotentia restituendi excusaret, sicut ab alijs restituendis excusat iuxta, inquit, tradita à nobis in summ. c. 17. nu. 56. vbi idem Nauar. ait, posse absolui, restitutione non præmissa, non solum, qui nullo modo potest; sed etiam qui commodè nequit, eo quod periculum vitæ, famæ, aut magni bonorum detrimenti imminet; & Molina *to. 1. disp. 92. col. 3. ver. Pœna*. Explicans eumdem motum proprium dicit intelligendum, quando per absoluendum stat quominus restituatur.]

7 Hæc Sanch. subdens aliud exemplum ex Concil. Tridẽ. *sess. 25. de reform. c.* 12. In quo præcipitur, ne retinentes decimas absoluantur, nisi plena restitutione sequuta, & tamen ob impotẽtiam restitutionis possunt absolui per Nauarr. Molin. Manuel relatos apud ipsum. Ergo in casu nostro, non obstante, quod Papa assignet pœnitentiam imponendam, & ea intelligatur posita, vt vera conditio, & forma, nimirum, vt non dispenset, nisi prius peracta fuerit hæc, vel illa pœnitentia assignata; poterit Ordinarius Delegatus *Papæ* dispensare, pœnitentia illa non peracta, quando adest moralis impotentia, & hoc dabũt ipse Sãchez, & auctores ab eo assignati, quandoquidem docent, quod non obstante concessione, & facultate delegata à Papa sub conditione, & forma tradita, potest delegatus absoluere, non impleta ea conditione, & forma, quãdo non potest impleri.

8 Solum mihi probandum remanet, in prædicto casu, in quo loquitur Sanchez, fuisse à Papa assignatam conditionem verè suspensiuam, & sic formam substantialem ex *l. Mæuius ff. de cõd. & demonstrat.* & notat Felin. *Ca. cum dilecta n. 6. de rescript.* Vasq. *de succ. creat p. 1. l. 1. §. 4. n. 26.* vbi addit, omissionem, quæ inducitur per conditionem vitiare sẽper dispositionem ex communi sententia. Primo inquam, probo auctoritate ipsius Sanchez, qui d. n. 18. vt vidimus; dicit illam excommunicationem posse absolui ab inferiore Papæ, cum quadã cõditione, & ad hoc vt ostẽderet, se loqui de conditione suspẽsiua, & inducente formã, & nõ de cõditione large accepta, seu modo, vt ipse loquitur *l. 3. d. 33. de matrim.* addit. [quare, & si in alijs casibus censeatur parti satisfactum qualitercumque cum ea conueniatur, ac ei placeat *l. 1. ff. qui satis dare cogantur. l. si rem. omnes ff. de pignorat. act.* at vt posit inferior Pontifice absolutionem huius excommunicationis impertiri, id non suffi-

sufficit, sed oportet antea cum effectu impleri hanc conditionem] vbi vides per Sancium *in d. tex. clem.* 2. assignari veram conditionem, & suspensiuam actus, ita ut absolutio data sit nulla, nisi præcedat restitutio, hoc enim importat ly *vt possit* ex Naldo, *in summ. v. clausula* §. *non potest.* Greg. Lopez, *lib.* 2. *verb. frailes. tit.* 10. *par.* 6. Sanch. *l.* 9. *summ. c.* 12. *nu.* 10. & alijs. Conditio autem suspensiua, seu vera conditio importat formā, vt vidimus ex Doctoribus cit. & ex ipso Sanch. *lib.* 3. *de matrim. disp.* 33. & Bardi loco cit. vbi vt synonima vocat conditionem, & formam substantialem.

9 Id etiam patet ex eo, quia si per Sanchez in d. clem. non traderetur facultas absoluendi ab excōmunicatione sub vera conditione, et forma, non posset ipse consequenter ad sua, et cōmunia principia asserere, prout sępius dicit, ad valorem absolutionis requiri, vt omnino fiat restitutio: nam satis superque *lib.* 3. *de matr. disp.* 33. docuerat defectu conditionis appositæ, quæ reuera talis non est; sed potius modus, et largè appellatur conditio non vitiari actum, & videri possunt, quę ego dixi contra Pontium ibid. in fine *disp.* 13. *&* *in qu. mor. tr.* 1. *disp.* 2. *qu.* 24.

10 Neque diceret, esse difficultatem, an possit in d. excommunicatione dari absolutio valide, quando est impotentia satisfaciendi, quia vt dicebam, si non fuisset vera conditio suspensiua, absolutio data valeret absque vlla difficultate, & esset etiam licitè impertita ob impotētiam satisfaciendi: manifeste igitur patet, Sancium intelligere in *dict. clem.* 2. *de Haret.* facultatem absoluēdi delegari inferioribus Papa sub conditione, & forma substantiali, vt prius fuerit facta plena, & realis restitutio, & tamen putare, in casu impotentię posse delegatum absoluere, nec esse intentionem Papæ pro eo casu negare facultatem.

11 Hinc patet idem sentire Sanchez de alijs exemplis ab ipso allatis, nempe importari ibi formam, & conditionem, & tamē ob impotentiam eius, qui est absoluendus actum gestum à delegato, non seruata conditione, quam Papa apposuit, valere, nam ad confirmandam suā sententiam affert illa exempla, & ait. [atque sunt alij casus similes, vbi idem tradunt Doctores.] si autem in his casibus non esset vera conditio, & forma, nil Sanchez probaret.

12 Probatur secundo in dictis exemplis, in quibus Sanchez, & alij Doctores dicunt, actum gestum à delegato esse validum, nō seruata conditione imposita in delegatione, esse veram conditionem & formam. Probatur inquam ex regula, quam assignat Bardi *lib.* 4. *qu.* 5. *à num.* 6. quam dicit, esse omnium firmissimam, citatque pro ea Panorm. *cap. ex parte de consti. n.* 5. Felin. *ibi. n.* 2. *in limit.* Syluest. *v. consilium qu.* 4. *n.* 6. Rodriqu. *qu.* 46. *ar.* 2. *in fine.* Salas *de legib. disp.* 16. *sect.* 9. *n.* 37. Suar. *lib.* 5. *de legib. cap.* 31. *nu.* 9. Sanch. *lib.* 3. *de matrim. disp.* 5. *n.* 2. & *disp.* 33. *n.* 3. Meroll. *t.* 2. *d.* 4. *c.* 5. *dub.* 29. nimirum, vt potestas, quæ conceditur delegato simul enascatur cum conditione illa, & quæ non sit in iure præscripta, vel diuerso modo ponatur ab eo, quo præscribitur in iure.

13 Iam, quod in exemplis à Sanchez allatis potestas absoluendi, concessa alijs Papa inferioribus ena-

enaſcatur cum conditione illa, probatur nam Pontifex virtualiter reſeruat abſolutionem ſibi, & communicat poteſtatem Cōfeſſario delegato, ſimul ponendo conditionem in ipſo actu, vt patet in exemplo, ſeu caſu poſito. Nam Pontifex non prius cōcedit facultatem Confeſſarijs, & deinde addit conditionem, quæ potius ſit quidam modus, & inſtructio; ſed ſimul, ac concedit facultatem, ponit conditionem, & non aliter, & talem conditionem, quæ non ineſt iure, vt aduertit ipſe Sanchez.

14 Idem etiam videri poteſt in ſecundo exemplo. Nam Clem. 8. ait. [*adeo vt, reſtitutione ipſa realiter non facta, neque etiam in foro conſcientiæ abſolui poſſint*] vbi prius ponit conditionem, & quidem eo modo, quo iure nō ineſt. (Poteſt enim dari abſolutio furi, quamuis actu, & realiter facta non fuerit reſtitutio, vt ſi ſit pauper, vel ſi proponat, & promittat reſtituere) & poſtea dat implicitè facultatem abſoluendi. Senſus enim eſt, aufero à Confeſſarijs poteſtatem abſoluendi, etiam pro foro conſcientiæ eos, qui receperint quidquam à Religioſis; ita tamen, vt ſi facta fuerit realiter reſtitutio accepti, Cōfeſſarijs poteſtatem tribuam abſoluendi. Eumdem planè ſenſum habet conſtitutio Gregorij XIII. quæ in ſecundo exemplo, ſeu argumento ponitur. dicit enim. [Ac decreuit, vt nullus hanc incurrens excommunicationis ſententiam abſque ſpeciali mandato ſuo abſolutionis beneficiū valeret obtinere, niſi in mortis articulo cōſtitutus; ſed nec quiſpiam admitteretur ad abſolutionis gratiā, niſi prius erogatum eſſet pauperibus quātum ille dediſſet, vel recepiſſet] vbi aufertur poteſtas abſoluendi ab ea excōmunicatione, vt notat Nauar. *in d. comment. nu.* 38. & traditur ſub conditione, quæ, in iure non ineſt: nam de iure non tenetur quis dare pauperibus, quod alteri dedit, vel accepit ab alio, ſi ille qui dedit, remittat, vt notat Nauar. *l. cit. v. quarto hic eſt caſus*, & Sanch. ſupra *ex d. l.* 1. *ff. qui ſat. dar. cog.*

15 Et denique Conc. Tridentinum in ipſo actu, in quo conceditur facultas abſoluēdi eos, qui decimas retinent, ponit conditionem ibi. *niſi, &c.* quæ dictio inducit veram conditionem *ex l. obligationum §. conditio ff. de oblig. & condit. l. fideicommiſſum ff. de leg.* 3. Barboſa *in l. Titia nu.* 36 *ff. ſol. matrim.* & quidem non eo modo, quo iure ineſt, nam poteſt quis abſolui, etiamſi decimas retinuerit, ſi Parochus, vel Epiſcopus, cui cōpetebant, eas gratis remittat: quod poſſe ab eis fieri, dixi *de vir. Relig. tr.* 1. *l.* 2. *d.* 5. *nu.* 16. cum Suario *c.* 38. *nu.* 6. *lib.* 1. *de diuino cultu*, & alijs communiter.

16 Quare, vel dicendum eſt, regulam aſſignatam à Bardi, vt firmiſſimam omnium, ad cognoſcendum, quando aliqua conditio ponitur, vt talis, & ſic formam inducat, non eſſe ſatis firmam: vel dicendum eſt contra ipſum, & alios ab ipſo aſſignatos eorum argumentum, quod adimpletio pœnitentiæ à Papa aſſignatę ſit poſita tamquam conditio, & forma, non conuincere: nam vidimus, ſatis meo iudicio aperte, quod quamuis cōcedatur aliqua poteſtas delegato ſub conditione, et forma; ita ut nulla cogente neceſſitate; ſi actus aliter fiat ſit nullus, tamquam geſtus à non habente poteſtatem; tamen ex benigna Pō-

tificis intentione præsumendũ est, quod ille non intendant nõ dare potestatem delegato, quãdo conditio à se posita, impleri non potest, vt docent Sanchez, et alij grauissimi Doctores ab ipso adducti cum Henriquez *lib.* 13. *de excomm. cap.* 21. *n.* 1. Molin. *tr.* 5. *de iust. disp.* 756. *in fine.* nec video cur idem non dicturi erunt in dispensatione ad matrimonium citati Doctores si interrogentur de casu à nobis posito: an delegatus cui concessa est dispensandi facultas sub conditione, & forma, vt prius hi cũ quibus est dispensandum in matrimonio pœnitentiam assignatam faciant; possit dispensare, ea non facta ob impotentiam eius, cui præstanda est dispensatio, facta commutatione in aliã pœnitentiam. Hanc in terminis late probat Diana *part.* 7. *tr.* 10. *resol.* 9. afferens eadem Sancij exempla, quamuis in fine concludat, se omnia disputationis gratia dicta esse velle, quia non vult stylo, & praxi datariæ, & pœnitentiariæ aduersari. quibus nec ego aduersari vllo modo intendo.

Cæterum ego non video, quo
17 modo, de stylo, & praxi datarię aliud constare possit præter hoc, quod pœnitẽtia iniungatur sub cõditione, & vt non sit Ordinario dispensaturo arbitraria; sed sit tamquam forma ab eo seruãda; hoc autem non tollit, quin valeat opinio tot tantorumque Doctorum, nimirum etiam conditionem, & formã posse per æquiualens impleri ex benigna interpretatione mentis Pontificis non intendentis, non committere facultatem dispensandi Ordinario, quando ea impletio specifice non potest fieri. Fauẽt etiam omnes Doctores, qui docent, conditionem posse per æquiualens impleri Couarr. *prac. qq. c.* 39. *num.* 3. *v. ex parte vero.* Menoch. *l.* 4. *præs.* 65. *nu.* 15. & 16. *præs.* 185. *nu.* 27. *cons.* 131. *n.* 16. *vol.* 2. Mantica *de coniect. vl. vol. lib.* 11. *tit.* 16. *n.* 8. & alij.

18 Fauent, et dabunt à fortiori hanc sententiam omnes, qui putant, posse matrimonium contrahi valide in aliquo grauissimo casu sine Parocho, vt Amicus *in cursu Theol. tom.* 9. *dis.* 7. *sec.* 13. *n.* 135. & 139. Veracruz, Sotus, Vega, Grassius quos citat, & eorum opinionem probabilem putant Martinus à S. Ioseph *monita confess. tom.* 1. *lib.* 1. *tract.* 14. *de matr. num.* 5. Capua, Azeuado, quos citat Villalobos *sum. tr.* 13. *de matr. diff.* 17. *n.* 5. vbi in fine concludit, [esta sentencia es prouable por estas razones, & paulo post. [esta segunda sentẽcia me parece se puede seguir en pratica porque en caso de gran necessidad, quando ay algun gran inconueniente se puede seguir la sentencia menos prouable, &c.)

QVAERES XXII.

An Pœnitentia seruiendi ad minus per tres menses fabricæ Ecclesiæ, vel alterius pij loci iniungatur à Papa, vt adimplenda antequam Ordinarius dispenset.

SVMMARIVM.

Affirmatiua sententia ab aliquibus sustinetur n. 1.

Negatiua sententia probatur ex inspectione formulæ dispensationis n. 2.

Ponderantur verba dispensationis Pontificiæ n. 3.

Pœnitentia data in sacramento confessionis à delegato non est exe-

exequenda ante contractum matrimonium ibi.
Seruitium Ecclesiæ, vel alterius Pij loci de se non est publice præstandum n.4.
Pontifex in dispensationibus matrimonialibus studet scandalis, & periculis peccandi obuiare ibi.
Soluitur 1. argumentum Conradi n.5.
Omnia, quæ mandat Pontifex exequi ante dispensationem, tunc sunt præstanda n. 6.
Dictio, tunc, quid importet ibi.
Soluitur 2. Conradi argumentum n.7.
Semper est stādum stylo curiæ n.8.
Quæ sit praxis in diæcesi Panormitana n.9.

1 RESpondet affirmatiue Genuensis *in praxi Episcop. mihi cap. 21. nu. 3.* vbi ait. [fuit rescriptum (nempe ab Vrbe ann. 1601. Curiæ Archiep. Neapolit. quod incestuosi, qui impetrauerunt dispensationem, non poterant contrahere matrimoniū peracta pœnitentia publica, solum præstita cautione per Curiā de conferendo operam suam fabricę Ecclesię, sed omnia expleri debent, & postea concedi licentia contrahendi, fuit etiam per Curiam considerata illa dictio, tunc, solita poni in dispensatione, quę denotat extremitatem temporis. *l. 4. §. fin. ff. de condit. & demon.* & illa dictio, demum] Hunc sequitur Conradus *à n. 54. in praxi disp. lib. 8. c. 6.*

2 Cęterum ego, considerata forma dispensationis per Pontificem concessæ, quam affert idē Corradus *d. l. 8. c. 5. n.* 1. dicēdū puto, Pontificem non assignare seruitium fabricæ Ecclesiæ, vel alterius pij loci, vt exequendū ante dispensationem, nam post relationem petitionis Oratorū sic addit [tunc N. & M. prædictos, qui pauperes, et miserabiles existunt, et ex labore, et industria sua tantum viuunt, in primis ab inuicem separes, deinde si veniam à te petierint humiliter, eam illis pœnitentiam publicam imponas, quæ alios deterreat à similibus committendis. Vtque dictus N. operam suā fabricę, vel in aliud seruitium alicuius Ecclesiæ, vel pij loci tribus saltem mensibus conferat, aliaque iniūgas, quæ de iure fuerint iniungenda, qua pœnitentia publica peracta, ac recepto ab eis iuramento, quod sub spe facilioris habendæ dispensationis huiusmodi, incestum hunc non commiserint, ipsos ab incestus reatu, et excessibus huiusmodi, imposita prius eis propter incestū huiusmodi arbitrio tuo pęnitentia salutari, hac vice dūtaxat in forma Ecclesiæ consueta in vtroque foro absoluas, et quatenus, etc. Demum si tibi expediens videbitur, quod dispēsatio huiusmodi sit eis concedēda, nec scandalum sit ex eo oriturum, super quę conscientiam tuam oneramus; tunc cum eis postquam ipsi in seperatione prȩfata arbitrio tuo perseuerauerint, &c.

3 In quibus sane litteris Pontifex multa assignat, quę iniungi debent à commassario, seu delegato; at non omnia, vt exequēda à cōtracturis ante matrimonium. v. g. vult *Papa*, vt delegatus imposita pœnitentia salutari, in forma ecclesiæ consueta ab incestu oratores absoluat, absolutio dāda est ante concessam dispensationem; at nemo meo iudicio, dicet, quod d. pœnitētia sit prius exequenda; potest e-

enim Commissarius dare poenitentiam sacramentalem ob incestum, vt per annum singulis sabbatis ieiunēt. In casu autem nostro Papa mādat quidem Commissario, vt antequam dispenset, iniungat publicā poenitentiam, & etiā vt incestuosus seruiat ad minus per tres menses fabricę Ecclesiæ &c. at non mandat, vt vtrumque exequatur ante dispensationem, sed solum poenitentiam publicam. Nam cum vnico orationis cōtextu assignasset [eam illis poenitentiam publicam imponas, quæ alios deterreat à similibus committendis, vtque dictus Ioannes operā suam fabricæ, vel in aliud seruitium tribus saltem mensibus conferat, aliaque iniungas, quæ de iure fuerint iniungenda] statim subdit [qua poenitentia publice peracta] vbi vides tria Pontificem assignasse, vt iniungenda ante dispensationem, & vnum tantum ex his voluisse, vt præcederet dispensationem, quod expressit, nempe (qua poenitētia publica peracta) & non dixit, quibus poenitentijs peractis, vt clarissimè intelligeremus, Pontificis mentem non esse, vt Orator, tam seruitium Ecclesiæ per tres, aut plures menses, quam alia opera iniungenda de iure exequatur ante datam dispensationem, & contractum matrimonium; inclusio enim vnius, est exclusio alterius.

4 Et præterea cum addidit publicam, manifestè ostendit, se excludere seruitium Ecclesiæ, vel alterius pij loci, quod de se publicum non est, sicut nec sūt publica alia iniungenda de iure à Vicario delegato. Quod certe conuenientissime factum est à Pontifice; nam cum ipse in his præsertim dispensationibus summopere studeat periculis, & scādalis obuiare, vt loquitur Corradus *d. l.* 8. *c.* 6. *nu.* 58. & Delegatus posit seruitium Ecclesiæ, vel alterius pij loci vltra tres mēses imponere, vt ipsemet Conradus docet *nu.* 33. & 34. noluit coarctare potestatem Delegati ad dispensandum post expletam poenitentiam, nempe post tres, aut quatuor, & plures menses, quia poterat interim magnum periculum incontinentiæ in Oratoribus timeri, & multa alia impedimenta interim occurrētia, quæ à matrimonio contrahendo retardarent cum irreparabili ruina Oratorum in fama, &c. præsertim si sequamur sententiā eorum, quos quæst. prac. retuli. & ipsius Conradi, asserētium in nullo casu, nec propter vllam necessitatem, posse Delegatum recedere à forma à Pontifice assignata, & Oratores longissimè Roma distent.

5 Nec argumēta Corradi posita à n. 54. id probāt. do enim vltro seruitium fabricæ assignari à Papa vt formam; at nego assignari vt exequendum ante dispensationem, sed est imponendum ante dispensationem, & exequendum post factam dispensationē, si ita velit incestuosus contracturus matrimonium. Non enim valet argumentari hoc pacto: Istud opus est iniungendum ante dispensationem, & sic assignatur à Papa, vt forma; ergo exequendum est ante dispensationem; nego enim consequentiā, vt vidimus de poenitentia sacramentali iniungenda ante dispēsationem, at certè non ante facienda.

6 Vnde parum vrget consideratio dictionis, *tunc*, quam ex Zerola facit etiam Corradus, nimirum quod significet extremita-

tatē tēporis per tex. *in l.4.§.fin. ff.de condit. & demōst.* vltro enim concedo omnia, quæ mandat Pontifex exequi ante dispensationem, tunc esse exequenda; at nego Pontificem id velle de seruitio Ecclesiæ, vt ex eius verbis patet.

7 Neque etiam obstat, quod teste ipso Corrado n.57. practicari consueuit, vt si fortè contingat, nisi quamprimum matrimoniū contrahitur, aliquod graue scādalum exoriri, ad datarium pro opportuno remedio recurratur, qui statim per suas litteras priuatas committit Vicario delegato, vt concedat licentiam ad contrahendum matrimonium ante tempus expletum: nam Datarius nullam facit mentionē, quod opus sit dispensatione, sed committit Vicario delegato, vt dispenset, præstita sibi cautione, quod seruitium Ecclesiæ orator explebit, matrimonio iam contracto.

8 Minus denique obstat, quod ait Zerola *d.c.21.n.3.* fuisse ab Vrbe rescriptum, oportere, vt prius peragatur seruitium fabricæ; nam non fuit à *Papa*, nec à Sacra Congregatione id rescriptum, sed forte ab aliquo Ministro, qui fuerat in eadem opinione, quam sequitur Corradus: neque dicunt stylum Curiæ ita esse, si enim talis est, erit illi stādum, quia per illum iam explicaretur mens Pontificis, volentis, vt prius seruitium Ecclesiæ exequatur.

9 Imo in nostra diæcesi panormitana sic à multis annis, quorum non est memoria practicatur, vt nimirum pænitentia seruiendi hospitali, &c. peragatur matrimonio iam contracto.

QVAERES XXIII.

An habens concessionem sub hac forma, vt in oratorio domus tuæ possit missa celebrari; possit habere duo oratoria in quibus celebretur.

SVMMARIVM

Quot modis possit dicta quæstio fieri n. 1.

Affirmatiuè in vtroque casu videbatur respondendum. nu. 2.

Negatiua sententia est sustinenda ex verbis Pontificio breui positis n. 3.

Auctores nostræ fauentes resolutioni nu. 4.

Papa nunquam in vno breui concedit facultatem, vt possit celebrari missa in multis priuatis Oratorijs ibi.

An qui sit in villa possit ibi Oratorium erigere, si habet domi Oratorium erectum ibi.

Quid si in vna domo sint duæ partes, quarum singula à duobus dominis tenentur ibi.

Episcopi possunt duo Oratoria habere in eodem Palatio, secundum aliquos, alii melius negant. n.5.

Etiam dato, quod Episcopi possint duo Oratoria habere, negandum id est in nostro casu, & quare nu. 6.

Facultas concessa Episcopis, vt possint Oratoriū habere in priuata domo, an sit fauorabilis, ibi.

Quid de facultate concessa alijs per breuia peculiaria ibi.

Proponitur ratio dubitandi, cur possint esse duo Oratoria in eadē domo, in quibus successiue celebretur n. 7.

Soluitur d. ratio, & negatiua sententia firmatur n. 8.

Priuilegium celebrandi in priuatis Oratorijs Episcopis cōcessum est

est personale, quid de alijs ibi.

Episcopus potest in domo rurali Oratorium priuatum erigere ibi.

Episcopus potest habere altare portatile n. 9.

Neque virtute bullæ potest missa celebrari, nisi in Oratorio prius approbato, & non in alio in eadem domo. nu. 10.

1 CAsus potest dupliciter formari, primo modo, si quis in eadem domo habeat duo oratoria, & in his alternatiuè celebretur v. g. hodie in oratorio A. cras in oratorio B, vel tempore æstiuo in vno oratorio sito in parte domus æstiua, tempore hiberno in oratorio partis domus hibernæ. Secundo modo formari potest casus, si simul eodem die celebretur missa in vtroque oratorio.

2 Affirmatiuè responderũt quidam docti recentiores asserentes in primo casu, nullam esse difficultatem, quia verificantur verba Papæ: nam vnum est Oratorium formaliter, nimirum in quo hodie celebretur, & cras etiam vnum est oratoriũ formaliter, & sic de cæteris, quia semper verum est dicere, quod missa in vno oratorio celebratur. In posteriori vero casu, etsi maior appareat difficultas: tamen quia hoc priuilegium est cõcessum personæ, & in gratiam, ac commodum ipsius, vt dixi *tom. 4. tr. 2. q. 62.* ex Diana *par. 4. tr. 4. res.* 208. Nouar. *in sum. bullar. tit. de oratorijs priuatis n. 6.* Quintanadueñas *t. 1. tr. 7. sing.* 31. potest euenire, vt Dominus cum vxore sit infirmus, ac velit missam videre in oratorio prope suum cubiculum, & quod non deceat pro eo tempore alios de familia accedere, qui solent in alio oratorio missæ interesse.

3 Negatiuè tamen respondendum censeo, nimirum non posse virtute d. priuilegij esse in eadem domo duo oratoria, in quibus possit celebrari simul, aut successiuè. Probatur, quia est directè contra concessionẽ Papæ: is enim dicit, *vt in oratorio domus*, & sic loquitur singulariter, & restrictiuè, itaut faciat hunc sensum, quamuis multa habeas domi tuæ Oratoria, prout tibi licet *ex cap. vnicuique de cons. d.* 1. tamen non in omnibus, neque in aliquibus, sed in vno oratorio possit missa celebrari; ergo qui dicit, posse in duobus Oratorijs dici missam siue simul eodem tempore, siue successiuè manifestè loquitur contra concessionem Papæ.

4 Hanc sententiã proculdubio tenent Merolla *t. 3 dis. 6. cap. 8. dub. 22. nu.* 228. vbi ait, quod Summus Pontifex nũquam per vnum breue concedit facultatẽ, vt possit celebrari missa in pluribus Oratorijs priuatis, itaut cum quædam Marchionissa Domina multorum castrorum petijsset à Papa, vt posset coram se facere celebrare in oratorijs priuatis suarum domorum: ille noluerit concedere, nisi tot breuibus, quot erãt Oratoria. Diana *par. 9. tr. 2. res. 22. ver. quod ego*, vbi ex eo probat, non posse eum, qui est in villa. erigere ibi Oratorium, in quo celebretur virtute talis priuilegij: *vt in Oratorio domus tua possit missa celebrari*, [quia quando Dominus est in villa non desinit habere Oratorium Florentiæ, & sic habet simul, & eodém tempore duo Oratoria, in quibus potest vti priuilegio, quod est contra mentẽ Pontificis, vt supra diximus, & contra praxim curiæ] eamdem etiam opinionẽ tenet, ni fallor, aper-

apertè Thom. Tamburinus *in opusc. de missa lib.* 1. *cap.* 4. §. 4. *n.* 20. ibi. [sed quid si quilibet ex his duobus dominis haberet proprium Oratorium in sua habitatione separatum Italicè appartato eiusdem domus? Respondeo adhuc nulliter impetrasse, quia clausula non vetat solum ne sit in eodem oratorio duplex licētia; sed ne sit in eadem domo] ergo multo magis vetabit, esse in eadem domo duo oratoria, in quibus possit celebrari vi vnius licentiæ, idem docet Bardi *in select. lib.* 10. *q.* 10. *n.* 47. vbi negans, posse quempiam virtute dicti priuilegij erigere oratoriũ in domo rurali, ait [imo fictione iuris censeretur in eadem ciuitate duo oratoria habere apta ad sacrum conficiendum, quod certum est, fieri non posse] ergo per hunc Doctorem multo minus poterunt esse duo oratoria in eadē domo apta ad hoc, vt ibi celebretur siue simul, siue successiuè.

5 Dices primo possunt Episcopi habere duo Oratoria in suo Palatio, in quibus simul celebretur in vno pro Episcopo, in alio pro familia, vt docet Pellizarius *man. reg. tom.* 2. *trac.* 8. *c.* 2. *sec.* 2. *n.* 160. & tamen *in cap. vltimo de priu.* 6. ipsis conceditur, vt possint habere altare, & non dicitur, vt possint habere altaria: ergo in casu nostro quãuis Papa loquatur in singulari: *in oratorio domus tua*, non obstat, quin possint esse duo oratoria.

Respondeo negando antecedens, prout illud optimè negat Diana *d. p.* 9. *tr.* 1. *res.* 37. aitque vsum, qui est optimus legum interpres *l.* 37. *ff. de legi.* id planè ostendere; nã Eminentiss. Cardinales, qui gaudent dicto priuilegio Episcoporum, nunquã ausi sunt erigere in suis palatijs duo oratoria, in quibus simul celebretur.

6 Sed dato antecedenti; neganda nihilominus est consequentia, disparitatem vero sumo ex rationibus, quibus Pellizarius mouetur ad concedēdum Episcopis duo oratoria, quæ sanè in casu à nobis posito non militant. Prima enim Pellizarij ratio est, quod sit talis consuetudo inter Episcopos erigendi duo oratoria, in quibus simul celebretur: at talem consuetudinem ex vi positæ concessionis, quæ solet fieri à Papa priuatis personis, nō extare omnes fatentur. Secunda ratio eiusdem Authoris est, quia textus *in cap. quoniam*, vbi tale priuilegium conceditur, loquitur absolutè, & illimitatè; at in casu nostro Pontifex loquitur satis restrictè *in oratorio domus tua*, & solet addere, quod si in eadem domo sit alia facultas celebrandi in priuato oratorio, præsens data non suffragetur. Tertia denique Pellizarij ratio est, quia priuilegium Episcopis concessum est extendendum, quia vt ipse supponit, est fauorabile, vt etiam ego probaui *to.* 4. *tr.* 2. *q.* 48. *v. confirmatur.* cum inseratur in corpore iuris: facultas vero celebrandi in Oratorio priuato concessa personis particularibus est odiosa, quia vulnerat ius commune, iuxta quod non potest in priuatis sæcularium oratorijs missa celebrari *ex cap. vnicuiq. & seq. de cons. d.* 1. & probat multis adductis Bardi *l.* 10. *select. q.* 10. *num.* 25. vnde, est strictè interpretanda Amic. *cur. Theol. to.* 5. *dis.* 9. *sect.* 3. *nu.* 49. Fab. Galeota, *rep. fisc.* 12. *nu.* 193. Suar. *de leg. lib.* 8. *cap.* 11. *nu.* 5. ergo etiam ipse Pellizarius, qui Episcopis cōcedit duo Ora-

Oratoria, alijs negabit.

7 Dices secundo. saltem debemus concedere duo Oratoria in domibus sæcularium, in quibus non simul, sed successiue celebretur v. g. in vno fiat sacrum tempore æstiuo, in altero tempore hiberno, tunc enim erunt materialiter tãtum duo oratoria, formaliter vero vnum, quod etiam videtur concedere Diana. is nãque *d. resol. 37. tr. 1. par. 9.* concedit Episcopis duo oratoria materialiter, vt nimrum possit in his celebrari diuersis temporibus.

8 Nihilominus assero, nec posse haberi duo oratoria in domo sæculariũ, in quibus diuersis tẽporibus celebretur; ita tamen, vt ambo sint apta, & ab Episcopo approbata, vt in ijs possit missa dici ad libitũ Domini domus quamque Episcopi illa possint habere in suis domibus, & ratio disparitatis est, quia pripilegium concessum Episcopis expresse id concedit ibi [præsenti constitutione indulgemus eisdem, vt altare possint habere viaticum, & in eo celebrare, & facere celebrare vbicumque absque interdicti transgressione illis permittitur celebrare, vel audire diuina] ergo non est mirum, si dum Episcopus est in oratorio cõstructo in vna parte domus, possit ibi celebrare, vel celebrari facere, dum est in alio, Possit ibi etiam coram eo celebrari: nam hoc priuilegium sequitur absolute personam, & expresse conceditur altare viaticum, id est amouibile & ad Episcopi nutũ amouibile, ipsumque sequens: In nostro vero casu priuilegium est quidem personale, nempe concessum directe personæ: sed est cum loci determinatione, & assignatione *vt in oratorio domus tuæ*, atque adeo quamuis Eruditissimus Diana *res. 38. p. 9. c. 1.* cum Auersa, & Portello bene doceat, posse Episcopum habere oratorium in domo rurali: tamen meritò negat *res. 22. ver. sed ego eod. tract.* posse sæcularem, cui concessum est, posse missam celebrari in oratorio suæ domus, habere in villa Oratorium [quia habet simul, & in eodem tempore duo oratoria, in quibus potest vti priuilegio, quod est contra mẽtem Pontificis, & contra praxim curiæ] quod apertissimè docet Bardi *loc. supra cit. lib. 10. sel. qu. 10. n. 47.* vbi, vt supra retuli, ait fieri non posse, vt quis habeat in eadem ciuitate duo oratoria apta ad sacrum conficiendum, quare hic auctor non dicit, non posse haberi duo oratoria, in quibus celebretur; sed si dicamus, posse in eadem domo esse duo oratoria, in quibus possit successiuè celebrari, verificaretur, quod in eadem domo essent duo oratoria apta ad sacrum in his conficiendum, ergo secundum Bardi non possunt in eadem domo esse duo oratoria, in quibus successiue posit celebrari.

9 Neque potest adaptari in nostro casu distinctio illa de oratorio formali, & materiali, qua suã opinionem quidam Theologus tuebatur: nam cum Episcopus posit secum altare portatile habere, & vbicumque reperitur ibi celebrare; sequitur, quod vbi ipse est, & vbi coram ipso celebratur ibi fit formale oratorium, illud vero, in quo alias fuit celebratum materialiter se habet in ordine ad celebrationem, non secus ac quoduis aliud cubiculũ; non enim deputatur ab Episcopo, nisi per suam præsentiam, celebraret, aut missam audiret, at cum

cum in domo priuatorum duo assignantur oratoria ab Episcopo, & approbantur, vt in vtrolibet celebrari possit non tantũ: erunt duo oratoria materialiter sed formaliter: quia semper verũ est dicere: in oratorio A. est priuilegium celebrandi, in Oratorio B. est priuilegium celebrandi ex vi Bullæ Apostolicæ, qua conceditur, vt in Oratorio domus possit missa celebrari. quãdo autẽ Episcopus duo, vel sex construit oratoria in sua domo in nullo eorum verum est dicere: in hoc est priuilegium celebrandi, sed solum in illo, in quo Episcopus est præsens, & sic erũt, plura oratoria materialiter; vnum vero tantum formaliter.

10 Hinc patet, quod neque ex priuilegio bullæ potest Sacerdos eam habens celebrare in his duobus oratorijs, sed tantum in eo, quod fuit primo erectum, quia bulla non dat facultatem erigẽdi nouum oratorium, vt supponit tanquam certum Bardi *de Bulla p. 2. tr. 2. c. 6. sect. 1. nu. 1.* Ex his soluta manent, quæ attulit cõtra me ingeniosissimus Abbas D. Antonius Agras Regni deputatus doctrina, ac prudentia supra ætatem præditus.

QVAERES XXIV.

An matrimonium possit dissolui ob impotentiam probatam in viro sine post triennium experientiæ.

SVMMARIVM.

Casus explicatur n. 1.
Negatiuam sententiam amplexus est quidam Theologus, quibus ductus rationibus n. 2.
Affirmatiue respondetur ad quæstionem positam n. 3.
Coniux reclamans post bimestre de viri impotentia non auditur, si non affert signa vrgentia. ibi.
Qua solemnitas sit seruãda ad dissoluendum matrimonium ob viri impotentiam ibi.
Talis solemnitas datur etiam pro senibus n. 4.
Non attenditur species impotentiæ, sed perpetuitas, vt matrimoniũ possit dissolui ibi.
Impotentia accidentalis, quando sit præsumenda fuisse ante matrimonium ibi. & 5.
Mulier statim à matrimonio reclamans præsumitur verum dicere nu. 4.

1 CAsus mihi propositus à docto Iurisconsulto est: Titius post primum matrimonium, in quo filios suscepit, ad secundas nuptias conuolauit annum agens sexagesimum octauum, vxor elapso anno post contractũ matrimonium in facie Ecclesiæ, reclamauit asserens, virum esse impotentem, fuitque in iudicio admissa, & post varias discussiones fuit assignatum triennium, intra quod copulæ vacarent. eo elapso Titius medicorum iudicio reputatur impotens. An tunc possit tale matrimonium dissolui.

2 Negatiue respondit quidam Theologus, ductus hoc argumento, quia mulier non potuit probare fuisse in vno impotentiam tempore contracti matrimonij in facie ecclesiæ: nam reclamauit post annum, intra quẽ potuit Titius fieri impotens ob ingrauescentem ætatem, & sic multo minus poterit matrimoniũ dissolui post triẽniũ experientiæ, allegata eius impotentia, ac probata, cum iam sit annorũ fere 75. & in senibus natura quo-

tidie fit debilior: vnde non habet locum opinio fere communis, de qua dixi *lib. 7. de matr. dis.* 103. quod scilicet impotentia etiam accidentalis præsumitur fuisse ante matrimonium contractum; sed potius seruanda est regula, quam ex Sanchez, & alijs tradidimus *d. lib. 7. dis.* 109. *n.* 1. vt potius credatur viro asserenti fuisse copulam, quam fœminæ aliàs corruptæ neganti potentiam viri, præsertim cum in casu nostro Titius fuerit potens, & filios habuerit ex primo matrimonio.

3 His minimè obstantibus dixi, matrimonium esse dissoluendũ, quia iam seruata est solemnitas canonica, de qua dixi *lib. 7. de matr. dis.* 109. contra Ioan. Sanchez in probanda viri impotentia; nam mulier quamuis reclamauerit post annum, fuit audita, & assignatum illi fuit triennium ad experiendum, quod signum est, eam probasse impotentiam viri per signa vrgentia; licet non verisimiliter concludentia; si enim non attulisset signa vrgentia reclamans post bimestre, ne dum post annum, non debuisset audire ante triennium elapsum ex *cap.* 1. *de frig. & malef. & cap. laudabilem eod.* prout illos textus conciliauit Sanchez *lib. 7. de matr. d.* 109. *n.* 5. Castropal. *de spons. dis.* 4. *pun.* 14. §. 8. sed quoniam dicta signa impotentiæ non fuerunt certa, aut verisimiliter concludentia, de quibus egimus *lib. 7. dis.* 107. *de matr.* fuit assignatum triẽnium, ad hoc vt experiretur, an medicamine aliquo posset natura vires pristinas reassumere, non enim agebatu'r de omnino decrepito. post expletum triennium fuit iterum probata impotentia per aspectum, & attrectationem medicorum, iuramentum coniugis asserentis, se non potuisse à viro cognosci per illud triennium; cũ tamen fideliter copulæ vacauerit, accessit etiam iuramentum septem propinquorum, & aliorum attestantium, se credere, vxorem verum dicere: quæ sanè est solemnitas à sacris canonibus requisita, vt ea peracta, possit matrimonium dissolui *ex cap.* 1. *& cap. laudabilẽ cap. fraternitati de frig. & malef.* traditque Pontius *lib. 7. de matr. cap.* 69. *n.* 2. Castropal. *de spons. d.* 4. *pun.* 14. §. 9. *à n.* 2. Sanch. *lib. 7. de matr. dis.* 108. *& dis.* 199. ego ipse fusius contra Ioan. Sanchez *lib. 7. de matr. dis.* 109.

4 Non obstat quod maritus, de quo allegatur impotentia, sit senex, & impotentia sit per accidens, & non à natura, quia forma, seu solemnitas assignata per sacros canones ad probandã impotentiam, & ea probata ad dissoluendum matrimonium datur vniuersaliter pro omnibus, etiam senibus, & sic Doctores illam intelligunt, nec causa impotentiæ, vel species est spectanda, dummodo constet, eam perpetuam fore. sic Glos. *cap. requisiti ver. acceperis* 33. *qu.* 1. Hostiens. *cap. fin. n.* 1. *ver. potentiam de frig. & malef.* Ioan. Andr, *n.* 1. Anton. *n.* 9. Abbas *n.* 4. & 7. Anchar. *n.* 1. *notab.* 3. & alij ibid. Et Doctores, quos ad satietatem affert Thomas Sanchez *lib. 7. de matr. disp.* 103. vocans eorum sẽtentiam satis probabilem, quia optimis rationibus, & Doctorũ auctoritate fulcitur, prout etiã appellat Castropal. *d. p.* 14. §. 7. *n.* 4. loquuntur de omni impotentia, vt fatetur ipse Sanchez n. 1. circa medium, & dicunt præsumendum esse, eam adfuisse ante contractum matrimonium, cui sen-

ſententiæ quamuis Sanchez n.5. non adhæreat quando impotētia eſt accidentalis; tamen in noſtro caſu abſque dubio dicet, illam fuiſſe ante matrimonium, is enim n. 6. eiuſdem diſ. 103. ait [limitarem tamē hanc concluſionem (quam ſcilicet ipſe docuerat, non eſſe præſumendū, impotentiam accidētalem præceſſiſſe matrimonium) niſi breue tempus à matrimonio contracto vſque ad eius conſummationis intentationē tranſijſſet, tunc enim non præſumitur, tam breui tempore impotentiam illam accidiſſe, ſed potius præſumendum eſt, eam priorem matrimonio fuiſſe] ſic Sanchez, ſed in noſtro caſu ſtatim mulier, quamuis extra iudicium proteſtata eſt, virum repertum fuiſſe à ſe impotentem, quæ ſanè coniectura eſt ſufficiens ad credendum, mulierem verum dicere; cum tunc nullę prorſus fuerint diſcordię, neque eſt veriſimile, illam ſtatim perteſam eſſe mariti, vt in ſimili docet ipſe Sanchez *lib. 2. de matrim. diſp.* 45. cum Nauar. *ſumm. cap.* 22. *n.* 76. Angelo *matrimonium* 2. *n.* 16. Petr. Ledeſma *de matrim. q.* 45. *art.* 4. *fine* docentibus, credendum eſſe coniugi aſſerēti ſtatim poſt matrimonium, ſe fictè conſenſiſſe.

5 Plus addit Caſtropalaus *de ſponſ. d. 4. punt.* 14. *§. 7. nu.* 6. vbi volens limitare, quod docuerat cum Ant. Butrio *cap. fraternitati. n.* 5. *de frig. & maleſ.* nimirum, non eſſe pręſumendum, quamcumque impotentiam fuiſſe matrimonio priorem, ait [prędicta doctrina procedit quando poſt longum tempus, ſcilicet poſt aliquot annos à matrimonij contractu allegatur impotētia] ſed in caſu poſito vxor ſtatim extra iudicium allegauit impotentiam, & in iudicio nō poſt aliquot annos; ſed poſt vnum tantum, & de ea nunc medicorum iudicio conſtat; ergo etiam iuxta Caſtropalaum, præſumendum eſt, impotentiam in Titio fuiſſe tempore contracti matrimonij, & ſic illud eſſe diſſoluēdum, ſaluo, &c.

QVAERES XXV.

An Epiſcopus poſſit priuare habitu clericali ordinatum in minoribus ſine vlla prorſus cognitione literarum.

SVMMARIVM

Affirmatiua ſententia multis rationibus probatur n. 1. 2. *&* 3.
Illiteratus eſt irregularis, & ſuſpenſus ab ordinum executione, bona fide acceptorum n. 1.
Papa non poteſt diſpenſare cum illiterato ad ordines ſuſceptos exercendos ibi.
Ordinatus ſine ſufficiente ſcientia arbitrariè eſt ab Epiſcopo puniendus n. 2.
Bigami omni carent priuilegio, nec poſſunt tonſuram, aut habitum ferre n. 3.
Non poteſt Epiſcopus clericum illiteratum poſt ſuſceptos ordines habitu clericali priuare n. 4.
Pœna non debetur, vbi nulla eſt culpa ibi.
Illiteratus ordines recipit, & gaudet priuilegio canonis, & fori. n. 5.
Idem de tonſurato ab alieno Epiſcopo ibi.
Irregularis ob illiteraturam non poteſt ab Epiſcopo prohiberi, ne exerceat ea, quæ ſpectant ad ſeruitium diuinum in eccleſia n. 6.
Sine habitu clericali indecenter

munia ecclesiæ fiunt ibi.
Confirmatur Doctorum auctoritate n.7.
Clerici quouis loco debēt vti vestibus clericalibus ibi.
Soluuntur rationes à n.1 adductas
Dictio, ipsis, est personalissima n. 9.
Irregulares gaudent priuilegio fori, si non sit irregularitas ex bigamia ibi.
Degradati verbaliter gaudent canonis priuilegio ibi.
Ponderatur dictum S. Antonini nō esse contra nostram resolutionē. n. 10.

1 AFfirmatiue respondit in facti contigentia externa die non indoctus Theologus interrogatus ab Episcopo, qui cum reperisset quendam ordinatum sine vlla prorsus cognitione literarum, itaut, nec ipsas literas cognosceret, volebat illum priuare habitu clericali, ducebatur ex eo, quod hic vtpote illiteratus erat irregularis, *ex cap. illiteratos 36. dis.* et suspensus ab exercitio ordinum susceptorum *ex cap. fin. de ætat. & qualit.* Lezana *ver. irregularitas n. 10.* bene addens cum Suario, & Cornexo talem suspensionem incurri siue mala, siue bonafide ordines fuerint suscepti; itaut nec Pontifex posit dispensare; quia est etiam de iure diuino non admittere ad aliquod munus exercendum eos, qui illud nesciunt exercere: ergo hic illiteratus, quamuis fuerit bonafide ordinatus, non potest habitum clericalem deferre; quia habitus clericalis conceditur clerico propter officiū, quod exercere debet.

2 Confirmatur 1. quia ex Conc. Toletano 8. *cap.* 8. Clericus ordinatus sine sufficienti scientia debet puniri ab Episcopo pœna arbitraria: at valdè consonum rationi arbitrium videtur, vt habitu clericali priuetur ille, qui per sacros canones ob illiteraturam à statu clericorom repellitur.

3 Confirmatur secundo: quia *in capit. vnico de bigam.* expresse declaratur, bigamos omni priuilegio clericali esse nudatos, nec posse habitum, aut tonsuram clericalem deferre sub pœna excommunicationis ferendæ, vt notant Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *consi. moral. lib. 7. cap. 1. dub. 49. n. 7.* qui n. 8. addit [nota quod de bigamis dictum est, dicendum esse de omnibus irregularibus eadem ratione, sic D. Anton. d. §. 6.] nempè 3. *part. tit.* 15. *cap.* 16. ergo cum omnino illiteratus sit irregularis, non potest habitum clericalem deferre.

4 Cæterum non posse habitu clericali huiusmodi illiteratum spoliari, mihi certum est, primo quia in casu nostro non potest priuari habitu in pœnam; nam supponimus hunc omnino bonafide processisse, nec vllam culpam commisisse: ergo nec debetur illi pœna priuationis habitus, nec alia, *l. sancimus C. de pœnis.*

5 Secundo, quia in omnium sententia sic ordinatus verè ordines recepit, & per consequens gaudet priuilegio canonis, & fori, vt in terminis de tonsurato ab alieno Episcopo absque dimissorijs proprij, vel irretito irregularitate ex homicidio, vel infamia iuris, aut facti infert Marchant. *de sacram. ordin. tr. 2. part. 1. diff. 12* vbi affert Matthæm *de iurisdict. par. 4. casu* 149. Leonar. Duard. *in bullam cœnæ can. 15. q. 3. n. 6. & 7. lib. 2.* ergo Episcopus nō potest illiteratum huiusmodi priuare habitu clericali, quē ca-

canones volunt deferri ab omnibus clericis *cap. non liceat 23. dis. cap. nullus 21. q. 4.* sicut non potest efficere, ne sit in statu clericali; posito quod iam est ordinatus, & quod non gaudeat priuilegio canonis, & fori.

6 Tertio quia non obstante illiteratura, seu irregularitate ob talem ignauiam, in qua fuit ordinatus, non potest ab Episcopo prohiberi, ne exerceat omnia ea, quæ non sunt actus ordinis, & spectant ad seruitium in rebus diuinis in Ecclesia v. g. Missæ sacrificio inseruire, incensum afferre, &c. quæ non sunt actus proprij ordinis; sed etiam à laicis fieri possunt; vt tradit Aloys. Ricc. *decis. cur. Archiepis. par. 3. decis. 294.* loquens de ordinato cum irregularitate prius contracta: ergo nec potest per Episcopum prohiberi, ne deferat habitum clericalem, quia sine eo indecenter illa munera obiret *ex d. cap. non liceat 23. d.*

7 Atque ita videtur fere in terminis docere Aloys. Ricc. *par. 3. dec. 287.* vbi quærens: an Clerico irregulari possit prohiberi per Episcopum delatio habitus; post aliquas rationes dubitandi, ita concludit [nihilominus his, & alijs non obstantibus contrarium resolui, & ita fuit ordinatum à dicto Episcopo suo Vicario, quod non prohiberet d. clerico delationem habitus: nam irregularitas non tollit clericatum; sed tantum facit clericum inhabilem ad suscipiendos alios ordines: vnde subintrat regula ad officium boni Prælati pertinere omnino, & semper, vt clerici siue in ciuitate degentes, siue in itinere ambulantes vestibus clericalibus decentibus vtantur *capit. nullus,* & per totam *21. qu. 4.* & dicitur in *cap. Episcopi* ibidē, quod sicuti mulier orans in ecclesia non velato capite deturpat caput suum, iuxta Apostoli vocem, ita clericus sine operimento deturpat officium suum]: cum ergo ob irregularitatem illiteraturæ præcedentem ordinibus, hic verè fuerit ordinatus, nec possit ab Episcopo prohiberi, ne exerceat ministeria cōpetentia clericis, quæ non sint actus ordinis, & clericus debeat ferre vestes clericales, præsertim cum inseruit in Ecclesia, vt probatum est, sequitur meo iudicio, euidenter, quod Episcopus non possit huic ordinato sine literarum cognitione prohibere, ne vestes clericales deferat.

8 Ad rationes in contrarium adductas. Respondeo, solutionem patere ex dictis; nam talis clericus non est puniendus, cum non commiserit culpam, & irregularitas ob illiteraturam facit, ne clericus possit ad alios ordines promoueri, & ne exerceat ea ministeria, quæ requirunt literaturam, at non tollit clericatum, & ordines susceptos.

9 Vnde nō debet applicari huic bona fide ordinato, & sine vlla sua culpa prohibitio facta clericis, qui in clericatu bigamiam contraxerunt *in cap. vnico de bigamis in 6.* nempe non ferendi habitum clericalem, & tonsurā; nam ea est facta specialiter bigamis, ibi *ipsis quoque sub anathemate prohibemus deferre tonsuram, vel habitum clericalem:* dictio enim *ipsis* est personalissima *l. generaliter in fine ff. de offic. Præsid.* & non valet consequentia deducta ex prohibitione facta bigamis, ad alios irregulares, sicut ex eo quod in d. cap. deciditur, bigamos omni priuilegio clericali esse priuatos, non sequitur, quod alij irregulares priuati sint priui-

uilegio, aut canonis, aut fori, nam cæteri irregulares gaudent priuilegio fori ex Decia. Io. Andr. Graff. & alijs, quos citat, & sequitur Squillante *de priu. Cler. cap. 7. nu.* 33. & quod gaudeant canonis priuilegio etiã irregulares, & degradati verbaliter est communis opinio Doctorum *c. intelleximus de iudicijs*. nec etiã militat eadem ratio prohibitionis non deferendi habitum, & tonsuram, factæ bigamis, in alijs irregularibus; cum Ecclesia peculiari modo bigamos ex altari repellat, vt ex dictis à me *lib. 7. de matr. dis.* 83. *& seq.* patet.

10 Nec S. Antoninus, quem allegat Sanchez pro suo dicto, quod alij irregulares sint priuãdi habitu clericali hoc dicit, sed tantum ait loc. ab ipso Sanchez supra cit. [potest dari prima tõsura, &c. non autem irregulari, &c. nec bigamo, imo nec iam susceptam portare licet. cap. vnico de big. in 6. & sub bigamo cõpræhenduntur alij irregulares, qui non debent tonsurari, etc.] vbi S. Antoninus compræhẽdit alios irregulares sub bigamo in hoc, quod non debeant tonsurari, non autem, quod tonsuram acceptam non debeant portare, vt patet.

QVAERES XXVI.

An prædium olim datum ab Ecclesia ad Emphytheusim, & postmodum reuersum ad eius proprietatem, possit iterum concedi sine noua licentia sedis Apostolicæ in feudum, &c.

SVMMARIVM.

Affirmatiuè respondetur n. 1.

Res Ecclesiæ possunt sine solemnitatibus dari ad emphytheusim, vbi est præscripta cõsuetudo ibi.

Ad consuetudinem præscribendam sufficit spatium 40. annorum ibid.

Res Ecclesiæ solita dari in feudum, si non sunt incorporatæ mensæ Episcopali possunt iterum dari. n. 2.

Prædium quando dicatur esse solitum dari ad emphytheusim ibi.

Quando dicatur incorporatũ mensæ Episcopali n. 2.

Animus non dandi prædium Ecclesiæ ad emphytheusim præsumitur per lapsum vnius anni n. 3.

Quid in prædijs Ecclesiæ Montis Regalis ibi.

1 RESpondeo posse. Ducor 1. quia per Molinam *tract. 22. dis. 469. n.* 9. [in quibus locis fuerit consuetudo præscripta, quod res Ecclesiæ sine solemnitate à iure statuta tradantur in emphytheusim, vt in multis locis esse eam consuetudinem cũ speculatore, & Azone affirmat Iulius Clarus n. 7. cit. tunc valida est, ea traditio quousque consuetudine fuerit receptum, vt in emphyteusim res Ecclesię tradantur, &c.] sed in Archiepiscopatu Montis Regalis est iam ista consuetudo præscripta non solum spatio quadraginta annorũ, quod solum sufficeret, ad legitimam pręscriptionem, vt late probaui *de vir. relig. tr. 1. lib. 2. d. 5. à num.* 6. sed etiam longiori nimirum, vt prędia Ecclesię Mõtis Regalis dẽtur in feudum, seu ad emphyteusim sine Papæ licẽtia, & absque solemnitate à iure requisita in concessione bonorũ Ecclesiæ, vt patet ex multis cõcessionibus factis per Archiepiscopos illius Ecclesię; ergo.

2 Secundo ducor, quia ad hoc, vt res Ecclesiæ possit dari in feudum; seu emphytheusim sine solem-

lemnitate, & Papę licentia, sufficit si sit solita dari, & finita prima emphyteusim seu linea feudatorij non fuerit iterum incorporata in mensa Archiepiscopali. vt ex Menochio, Molina, Couar. Bonac. Gonsal. & Barbosa probat Castropalaus *tr.* 12. *dis.* 1. §. 4. *à nu.* 3. Ego ipse *d. lib.* 2. *dis.* 10. *n.* 15. *fine*: sed in casu posito hoc prædium solitum est dari ad emphyteusim, seu feudum. nam ad hoc sufficit, si semel sit donatũ ex Molina *tom.* 2. *de iust. disp.* 468. *nu.* 19. neque fuit Ecclesiæ incorporatum, ad hoc enim, vt dicatur fuisse incorporatum requiritur, vt Archiepiscopus post cessationem dominij vtilis, habuerit animum illud prædium nunquam dãdi ad emphyteusim ex eod. Molina, *d. dis.* 468. n. 20.

3 Qui animus quamuis possit præsumi in alijs Prælatis circa prædia suarum Ecclesiarum, & pręsumatur per lapsum vnius anni, ex quo non est iterum prædium concessum in feudum: tamen in Archiepiscopo Montis Regalis pręsumi non potest: sunt namque tot canones, seu pacta in concessione prædiorũ talis Ecclesiæ, vt resultet in maximã eius vtilitatem, quod ipsius prędia alijs in feudum, aut emphyteusim concedantur, vt cõstat experientia, ac testimonio peritissimorum virorum, quos sæpius circa hanc materiam tractantes audiui. Ergo concludẽdum est, posse Archiepiscopum Mõtis Regalis, etiamsi per multos annos prædium ad suam proprietatem reuersum retinuerit: illud nũc iterũ dare ad emphyteusim absque licentia Papæ, tũ ob communem doctrinam; tum maxime ob consuetudinem pręscriptam in hoc Archiepiscopatu.

QVAERES XXVII.

An Parochus, non obstante pacto sepeliendi solum aliquos de vna familia in determinata sepultura, possit ibi alios sepelire.

SVMMARIVM.

Facti species ponitur n. 1.
Affirmatiua sententia probatur, nu. 2.
Concessio non aperiendi sepulturã pro alio non est concessio iuris sepeliendi ibi.
Pro loco sepulturæ quando pretium dari possit ibi.
Consuetudo quam vim habet n. 3.
Cadauer sepultum in alieno sepulcro exhumari non potest. n. 4.
Quid de publicis latronibus, &c. ibi.

1 Titius mortuam filiam sepeliuit in sepultura Parochiæ cuiusdam Ciuitatis, & ne alius ibi sepeliretur post sepultam filiam, soluebat singulis annis Parocho tres aureos siculos, quos etiã mortuo Titio, hæredes soluebãt; at per duos annos requisiti à Parocho non soluerunt, vnde ille aliũ in d. sepultura sepeliuit. hæredes prætendebant hoc à Parocho iniuste fieri, atque esse exhumanda cadauera superposita. Quæritur quid faciendum.

2 Respondi, Parochum licite alium sepelisse post filiam Titij; quia illa concessio facta ab ipso iuxta regionis consuetudinem, non sepeliendi alios, & non aperiendi sepulturam nisi Titio volente, non est concessio perpetua iuris sepeliendi mortuos de familia Titij; hæc enim pro pretio dari non potest, vt patet ex dictis à me *lib.* 4. *d.* 9. *nu.* 3. 4. & 5. *tr.* 2. *de vir. relig.* videri potest Bar-

Barbosa *de offic. Parochi c.26. nu.* 11. Vgol. *de simon. cap.* 44. §. 2. & alij passim, sed est quidam cõtractus onerosus, quo Parochus posita illa consuetudine, obligat se ad non aperiendam illam sepulturam, nisi pro Titio, & eis, pro quibus ipse voluerit, & Titius obligat se ad dandum tres aureos singulis annis, quod posse fieri, videtur aperta sententia Suarij *tom. 1. de relig. lib.* 4. *cap.* 14. *n.* 21. vbi sic loquitur [secus vero erit, si quis velit onerare Ecclesiam, & ita possidere in illa ius sepulturæ in aliquo certo loco illius, vt non possit alius ibi sepeliri; tunc enim videtur illa obligatio ex parte Clericorum posse vendi saltem authoritate Prælatorum Ecclesiæ, cum circa hoc nõ videatur facta prohibitio, nec contineatur in superiori, quia aliud est vendere sepulturam, quod ibi prohibetur, aliud est vendere obligationem non sepeliendi ibi alium.]

3 Quæ doctrina multo certior est, posita immemorabili consuetudine in illa ciuitate, vt constat ex dictis à me *de virt. relig. tr.* 2. *l.* 4. *d.* 32. *num.* 18. ex Castropal. *de simon. p.* 5. *n.* 2. in fortioribus terminis, & alibi passim, vbi ago de vi consuetudinis, Peyrinus *const. 26. Leo. X.* §. 10. *n.* 21. cum ergo contractus iste initus à Parocho cum Titio non aperiendi sepulturam nisi pro his, pro quibus voluerit Titius sit onerosus, facio, vt facias: vno ex contrahentibus non præstante id, ad quod se obligauit, alter potest resilire, vt constat in materia de contractibus: ergo cum Titij hæredes non soluerint tres aureos iuxta morem, & consuetudinem, potuit illico Parochus sepulturam pro alijs aperire,

4 Sed demus, Parochum iniustitiam commisisse, ac fecisse iniuriam hæredibus Titij, adhuc non poterit cadauer sepultum exhumari, & exhumans faceret contra leges latas contra exhumantes cadauera *ca. corpora sanctorum de consec. d.* 1. *l. nemo humanum Cod. de rel. & sump. funer.* sic docet in terminis Peyrinus in *const. 26. Leon. X.* §. 10. *nu.* 23. ibi [nota etiam quod sepulti in alieno sepulcro, etiam sine iusta causa, non debent exhumari; nisi sint pubplici excommunicati, nominatim interdicti, seu vsurarij manifesti. ita Zabarell. *clem.* 1. *de sepul qu.* 30. irrogatur enim illis maxima iniuria sine sua culpa] ergo multo magis dicendum est, etiam dato, quod Parochus male fecerit alios sepeliendo, non posse eorum cadauera exhumari, cum illud sepulchrum non fuerit sub Titij dominio; sed publicum, & solũ ratione contractus competebat ius quoddam, ne sepultura aperiretur pro alijs eo inuito, dum solueret illam mercedem, quod ius cessauit, eo non soluente, vt vidimus. Saluo, &c.

QVAERES XXVIII.

An Moniales Episcopo subiecta teneantur acceptare statuta synodalia Episcopi, imposita sub peccato mortali.

SVMMARIVM.

Tenentur in his, quæ concernunt regulam suæ religionis n. 1.
*Non tenẽtur moniales ad nimias, & extraordinarias auctoritates, &c. in synodo præscriptas, n.*2.
*Quæ sint illa, quæ regulam concernunt n.*3.

Quæ

QVæ sub hoc titulo continẽtur facilius explicabuntur per aliquot breues dubitationes, vt omnium captui sint accommodata, ad propositam igitur quæstionem.

1 Respondeo teneri in ijs, quæ concernunt regulam religionis: ratio est quia votum obedientiæ solum est secundum regulas ordinis, & non vltra, vt docet D. Thom. *quodl.* 10. *ar.* 10. Sanchez *in sum. lib. 6. cap. 2. n.* 15. Lezana *tom. 1. sum. c. 4. n. 9.*

2 Vnde si Episcopus cum synodo præciperet nimiàm corporis macerationem, magnas austeritates, facere mortificationes aliquas extraordinarias, vel solũ pro suo libito, moniales non tenerentur obedire Vasq. 1. 2. *dis.* 154. *c. 4. n.* 25. Mirand. *in manual. tom.* 1. *q.* 26. *ar.* 10. quia non sunt hæ inclusæ in regula.

3 Porro ea regulam concernũt, quæ ordinantur ad obseruantiã trium votorum paupertatis, castitatis, & obedientię, adeo ut, si ex longa consuetudine aliqua sunt obseruata contra regulam, possint tolli à Prælato, & reformari, & moniales teneantur illam reformationem acceptare, quamuis quando professionem emiserunt; illa obseruantia non fuerit: quia cum se obligauerint ad votorum obseruationẽ iuxta regulam; implicitè ad illa se obligarunt, quæ in illa religione ad votorum obseruantiam ordinantur. Sic Sanchez *l. 6. c. 2. nu.* 26. Pellizarius de monial. *cap. 4. n. 8.*

§. I.

Quænam illa sint, quæ ordinantur ad obseruantiam trium votorum, præsertim castitatis.

SVMMARIVM.

Numerantur multa, quæ ordinãtur ad votorum obseruantiam in monialibus n. 4.

Quæ sint probibita monialibus per varios Pontifices ad votorum obseruantiam n. 5.

Moniales tenẽtur sub mortali seruare ea, quæ ad votorum custodiam sunt posita, etiamsi minima in se sint n. 6.

4 REspondeo illa, quæ prohibent, ne munusculis, literis, aut nuncijs turpes foueant amicitias, siue inter se, siue cum exteris, quæ ordinantur ad perfectionem clausuræ prohibendo, ne sæculares accedant, ne longas habeant conuersationes cũ eis, ne ipsæ frequentius pateant sæcularium aspectibus, ita Pellizar. *de monial. cap. 4. n.* 83. 84. & 86.

5 Hinc teste Gauanto *in add. manual. Episc. ver. monialiũ clausura n.* 10. Clemens 8. prohibuit, ne catelli admitterentur intra monialium monasteria. Gregorius 13. sub pœna excommunicationis latæ vetuit quibusdam regularibus, scribere literas monialibus sui ordinis. Sacra Congregatio apud Lezanam *tom. 1. c. 25. n.* 36. prohibuit, ne accederent ad crates monialium sæculares quamuis ad docẽdam musicam, vel sonum cymbali, &c. & passim locorum Ordinarij similes tradunt ordinationes pro custodia sacrarũ virginum iuxta tempora occurrentia, vt aduertunt citati Doctores.

6 Quare & si Ordinarij imponant circa aliqua ex his, & similibus præcepta sub mortali; tenentur moniales obedire, quia quamuis aliqua in se sint mini-

ma: tamen considerato fine, quē Prælatus intendit, sunt grauia, & capacia obligationis grauis, ita Layman. *lib.* 1. *trac.* 4. *cap.* 14. *n.* 3. Salas *de legib. dis.* 10. *sec.* 6. Suar. *l.* 3. *de leg. c.* 25. & in terminis Ascanius Tamb. de iure Abbatiss. *dis.* 13. *q.* 4. *n.* 7. vbi ait [ne inanis Prælatorum iurisdictio in moniales videatur, fatendum est, moniales ad omnes leges, & statuta à Prælatis, & superioribus earum condita obseruanda teneri, alias frustra illis subijcerentur] sic Tāburinus.

§. II.

An Episcopus possit imponere nouas austeritates monialibus in regula non præscriptas.

SVMMARIVM.

Potest Episcopus in quibusdam casibus imponere nouas austeritates monialibus sibi subiectis n. 7.
An ad hoc requiratur nouus monialium consensus n. 8.
Clausura potest induci sine consensu monialium, etiam vbi tempore professionis non erat ibi.
Male faciunt scioli quidam cum pusillorum scandalo, superiorum auctoritatem metientes 9.

7 Respondeo posse, tum in iustam pœnam violationis regulæ, aut alterius delicti commissi, tum casu quo noua austeritas iniungatur in cautelam ad præcauendum recidiuum in aliquod peccatum. ita Sanchez *l.* 6. *sum. cap.* 2. *n.* 25. Lessius *lib.* 2. *ca.* 4. *n.* 75. Lezana *t.* 1. *cap.* 4. *n.* 11. cū alijs.

8 Solum hic nota, non requiri nouum monialium consensum ad hoc, vt moniales obligentur legibus, & præceptis latis in ijs casibus, in quibus diximus, posse ea ab Episcopo, vel alio Superiore monialium dari; nam sufficit ille consensus, quo se obligarunt in professione ad votorū obseruantiam iuxta regulam, vt tradit Suar. *tom.* 3. *de rel. lib.* 10. *c.* 8. *n.* 10. *&* 13. & alij citati Doctores, quod patet à fortiori, quid enim strictius clausura monialiū, & tamen ea posset induci sine ipsarum consensu, quamuis professionē emiserit in monasterio, in quo non seruabatur clausura, quādo esset necessaria ad obseruantiam votorum; quia vt diximus supra, qui assumunt aliquem statum, virtualiter se obligant, ad omnia, quæ expediunt tali statui. sic Sanch. *d. l.* 6. *c.* 2. *nu.* 42. Rodriquez *t.* 1. *q.* 44. *regul.* Miran. *qu.* 1. *de monial. ar.* 2. & alij.

9 Vnde concludam hanc quæstionem verbis Lezanæ viri doctissimi, & religiosissimi *t.* 1. *c.* 4. *n.* 24. *sum.* [male ergo scioli quidam, qui vix Theologia, vel casibus conscientiæ à limine salutatis, arundine mathematica, quid superiores ijs, vel illis præscribendis authoritatis habeant cum scandalo pusillorum factiose metiuntur] ita Lezana, et ego.

QVAERES XXIX.

An sit valida excommunicatio lata per Prouincialem contra Vicarium Generalem constitutum pro vno conuentu à Vicario Generali totius ordinis.

SVMMARIVM

Casus in quæstione propositus explicatur nu. 1.
Non potest Prouincialis dictum priorem Vic. Generalem delegatum pro

pro vno conuentu excommunicare n. 2.

Excommunicatio lata contra non subditum nulla omnino est pro vtroque foro ibi.

1 CAsus, de quo consultus fui non multis ab hinc diebus est. Generalis statim ac fuit creatus volens studijs, sibi, & Deo vacare, saltem per aliquod tempus, constituit Commissarium Generalem pro toto ordine cũ amplissima facultate. qui cum Romę degeret creauit Caium Priorem magni cõuentus in suũ Vicarium Generalem pro illo conuentu: hunc Priorem, & Vicarium Generalem Prouincialis ob certam causam excommunicauit, an talis excommunicatio fuerit valida.

2 Dicẽdum putaui, Caium Priorem non potuisse excommunicari à Prouinciali. ad hoc ostendendum duo mihi sunt probanda: Primum est, Caium de facto, ac de iure esse Commissarium Generalem pro suo Cõuentu A. secundum est, Commissarium Generalem pro vno Conuentu constitutum non esse subditum Prouinciali: his enim positis manifeste sequitur, Caium non potuisse excommunicari à Prouinciali; cum excommunicatio nulliter feratur in non subditum, adeo, vt excommunicatus à non superiore non teneatur se gerere, vt excommunicatum, neque pro foro interno, neque externo, ratione excommunicationis *ex cap. sane, & capit. cum ad quorundam de excess. Prael.* Peyrinus. *de subd. regul. qu.* 1. *cap.* 31. §. 10. Nauarr. *cap.* 27. *summ. nu.* 13. Suar. *tom.* 5. *de cens. dis.* 5. *sect.* 1. Castrop. *de cens. dis.* 1. *pu.* 8. *à nu.* 12. & alij passim.

§. I.

Probatur, Caium priorem conuentus A de facto, & de iure cõstitutũ fuisse Vicariũ, seu Commissariũ Generalem pro conuentu A.

SVMMARIVM

Potuisse Commissarium Generalẽ constituere Caium pro vno conuentu Commissarium Generalẽ ostẽditur tam de iure communi, quam religionis n. 3.

Generalis in sua religione est veluti primas, seu Patriarcha. ibi.

Primas venit nomine Principis. ibid.

Item, & Episcopus n. 4.

Delegatus, etiã si non sit principis, quando possit subdelegare nu. 5.

Potestas subdelegandi est necessaria delegatis supremis n. 6.

In quibusdam religionibus cõstituuntur Vicarij Generales pro vno tantum conuentu n. 7.

Generali incumbit sui ordinis constitutiones, & priuilegia, explicare, & ipsi standum est. ibi.

Prouincialis in minimis potest constituere Vicariũ ordinarium supra correctorem in cõuentu n. 8.

3 ET quod attinet ad factum, patet ex formula literarũ patentium, per quam apertè constituitur Commissarius Generalis ibi [harum ergo nostrarum authoritate te in nostrum Commissarium Generalem in prędicto conuentu eligimus, & deputamus] vt etiam in sequentibus apparebit. Quod autem de iure potuerit Commissarius Ordinis constituere Caium Cõmissarium Generalem loco sui ipsius pro vno conuentu est manifestum, tum de iure communi, tum de iure particulari religionis, de iure communi dele-

gatus Principis poteſt ſuam authoritatem alteri delegare *l. à Iudice* vbi Petrus Bellaper. & Cyrus *Cod. de iudicijs. cap. cum causā de appell.* Sanchez *de matr. diſ.* 31. *n.* 1. *lib.* 3. id vt certum ſtatuens, & alij, ſed Commiſſarius Generalis ordinis eſt delegatus Principis, nempè Generalis, qui eſt veluti primas, & Patriarcha, nec in ſua religione cognoſcit ſuperiorem, vt tradunt Lezana *tom.* 2. *cap.* 13. *n.* 8. Rodriq. *t.* 1. *q.* 12. *ar.* 5. Peyrin. *t.* 2. *de Præl. q.* 1. *c.* 4. §. 4. *n.* 70. & primas, ſeu Patriarcha venit nomine Principis ex Barboſa *de pot. Ep. tit.* 1. *c.* 6. *n.* 9. *&* 10. Petro Greg. *syntag. iur. lib.* 15. *cap.* 2. *n.* 11. & alijs.

4 Imo etiam Epiſcopus dicitur Princeps, & eius delegatus tamquam delegatus Principis poteſt ſubdelegare. Ego ipſe *quæſt. mor. tr.* 1. *diſ.* 2. *q.* 10. ergo Commiſſarius Ordinis potuit de iure communi conſtituere Caium Commiſſarium Generalem pro conuentu A, & illi ſuam authoritatē delegare.

5 Confirmatur, quia delegatus etiam ſi non ſit *Principis*, etiamſi non ſit ad vniuerſalitatem cauſarum poteſt delegare, quando Ordinarius delegans conceſſit illi hanc poteſtatem ſiue expreſsè, ſiue tacitè, vt ſi ex vſu, & cōiecturis appareret, Ordinarium id velle, prout tradunt Bald. *l. more n.* 12. *ff. de iuriſ. omn. iud.* Alberic. *n.* 14. ibi Nauarr. *cap. placuit n.* 6. *de pœnit. diſt.* 6. *&* *n.* 70. Bolognetus *l.* 1. *n.* 46. *ff. de off. eius*, & alij cum Sanchez, quem ſequutus ſū *lib.* 3. *de matrim. diſ.* 31. *n.* 5. at quis negabit expreſsè, nedum tacitè Generalem Ordinis conceſſiſſe hanc facultatem ſubdelegandi illi, quem conſtituit Commiſſarium Generalem cum omnimoda ſua auctoritate, & ſigillum religionis aſſentiēte toto capitulo, tradidit, & is vt Deo, & ſtudijs vacaret Roma ſeceſſit, & cōmiſſarium ibi reliquit.

6 Neque potuit ignorare Generalis cū eſſet vir doctiſſimus, & prudentiſſimus, neceſſariam eſſe Commiſſario poteſtatē ſubdelegandi, qui non poterat eſſe ibi præſens, & negotia Religionis eſſe varia, & aliquando vrgentia, neque expediri poſſe, niſi per habentem ſupremam dignitatem, ac gerentem vices ipſius Generalis: ergo eſt aſſerendum, quod data fuerit Commiſſario Generali, (in cuius manibus vniuerſa Religio poſita eſt) poteſtas ſubdelegandi, vbi id expedire iudicauerit, etiam dato, quod Commiſſarius Generalis ex vi ſui Vicariatus nō poſſet ſubdelegare, & præter Doctores citatos docentes generaliter, delegatos principis poſſe ſubdelegare in noſtris terminis de Cōmiſſario, ſeu Vicario Generali Ordinis, quod poſſit ſuā iuriſdictionem ſubdelegare, docet Lezana *t.* 2. *cap.* 13. *n.* 16. *&* 17.

7 De iure autem peculiari religionis, poſſe conſtitui tales commiſſarios Generales gerentes in aliquo conuentu vices Generalis, ſeu Commiſſarij Generalis patet ex vſu iſtius ſacræ Religionis, quem ipſimet Religioſi fatentur, & quod caput eſt, ipſe Vicarius Generalis atteſtatur, & vt certum ſupponit in patentibus literiſ, ibi [teque Caium ſuper omnes Patres, & Fratres, tam in capite, quam in membris, ibi commorantes conſtituimus cum omni authoritate, & poteſtate ſimilibus Generalibus cōmiſſarijs in noſtro ſacro ordine concedi ſolita] En, vt clariſſime id aſſerit vir inſignis, qui fuerat

rat religionis Generalis; cui incumbit declarare constitutiones sui ordinis, & priuilegia, eiusque declarationi tamquam iuridicè factæ standum est: per Bullam Iulij 2. *considerantes* concessam minimis, & tradit Rodriqu. *t.1.quæs. reg.* 11. *ar.* 5. neque fas est dicere, eum, ac suos ministros tam palam errare: vt asserant esse in vsu suæ religionis, Vicarios similes constituere, cum verè non sit.

8 Adde quod, vt plurimum formulæ istæ literarum patentium sunt desumptæ ex libris ordinis, in quibus solent esse huiusmodi formulæ ad vsum officialium Generalis registratæ, & tandem nõ debet mirum videri, quod in hac Religione tales Commissarij constitui soleant. Cum id etiã fiat in alijs sanctissimis Religionibus, vt de sua attestatur Lezana *t.* 2. *cap.* 13. *n.* 16. cuius verba mox referam. Peyr. de sua minimorum pluribus in locis, & præsertim *in formul. Prælat. lit. V. ca.* 5. vbi docet, etiam à Prouinciali posse constitui Vicarium ordinarium supra correctores in cõuentu aliquo constat ergo, Caiũ tam de facto, quam de iure communi, & speciali suæ Religionis esse verum Vicarium, seu Commissarium Generalem, pro cõuentu A.

§. II.

Probatur, Commissarium Generalem constitutum pro vno conuentu non esse subditum Prouinciali.

SVMMARIVM

Commissarij Generales pro aliquo conuentu constituti non se ingerũt iurisdictioni ordinariæ Prælatorum ex sacra Congreg. n. 9.

Potest ad ipsum recurri via appellationis ibi.

Quid sit appellatio ibi.

Is ad quem appellatur est superior eius, à quo appellatur n. 9.

*Commissarius Generalis in aliquo conuentu non est subditus prouinciali cum gerat vices Generalis n.*10.

*Probatur idem alia consideratione nu.*11.

Confirmatur idem alio argumento. nu. 12.

Expressum dicitur, quod ex circũstantijs, & vsu tale est ibid.

Non asseritur ab Auctore, Commissarium Generalem pro vno conuentu posse eximere ab obedientia Prouinciales subditos talis conuentus.

9 HAnc partem tam clare probo ex Oraculo sacræ Congreg. Eminent. Cardinalium, vt nulla alia probatione opus sit, ea enim ann. 1626. 5. Octobris, & 16. Ianuarij 1643. declarauit, Commissarios Generales qui solent constitui pro aliquo conuẽtu nõ debere se ingerere in iurisdictione ordinaria Prælatorum, nisi in gradu appellationis, prout refert Lezana *t.* 2. *cap.* 13. *nu.* 16. addens [quod notandum duxi propter aliquos Commissarios, qui in ordine nostro in aliquibus conuentibus constituũtur;] ergo si Commissarius pro conuentu constitutus (esto non possit impedire ordinariam Superiorum potestatem: de hoc enim non est nostra quæstio) est talis, vt ad ipsũ possit appellari à prouinciali, & alijs superioribus: certum est ipsum non esse subditum Prouinciali, imo potius in hoc esse illo superiorem, appellatio enim est querela ad superiorem, & ex hoc Doctores probant

bant superioritatem alicuius, ex quo potest ad ipsum appellari, vt videri potest in Sanchez *lib. 7. cons. cap. 1. dub. 35. à nu. 1.*

10 *Probatur* secũdo, Caium Priorem conuentus A. vtpote Cõmissarium Generalem non esse subditum Prouinciali, quia gerit vices in illo conuentu Commissarij Generalis ordinis, ipsiusque personam representat, vt patet ex tenore literarum [qui in prædicto conuentu, absentibus nobis, præsideat, nostrasque vices gerat] ergo non est subditus Prouinciali, sicuti non subditur ipse Vicarius Generalis, cui is substituitur, ex regula substitutus sapit naturam eius, cui substituitur, & cum constituatur à Commissario Generali totius Ordinis, vt suppleat eius vices, ac præsentiam: habet in illo cõuentu eamdem auctoritatem, quam habet Commissarius Generalis ordinis, vt probat Felin. *cap. cum olim 2. de offic. dalegati n. 1.* Roman. *sing.* 367. vbi eius additionator Peyr. *d. loc. formularij Prælat. litera V. cap.* 5. loquens de Commissario Prouincialis, ab eo constituto pro aliquo conuentu.

11 Probatur 3. quia si Caius esset subditus Prouinciali, aut eius Vicario, frustaretur finis intẽtus à Patre Generali Commissario Ordinis: is enim fuit, vt patet ex eius verbis in proemio literarũ, supplere per Commissarium illũ defectum suæ præsentiæ in conuẽtu tam amplo A. et hoc fine motus elegit Caium, eius peritię, & experientiæ confisus, vt ipse Cõmissarius Generalis loquitur: at, si Caius esset subditus Prouinciali, quomodo posset prouidere patrib⁹, ac fratrib⁹ in eo cõuẽtu degẽtibus, & eo modo ac si Vicarius Generalis ordinis esset præsens Fratres ad se accurrentes, & quærelam contra Prouincialem proponentes excipere?

12 Probatur tandem quartò, quia ex quo Caius fuit constitutus Commissarius Generalis in dicto conuentu A, [super omnes patres, ac fratres tam in capite, quam in membris, ibi commorantes cum omni authoritate, & potestate similibus Generalibus commissarijs in nostro sacro ordine concedi solita] ex hoc inquam, expresiè fuit per d. Commissarium Generalem Ordinis declaratum, quod nõ esset subditus Prouinciali, tum quia sic est in vsu in ordine hoc, tũ quia sic postulabat ratio officij, & finis intenti à Commissario Generali Ordinis; quod ex circumstantijs, & vsu censetur expressum, licet claris verbis non fuerit declaratum ex Gloss. *1. huius ver. nõ ad matrem ff. de vulg. l. precibus fine Cod. de impuber. & alijs substit.* Bart. *in l. 1. n. 7. Cod. de vulgari* Menoch. *de præs. l. 4. præs. 34. n. 32.*

13 Neque ex hoc inferat aliquis, nos asserere Commissarium Generalem ordinis posse eximere à iurisdictione, & potestate superioris immediati aliquem religiosum, vel conuentum, immediatè sibi illum subdẽdo, scio enim hoc ab aliquibus negari, vt videri potest in Miranda manual. *t. 2. q. 7. ar. 6.* neque ad casum nostrum pertinere. tantum assero, Caium priorem conuentus A ex hoc ipso, quod factus est Commissarius Generalis pro illo conuentu, vt factum esse tam de facto, quam de iure ostendimus: non subdi Prouinciali, & per cõsequens non potuisse ab eo validè excõmunicari, vt initio, quęstionis probauimus. saluo, &c.

QVAE-

QVAERES XXX.

An Cadauer hominis mortui gaudeat priuilegio immunitatis Ecclesiæ.

SVMMARIVM

Affirmatiua Dianæ sententia, & eius argumenta n. 1. & seqq.

Reus è manibus satellitum extractus gaudet immunitate, licet aliqui negent n. 2.

Priuilegium merè personale quando non extinguitur cum persona n. 3.

Priuilegium immunitatis Ecclesiarum immediatè conceditur ipsis ecclesijs ibi.

Clericum mortuum percutiens, an incidat in excommunicationem cap. si quis n. 4. & 12.

Clericus mortuus, an gaudeat fori priuilegio ibid.

Iudex laicus non potest exhumare cadauer ad cognoscendum, num homo fuerit occisus n. 5.

Ostium Ecclesiæ censetur extare in ipsa Ecclesia ibi.

Negatiua sententia ab Auctore sustinetur nu. 6.

Immunitas Ecclesiæ dupliciter potest in casu posito considerari, ibi. & n. 7.

Sacrilegiũ quando, & an sit furari res Ecclesiæ nu. 7.

Canones loquentes de Immunitate Ecclesiæ, quoad reorum confugientium ad eam extractionem nõ comprehendunt cadauer n. 8.

Expenduntur canones, & Bulla Gregorij 14. loquentes de immunitate Ecclesiæ, quoad confugientes n. 9.

Extrahẽs iumentũ, aut aliud animal ab Ecclesia nõ ledit eius immunitatem n. 10.

Infideles confugientes ad Ecclesiã quando gaudeant immunitate ibid.

Mutilans membrum aridum, aut cadaueris intra Ecclesiam gaudet immunitate n. 11.

Clericus mutilans membrum cadaueris, aut aridum non est irregularis ibi.

Verba in fauorabilibus non debent extendi, vt à propria significatione recedant. ibid.

Clericus mortuus pertinet ad statum clericalem. n. 12.

Cadauer non existimatur esse in consortio nostro ibi.

Percutiens clericum consentientẽ cur sit excommunicatus n. 13.

Clericus percutiẽs se ipsum, an incidat in excommunicationem cap. si quis ibi.

Extrahens reum volẽtem ab ecclesia non facit contra immunitatẽ Ecclesiæ ibi.

Qui viuens commisit delictum nõ gaudens immunitate, an possit mortuus ab Ecclesia extrahi nu. 14.

In cadauere non est discurrendum, ac discurrimus in malefactoribus ad Ecclesiam confugiẽtibus. ibid.

1 GAudere immunitate putauit Eruditiss. Diana in quodam manuscripto, quod ad me humanissimus vir transmisit, cũ casus contigisset in Hispania, vbi cum cadauer cuiusdam latronis in pœnam delicti pẽderet è furca, fuit sublatum clam, & in gradu propinquiori foribus Ecclesiæ positum, in quo factò asseruit Diana, dictum cadauer, nõ potuisse à laico gubernatore è schalis ecclesiæ, in quibus erat positum, capi, & in furca iterũ suspendi, idque probauit vir doctissimus quatuor rationibus, quas ad me misit die 14. Martij 1654.

2 Prima est, quia reus extractus de manibus satellitum gaudet ec-

ecclesiæ immunitate, & licet cōtrarium docuerit Pasqualigus *decis.* 486. *& in quæstionib. canon. cent.* 1. *q.* 98. tamen contra ipsum adducit decretum sacræ cōgreg. die 11. Febr. 1648. ergo etiam gaudet immunitate cadauer, licet per fraudem è manibus curiæ fuerit sublatum, & ad ecclesiam confugerit.

3 Secunda est, quod quamuis priuilegia merè personalia morte amittātur *ex l.* 1. *ff. de constit. Princ. l.* 1. *§. permittitur ff. de aqua quot. & esti. l. priuilegia quædam de reg. iur. & regula priuilegium eod. in* 6. tamen priuilegium etiā purè personale non extinguitur, quando persona non est causa proxima concessionis priuilegij. v. g. priuilegium restitutionis in integrum minoris transit ad hęredes *l. non solum ff. de in integrū restit.* ex eo, quia, causa proxima concessionis priuilegij non est persona minoris; sed læsio, vt probat Merolla *dis. th. mor. to.* 2. *cap.* 7. *dis.* 6. *dub.* 6. *nu.* 130. at in casu nostro priuilegium immunitatis concessum cōfugentibus ad Ecclesiā remote, & secundario fuit illis concessum, nam proxime, & primario cōcessum fuit Ecclesiæ, & vt loquitur Castropalaus *t.* 2. *tr.* 11. *dis. vnica pu.* 7. *n.* 6. & alij communiter, priuilegium immunitatis Ecclesiæ nō propter personas: sed personis propter locum concessum fuit.

4 Confirmat ex eo, quod communior sententia docet, Clericū mortuum non amittere priuilegium canonis: vnde si quis eum percutiat, incidet in excommunicationem ex Toleto *lib.* 5. *cap.* 32. *nu.* 15. Squillante *de priu. cler. cap.* 6. Nald. *sum. ver. sepultura n.* 5. Thesaur. *de pœnis par.* 2. *cap.* 2. Villalobos *in sum. cap.* 1. *tra.* 13. *diff.* 22. *nu.* 16. Imo etiam gaudet priuilegio fori, vt tradit Martha *de iurisd. p.* 2. *can.* 32. *num.* 44. ergo etiam homo mortuus gaudebit priuilegio immunitatis.

5 Tertia deniq; ratio est, quod Iudex laicus non potest exhumare corpus mortuum propter examen: an vulneribus sit interfectū, sine Episcopi licentia: nā exerceret iurisdictionem in alieno territorio. ex Genuens. *prax.* 42. *nu.* 10. Themundo *in decis. Vlyssipp. t.* 2. *decis.* 131. *nu.* 7. Posseuino *de offic. curati. c.* 14. *nu.* 8. Cabedo *in decis. regni lusitan. p.* 1. *dec.* 134. *nu.* 1. *&* 3. & alij: ergo neque potest Iudex laicus in casu posito corpus mortuum extrahere ab ostio, & suspendere; cum ostium Ecclesię dicatur in ipsa Ecclesia extare, & sic appellatione domus, ostium continetur, vt patet *ex l. si aquæductum cod. de contr. empt.* vnde ostium Ecclesiæ gaudere immunitate deciditur expresse *cap. si quis cōtumax* 17. *q.* 4. & late probat ipse Diana *p.* 6. *tr.* 1. *res.* 8. Hæc sunt huius sapientissimi viri argumēta ad probandum, corpus mortuum gaudere immunitate.

6 His tamen non obstantibus, negatiue respōdeo, nempe, corpus mortuū in casu prædicto nullo modo gaudere immunitate Ecclesiæ. Dixi nullo modo, quia immunitas Ecclesiastica potest considerari in hoc casu primo iuxta terminos *cap. inter alia de imminutat. Ecclesiast.* & Gregorij 14. *cum alias nonnulli*: nempe quatenus Ecclesia est quidam locus constitutus, vt refugium ad defendendos eos, qui ad eam confugiunt, & sub his terminis videtur loqui Diana, vt patet, tū ex adductis eius rationibus: tum quia nomine immunitatis Ecclesiæ per antonomasiā, hæc à Doctoribus appellatur, vt notaui *de*

virt.

virt. relig. tr.1. lib. 4. dis. 1. initio.

7 Potest secundo in casu nostro immunitas Ecclesiæ considerari iuxta terminos *cap. quisquis 17. q.* 4. ibi.[sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro]& hoc, quia læditur immunitas constituta templo Dei ob reuerentiā ipsi debitam, vt etiam dixi lo.citat. *dis.* 4. *q.* 4. dico igitur, neutrā ex his immunitatibus cadaueri suffragari, nam de alijs non est locus in casu posito.

8 Non suffragatur prima, quia nunquam canones, aut constitutio Gregorij concedentes hanc immunitatem Ecclesię compręhenderut hūc casum de refugio cadaueris: ergo per extractionē cadaueris ab Ecclesia talis immunitas nō læditur. Consequētia est manifesta *ex l. si vero* 94. §. *de viro ff. sol. matrim.* & probat Sanchez *lib.* 2. *de matr. dis.* 37. *nu.* 3. cum Antonino *cap. post translationem de renunc. n.* 34. Abbat. *ibid. in* 2. *lettura n.* 1.

9 Antecedēs probatur, & quidē in sacris canonibus *in d. cap. inter alia* dicitur [tuis quæstionibus respondētes iuxta sacrorum canonum statuta, & traditiones legum ciuilium ita duxerimus distinguēdū, quod fugiēs ad Ecclesiā, aut liber, aut seruus existit, si liber quantumcumq; grauia maleficia perpetrauerit nō est violenter ab Ecclesia distrahendus, nec inde damnari debet ad mortem, vel ad pœnam, &c.] idem ait Gregorius 14. in d. sua constitutione [vt laicis ad ecclesias locaque sacra confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, &c.] & ibi [quodque delinquentes laici, &c.] vbi vides, Pontifices loqui de immunitate Ecclesiæ non respectu quarumcumque rerum, ibi repertarum; sed de personis delinquentibus, & ad ecclesiam confugientibus ad tutamen: sed cadauer non potest dici persona humana, aut malefactor, seu delinquens, vt tradit Ioa. Baptista de Plotis *in suo consilio num.* 39. quod habetur *to.* 1. *cons. crim.* Ioan. Baptistæ Zilet. *cons.* 130. neque ad ecclesiam confugere potest, vt de se patet.

10 Vnde nō læderet Ecclesiæ immunitatem hanc qui canem, vel aliud animal ad ecclesiam confugiens vi extraheret. Et ego cū Suar. Baiar. Bonac. Fagundez; Farin. Portello, & alijs probaui *de vir. relig. tr.* 1. *lib.* 4. *d.* 6. *n.* 6. infideles ad ecclesiam confugientes, tunc gaudere immunitate cum ad eam confugiunt, & animo sincero petunt baptismum, & quamuis contraria sententia asserens, omnes infideles confugientes ad ecclesiam gaudere immunitate sit probabilis, id probat, vt asserit ipse Diana in suo scripto, quia canones indistinctè concedunt omnibus hoc priuilegium non propter personas, sed propter loca: ergo patet manifestè, quod cum canones concedunt ecclesiæ hoc priuilegium, quoad personas confugientes ad delictorum pœnam vitandam, non compræhendāt cadauera, quæ nec delinquere, nec confugere ad ecclesiam possunt, neque in hominum commercio computantur.

11 Confirmatur dictum antecedens; nam quamuis mutilantes membrum in ecclesia non gaudeant immunitate; tamen mutilans membrum cadaueris gaudet immunitate, vt probaui *de virt. rel. trac.* 1. *l.* 4. *dis.* 8. *q.* 5. *n.* 17. & de mutilante mēbrum aridū,

Nn quia

quia verè membrum non eſt, & ſic non eſſet irregularis clericus membrum aridum mutilans, aut cadauer diſcerpens, vt docet Suarius *de cenſur. diſ.* 44. *ſec.* 2. *n.* 9. ergo ſimiliter cum cadauer vere homo delinquens non ſit, neque ad eccleſiam confugiat; diſpoſitio canonum concedens hanc immunitatem confugientibus ad eccleſiam, de cadauere non loquitur, cum lex ad ea, quæ raro accidunt non extendatur, & verba, etiam in fauorabilibus non ſunt ita extendenda, vt à propria ſignificatione recedant omnino, itaut nec naturalem, nec ciuilem habeant ſignificationem, ſed ſint prorſus valde diuerſa, vt patet in materia de legibus.

12 Neque, etiamſi daremus, Clericum mortuum gaudere priuilegio canonis, & fori, poſſet inferri: ergo etiam corpus mortuũ gaudet immunitate eccleſiæ, nã priuilegium canonis conceditur ſtatui clericali, clericus autem mortuus pertinet etiã poſt mortem ad talem ſtatum iuxta Eccleſiæ exiſtimationem; vnde, niſi talis actio exerceatur circa corpus mortuum Clerici, quæ cenſeatur arbitrio prudẽti grauiter iniurioſa ſtatui clericali, excommunicatio nõ incurritur, vt docet loquẽs de percuſſione, & actione iniurioſa contra clericum Suarius *diſ.* 21. *ſec.* 1. *num.* 27. *de cenſ.* Coninch *diſ.* 14. *dub.* 15. *n.* 190. Caſtropal. *de cens. dis.* 3. *pu.* 23. §. 2. *n.* 2. & alij: At in noſtro caſu cadauer eximitur à perſonarum criminoſarum potentiũ ad eccleſiam confugere conſortio tum ſecundum rectam philoſophiam, tum ſecundum hominum exiſtimationem, & per conſequens de illo non loquuntur canones concedẽtes immunitatem confugientibus ad eccleſiam, licet enim immunitas eccleſiarum ſit primario conceſſa ob reuerentiam locorum ſacrorum; tamen eſt reſpectu delinquentium confugientium ad loca ſacra, & non reſpectu lapidum, vel cadauerum in ipſis repertorum.

13 Quæ ſanè diſparitas manifeſtè oſtenditur; nam quamuis clericus conſentiat percuſſioni; tamẽ ſecundum communem ſentẽtiã ex Gaet. *v. excommunicatio c.* 10. Laym. *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *cap.* 5. *n.* 5. & alijs percutiens excommunicationem incurret, nec etiam poteſt cõſentire in iudicem laicũ, imo ferè communis ſententia tenet, quod clericus ſeipſum percutiens ſit excommunicatus, vt videri poteſt apud Sayrum *lib.* 3. *cap.* 26. *n.* 20. Molin. *diſ.* 51. *n.* 4. *tr.* 3. & alios, At communis ſententia negat, Iudicem facere contra Eccleſiæ immunitatem, qui reum volentem ab Eccleſia ſecũ duceret, etiam clericis contradicentibus, quia beneficium immunitatis non conceditur inuito, ac volenti violentia non infertur, vt dixi *de vir. relig. c.* 13. *n.* 2. *tom.* 2. vbi id tanquam certũ ſtatui cum Nauarr. in Manual. *c.* 15. *n.* 11. vbi ait, eſſe communẽ *in cap. vlt. de imm. eccleſ.* ſignum ergo manifeſtum eſt, quod priuilegium canonis, & fori eſt cõceſſum ſtatui clericali, & ex hoc ipſo, quod quis cenſetur ſecundum hominum æſtimationem eſſe in eo ſtatu, illo gaudet, hinc Doctores, qui docent Clericum mortuũ gaudere priuilegio canonis, & fori ſemper fundantur in eo, quod infertur iniuria ſtatui clericali, voluntque clericũ mortuum non deſinere eſſe de ſtatu clericali.

14 In caſu vero à nobis poſito lõgè

gè aliter res se habet, numquam enim quis dicet, mortuum delicta patrari, & esse de consortio eorum, qui ad ecclesiam ad obtinendum refugium, & immunitatem delictorum confugiunt, & sic priuilegium immunitatis non compræhendit cadauera in ecclesia adducta: quare non est videndum: vtrum priuilegium morte amittatur nec ne, quia talis quæstionis decisio parum refert pro casu nostro, solum posset deseruire quando aliquis commisisset in vita delictum nō excludens delinquentem ab immunitate, & ad ecclesiam confugisset, vbi mortuus est, & iudex vellet post mortem aliquam pœnam ad infamiam mortuo infligere: tunc enim cum hic cōmiserit delictum, per quod gaudet priuilegio immunitatis, eo non est in morte priuandus. Et sic argumenta adducta, & ingeniosè excogitata pro vtraque parte à Diana in nostro casu nō procedunt: nam non debemus discurrere, sicuti discurrimus de malefactoribus viuis, quos canones concedentes Ecclesiarū immunitatem comprehendunt; sed discurrendum est de cadaueribus, quæ non sunt compræhensa in priuilegio immunitatis, quatenus immunitas dicit tutamen eorum, qui ad ecclesiam confugiunt.

§. I.

Probatur cadaueri extractio ab Ostio Ecclesiæ non suffragari immunitatem iuxta terminos cap. quisquis 17. q. 4.

SVMMARIVM.

Quando furans rem in ecclesia censeatur sacrilegium committere. n.15.

Ad sacrilegium hoc requiritur, vt res ablata sit intra corpus ecclesiæ n.16.

Fornicans in Ostio ecclesiæ ex parte exteriori nō committit sacrilegium ibi.

Ostium licet veniat appellatione ecclesiæ, non est intra corpus ecclesiæ n.17.

Iudex cadauer rei capiens, rem suam repetit n.18.

Iudex potest ad libitum cadauer latronis sepelire, vel insepultum relinquere, ad Anathomiam tradere, &c. ibi,

Soluitur tertium P. Dianæ argumentum n.19.

Ecclesia non est censenda velle tueri ablata contra ius alterius ibi.

Epilogus totius quæstionis resolutæ n.20.

15 Restat probandum, quod nec lædatur immunitas ecclesiæ per extractionem illam cadaueris, quatenus talis immunitas facit; ne quis possit sine sacrilegio rem aliquam ab ecclesia extrahere per rapinam, aut furtum, quod patet primo, quia ad hoc, vt quis censeatur furando rem in ecclesia positam, illi iniuriam facere, ac sacrilegium committere contra eius immunitatem, requiritur vt illa res pertineat ad ecclesiam aliquo modo, vel quia traditur ipsi custodienda, vel ad eam ornandam, &c. vt cum Em. Delugo *de pæn. sec. 10. dis. 6. n.* 470. Fagund. *præc. eccl. l. 4. cap. 4. n. 9.* Coninch. *dis. 2. dub. 4. n. 22.* Pellizario *tr. 5. cap. 4. nu.* 47. ipso Diana *p. 1. tr. 7.* probaui *de vir. relig. tr. 1. lib. 4. dis. 4. q. 4.* sed cadauer non fuit ecclesiæ consignatum, vt supponimus, in facto, nec ad eius ornatum, vel vtilitatem fuit traditū, er-

ergo si quis illud abstrahat non facit ecclesię iniuriam, nec committit sacrilegium, & per consequens non lædit eius immunitatem quoad hoc.

16 Secundo, quia ad hoc, vt cēseatur lædi immunitas ecclesiæ, quo ad hanc partem, & committi sacrilegium auferendo rem ab ipsa, requiritur, vt res ablata, sit intra corpus ecclesiæ benedictæ, vel consecratæ, nec sufficit si auferatur à dormitorijs, sacristia, foribus, campanili, cæmeterijs, &c. vt probaui *d.dis.4. de vir. relig.* & videtur in proprijs terminis docere ipse Diana *par. 3.trac.4.res.* 166. vbi postquam dixit, quod ad hoc, vt sit sacrilegium copula requiritur, vt fiat in loco sacro, & [per locum sacrum solum corpus ipsum ecclesiæ consecratæ; vel benedictæ intelligitur] subdit [vnde infertur cōtra Seluam *de benef.par. 2.q.57.n.2.* Zerolam vbi supra *q.20.*& alios, quod si quis furetur notabile quid in in supradictis locis non tenetur aperire hanc circumstantiam, sed sufficit dicere, furatus sum] ergo per Dianam, sacrilegium solum committitur furando intra corpus ecclesiæ consecratæ, aut benedictæ: constat autem Ostium nō esse corpus ecclesiæ consecratæ; aut benedictæ: quoad partem exterius, & eius gradum; alias si in Ostio ex parte exteriori quis mæcharetur sacrilegium committeret, quod nō dabunt Azorius, Domin. Sotus à Diana citati, & alij, nec ipsemet Diana.

17 Neque obstat quod appellatione domus veniat Ostium, vt asserit Diana ex *l. si aqueductum C.de contr.empt.* et alijs iur. supra ralatis; nam etiam appellatione Ecclesiæ veniunt hortus, balnei, etc. vsque ad vltimas fores, vt dixi *de vir.relig. tr.* 1. *lib.4.dis.* 1. *q.*3. cum ipso Diana *par.6.tr.1.resol.3.* et tamē ipse doctissimus vir licet illa loca includat, quoad fruitionem immunitatis in refugiādo confugientes ad Ecclesiā: excludit tamen quoad hoc, vt lædatur immunitas Ecclesiæ per furtum in ea factum, quia vult, tunc esse sacrilegium, quando furtum committitur intra corpus Ecclesiæ consecratæ, aut benedictæ, ostium autem non est intra corpus Ecclesiæ, licet veniat appellatione Ecclesiæ, vt veniunt etiam alia loca Ecclesię coniuncta, quæ intra corpus Ecclesię non sunt.

18 Tertio; quia reuera Gubernator dum extraxit cadauer ab Ecclesiæ foribus nullum furtum commisit, neque vllam iurisdictionem in Ecclesia exercuit, quia non cepit rem alienam, sed suam repetijt, non secus ac si quis furaretur à Petro aliquam picturam, & Petrus illā reperiret in Ecclesia, vtique posset capere sine vlla ecclesiæ læsione; habet enim Gubernator in cadauer latronis ius, & vt illud possit ad suum libitum sepulturę mandare, vel insepultum relinquere, & in frustra discerptum arboribus suspendere, vt post Romanum *in l. 2.cod.qui test.fac. possunt nu.* 5. *vers. secundo fallit.* Alexandrum *sub num.* 9. Iasonem *sub n.* 2. Igneum *l.* 1. *§. si sibi manus.n.* 46. *in fine ver. ob id. & n.* 47. Couarr. *variar.res. lib.* 2. *c.* 1. *nu.* 11. & alios docet Farinacius tit. *de homicid. qu.*128. *n.* 14. vel tradere medicis, ac chirurgis ad anatomiam faciēdam, vt ex comm. testatur Ripa *in tr. de peste tit. de remed.præs. contra pestē n.* 144. Antonius Gomez *de delictis ca.*14. *in fine*, & alij; quare qui illud cadauer è furca suspensum ex-

extraxit ius fisci læsit, & sic Fiscus potest illud reaccipere absq; eo, quod censeatur facere iniuriam ecclesiæ, si quoad cætera modeste se gerat.

19 Ex his potest facile solui tertium argumentum amicissimi, & doctissimi Dianæ (nam cætera ex dictis ni fallor soluta manent) negamus enim cadauer illud esse sub Ecclesiæ custodia; cum fuerit furto sublatum, & in foribus Ecclesiæ situm, neque censendum est, ecclesiam velle ablata contra ius alterius tueri, sed potius statim debet lęsis restituere, vt probauimus cũ Suario *de virt. relig. tr. 1. l. 4. dis. 7. q. 1. ver. tantum addo*, & docet Diana *par. 6. tract. 1. res. 17.* afferens duas declarationes Emin. Cardinal. præsertim cum cadauer non fuerit Ecclesię consignatum, aut sepulturæ mãdatum, vnde Gubernator nullũ in Ecclesia potuit exercere actũ iurisdictionis; sed tantum, quod suum erat, & in foribus, seu gradu ecclesiæ foribus propinquiori repositum repetijt, sibi accepit: & iterum in furca suspendit, prout erat antea suspensum.

20 Concludo igitur, nullo modo fuisse læsam ecclesiasticam immunitatem: non illam, quæ dicit refugium delinquentium ad ecclesiam confugientium, quia hoc priuilegium nũquam locum habuit in cadaueribus. nec illam, ob quam sacrilegus censetur, qui rem de Ecclesia furatur, aut in ea iurisdictionem exercet, cum in casu nostro, nec furtum fuerit commissum, nec actus iurisdictionis exercitus.

QVAERES XXXI.

An commissiones Pontificiæ ad dispensandum factæ Vicario Capiturali S. V. aut Vicario viciniorís Episcopatus, possint sede plena expediri à Vicario Episcopi sequentis, aut à Vicario viciniorís Episcopatus.

SVMMARIVM

Rationes dubitandi n. 1.

Possunt ab vtroque Vicario d. commissiones expediri n. 2.

Assignatur ratio, cur Vicarius vicinior possit. ibi.

Vicarius Generalis S. V. quare secundum multos non potest expedire commissiones factas Officiali Diæcesano n. 3.

Hæc ratio cessat in casu nostro n. 4.

Vicarius Episcopi noui representat Vicarium capituli, sicut Episcopus totum capitulum nu. 5.

Vicarius capitularis potest dici Vicarius Episcop. ibi.

Papa in delegationibus factis Vicario, seu officiali Episcopi considerat Tribunal Episcopi n. 6.

1 CAsus est talis: fuit commissa dispensationis matrimonialis causa sub forma consueta *si preces veritate, &c. dispẽsa* Officiali viciniori *stãte quod ad præsens sedes vacet*, & etiam ad maiorem facilitatem ipsi officiali diæcesano, *non obstante quod sedes vacet.* facta iam est sedes plena. Vicarius Episcopatus viciníoris non vult dispensare, quia sedes viciníoris diœcesis non amplius vacat. Vicarius vero Episcopi diæcesis, in qua est orator negat se posse illas literas exequi; nam quamuis sit certum, quod commissio facta Vicario G. possit expediri per Vicarium G. sequentẽ illo mortuo, vel amoto; tamen quia commissio fuit facta Vicario, quando erat Vicarius Capitulari S. V. non potest ab eo expediri nunc quãdo est Vicarius Episcopi sede plena: atque adeò gra-

gratia Papæ corruet.

2 His tamen non obstantibus puto, vtrumque Vicarium posse dispensare virtute prædictæ cōmissionis Pontificiæ. Poterit quidem Vicarius Episcopi vicinioris, quia reuera ipsi facta fuit commissio à Papa, estque iam delegatus constitutus, & causa ob quam Papa illum constituit, tūc erat vera, nempe *quod ad præsēs Ecclesia vacet*: si vero postea causa cessauit, parum refert, non enim fuit commissio conditionalis, aut facta, quia sedes est in futurum vacatura; sed quia ad pręsens vacat, & generaliter dispēsatio, aut priuilegium non cessat, cessante quomodocumque causa post gratiam concessam, quā sententiam docet Basilius Pontius *lib.* 8. *de matr. cap.* 20. *num.* 4. Suarez *de leg. lib.* 6. *cap.* 20. *sect.* 6. *nu.* 97. Castropalaus *trac.* 3. *dis.* 4. *punt.* 15. *num.* 5. & 9. vbi rem late probat, & dicit, quod priuilegium, seu gratia nunquā cessat, quando tempore factæ concessionis causa erat perfecte subsistens, etiam si postea cesset, ac citat multos in casu nostro vacabat reuera sedes, & statim, ac fuit facta commissio Vicario viciniori, fuit ius acquisitum Oratori, quod non cessat, nec reuocatur, causa cessante, vt ponderat Castropalaus. Videri etiam potest in horum confirmationē resolutio tradita supra *quæst.* 3. in hoc tractatu.

3 Tertia pars, quod etiam Vicarius Generalis sede plena possit expedire commissionem illam demādatam Vic. Generali S. V. Probatur facile positis ijs, quæ dixi cum Sāchez, Basilio Pontio, Salas, Filiuccio, Ocagauia, Moneta, & alijs *in qu. morali. tr.* 2. *qu.* 1. vbi probaui, Vicarium G. S. V. posse exequi literas pontificias pro dispensatione ad matrimonium. imo stando in contraria sententia: adhuc puto, in casu nostro verissimam esse conclusionem positam, quoad hanc secundam partem.

4 Ducor, quia Doctores contrariæ illius sententiæ, ideo dicunt, non posse Vicarium capitularē expedire literas commissas Vicario Episcopi, seu officiali diæcesano, quia de stylo curiæ nūquā cōmittuntur causę istæ matrimoniales Vicario S. V. & sic dum Papa delegans committit Officiali Episcopi, seu Officiali diœcesano non intelligit Vicarium capituli S. V. sed Vicariū Episcopi, vt videri potest in Pyrri Corrado *prax. disp. lib.* 7 *cap.* 4. *à nu.* 11.

5 At in casu nostro cessat hæc ratio, quia ex vna parte Papa commisit expresse Vicario, seu Officiali diœcesano, *non obstante quod sedes ad præsens vacet.* & ex alia habemus Vicarium G. sede plena esse vere Officialē diœcesanū: & sicuti Episcopus nouus repręsētat capitulū, ita Vicarius eius Vicariū capituli. nā bene dicitur Vicarius capituli s. v. succedere Vicario Episcopi in dignitate ex Card. Clem. 2. *qu.* 13. *n.* 15. Anch. *ibi. num.* 1. Imola *nu.* 20. Gloss. *eadem clem. verb. Episcopi*, & alijs dicentibus, Vicarios capitulares esse Vicarios iurisdictionis Episcopalis. Imo Vicarius capitularis potest dici Vicarius Episcopi ex Card. *loc. cit.* et Sanchez *lib.* 8. *de matr. disp.* 27. *n.* 33. ergo contra; Vicarius Episcopi succedit Vicario capituli.

6 Et sane facit ad hanc rem ratio, quam assignat Abb. *cap. quoniam Abbas num.* 11. *de officio delegat.* Rota *in vna canonicatus* apud Pyrri Corrad. *d. lib.* 7. *cap.* 4.

num. 36. scilicet, Papam in his delegationibus considerare tribunal Episcopatus: quia id suadet prudens, ac suauis Ecclesiæ gubernatio, ne expensæ multiplicentur in oratoribus. præsertim cum Papa sciuerit sedem vacasse, et ad maiorem facilitatem, commisit tam Vicario Sede Vacante, quam Vicario viciniori, ostendens sane in hoc suã intentionem esse, vt illa concessio omnino suum effectum sortiretur. saluo, etc.

QVAERES XXXIII.

An monialis possit eligi in Abbatissam, si quadragesimum annum non expleuerit.

SVMMARIVM.

Negatiuam sententiam deducunt aliqui ex decreto sacræ congreg. nu. 1.
Affirmatiua sententia, vt longe probabilior sustinetur n. 2.
Quid disponat de ætate Abbatissæ Conc. Trid. ibi.
In fauorabilibus, & ad honores adipiscendos annus inceptus reputatur completus n. 3.
Decretum Trid. statuens Abbatissæ ætatem est odiosum n. 4.
Doctores nostræ sententiæ fauentes nu. 5.
Exponitur decretum Trid. *sess.* 24. *c.* 12 *de ætate* 22. *annorum n.* 5.
Afferuntur Doctores in terminis n. 6. *& seq.*
Dictũ Doctoris est intelligendum iuxta iura, quæ allegat. n. 7.
Quid alij Doctores suo modo loquẽdi senserint n. 8. 9. *&* 10.
Decretum sacræ Congr. dictæ resolutioni non obstat n. 11.
Non bene infertur ex interpretatione ætatis, requisitæ ad ordines ætas pro Abbatissa n. 12.
Perpenduntur verba Conc. Trid. d. cap. 12. *de reform. n.* 13.
Legis finis in proemio relucet maxime ibi.
Doctores, qui putant annos 22. *pro dignitatibus debere esse completos, non autem* 40. *in Abbatissa nu.* 14.
Quid sentiant Pellezarius, & Diana n. 15.

1 NEgatiuam sententiam tenet Garsia *de benef. par.* 7. *cap.* 4. *num.* 71. Eamque non aliunde infert, nisi ex quadam declar. Emin. Cardinalium ad Episcopum Abulensem, in qua sacra congregatio interrogata; An decretum Conc. Trident. sess. 24. de reform. cap. 12. vbi præscribit [ad cæteras autem dignitates vel personatus, quibus animarũ cura nulla subest, clerici alioquin idonei, & viginti duobus annis non minores asciscantur] intelligatur de 22. annis completis. Respondet inquam anno 1593. die 24. Septembris [sacra Congregatio Ill. PP. eiusdem Concilij interpretum ita respondendũ duxit; nempe, decretum illud esse intelligendum de anno vigesimo secundo completo] igitur, infert Garsia, cum Abbatissa ex Concilio Tridentino debeat eligi non minor annis 40: tales anni debent esse completi, eum nouissime sequitur Bossius *tom.* 2. *par.* 3. *tit.* 2. *nu.* 57. alios citans.

2 Cæterum longè probabilius puto, posse eligi in Abbatissam monialem, quæ annum quadragesimum inchoauerit.

Fundamentum huius conclusionis non est aliud nisi, quia, cũ in Tridentino non sit expresũ, nec ex alijs verbis ibi adductis, nec ex fine eius habeatur, quod ætas requisita pro Abbatissa sit

40.

40. annorum completorum, & non sufficiat, annum quadragesimum attigisse: sed tantum dicatur sess. 25. cap. 7. de regul. [Abbatissa, & priorissa, & quocumque alio nomine presecta, vel præposita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta] non est cur dicamus, non sufficere, quod monialis eligenda exegerit trigesimum nonum annũ, & agat iam quadragesimum, quę omnia probat optime Portellus in conf. regul. par. 1. casu 13. nu. 1. vbi fuse, & docte probat nostrã conclusionem, & præter ea, quæ ab ipso sunt adducta, eam probo, hoc pacto:

3 Ex modo loquendi Tridentini, nempe *Abbatissa etc. eligatur non minor* 40. *annis*, non potest deduci, quod anni debeant esse completi; nam qui habet quadraginta annos non est minor 40. annis: sed in fauorabilibus, & ad honores adhipiscendos cẽsetur habere 40. annos ille, qui habet trigesimum nonum exactum, & agit quadragesimum: nã annus inceptus habetur pro cõpleto *l. in omnibus* 1. *de act. & obligat. l. in vsu capion. in princip. ff. de diuers. tempor. præscrip.* Bart. *in l. ab hostibus* §. *sed quod simpliciter ver. venio ad* 4. *ff. ex quib. caus. minor.* Rota *in vna lucana bonorum* 11. *decem.* 1609. est 208. apud Farinac.

4 Præterea in hoc capite Tridẽtini decretum est odiosum; nam est correctiuum iuris communis *cap. indemnitatibus de elec. in* 6. in quo pro eligenda Abbatissa sufficiebat ætas 30. annorum cõpletorum, et aduertunt omnes, vt videre est apud Cãpanil. *diu. iur. canon. rubr.* 7. *cap.* 6. *nu.* 89. et sic est accipiendum stricte, ita ut ad verificandum, quod non sit ea, quæ est eligenda in Abbatissam, minor quadraginta annis, sufficiat annum quadragesimum attigisse, quid quid cõtra dicat Bossius l. cit.

5 Hanc sententiam dabũt à fortiori Henriquez. *lib.* 14. *cap.* 8. §. 10. Em. Sà *v. beneficium nu.* 31. Zerola *prax. Episc.* 1. *p. verb. benef.* §. 1. *vers. ad dignitates*. Azor. 2. *part. instit. moral. lib.* 6. *cap.* 5. *qu.* 3. *in fine* Barbosa *de potest. Episc. alleg.* 60. *num.* 66. qui hanc opinionem asserit, fuisse receptam à Rota *in vna virdunensi canon.* 13. *Feb.* 1581. *coram Ill. Seraphino*, qui putant, decretum Con. Tridentini *sess.* 24. *cap.* 12. *de reformat.* vbi ait, [clerici alioquin idonei, et viginti duobus annis non minores adsciscantur] esse intelligẽdum de viginti duobus annis inceptis; ergo etiam à fortiori dicent in nostro casu de electione Abbatissæ, vbi requiritur, vt eligenda non sit quadraginta annis minor.

6 Et in terminis loquentes de Abbatissa, quod iuxta decretum Trid. satis sit, quod quadragesimum annum ea attigerit, præter Portellum relatum initio, docẽt Zerola prax. *Episc.* 1. *p. ver. Abbatissa num.* 1. nam remittit se *ad cap. sanctimoniales* 20. *q.* 1. *& ca. diaconissam* 28. *qu.* 1. quorũ primum dicit [sanctimoniales ante annos quadraginta non velẽtur] posterius; Diaconissam nõ debere ante annos quadraginta ordinari. in quibus locis anni quadraginta intelliguntur incepti. ex Conc. Trident. *sess.* 25. *cap.* 12. vbi, ex eo quod Concilium dicat [nullus in posterum ad subdiaconatus ordinem ante 22. ad diaconatũ ante 23. ad præsbyteratum ante 25. ętatis suæ annum promoueatur] Praxis, et Doctores intelligunt de anno incepto, et præterea idem Zerola loc. cit.

cit. remittit lectorem ad cognoscendum: an sufficiat Abbatissæ attingere 40 annos, ad Nauarr. *ca.* 25.*n.* 116.*in sum.* qui totus est ad probandum, annum vigesimum quintum pro concursu ad beneficium presbyterale sufficere, si sit inceptus.

7 Idem etiã tenet *Peyrinis*, qui *tom* 2. *de Pral. qu.* 2. *cap.* 1. *nu.* 18. agens de ætate Abbatissæ remittit lectorem ad plura videnda apud Zerolam loc. cit. cum autẽ regula sit, quod dictum Doctoris debet intelligi secundum iura, quæ allegat ex Bartol. *in l nõ solum* §. *liberationis num.* 50. *ff. de liber. legata* Menoch. *l.* 1. *præs.* 37. *num.* 4. dicens, sic alios alibi sæpè docere; euidenter sequitur, quod Zerola, & Peyrinis putent, ætatem pro eligenda Abbatissa sufficere, si sit quadraginta annorũ inceptorum.

8 Idem docet Tamburinus *de iure Abbatiß. dis.* 28. *qua.* 2. *num.* 7. vbi ait [Abbatissam eligi nõ posse, quæ quadraginta annorum ætatem non attigerit:] ergo potest eligi si attigerit quadraginta annos, quamuis non compleuerit, iuxta Tamburinum.

9 Idem tradit Suarez, *de relig. t.* 4. *tr.* 8. *lib.* 2. *cap.* 6. *nu.* 10. *&* 11. vbi semper loquens de ætate quadraginta annorũ pro eligenda Abbatissa dicit, non esse impletam conditionem Concilij [si nõ attingat quadragesimum annum ætatis.

10 Et tandẽ hanc sententiam nominatim contra Garsiam docet nouissime Narbona *de ætate anno* 40. *qua.* 2. *nu.* 5. vbi citat Ioãnem Nouar. *in singul. iur. canon. concl.* 13. *num.* 3.

11 Non obstat sacra Congregatio Cardinalium ex qua ductus Garsia *d. part.* 7. *cap.* 4. *num.* 71. tenet, quadraginta annos Abbatissæ debere esse completos. nã omitto, quod ad hoc requiratur, vt sit authentica, & sufficienter promulgata, vt ex multis docet Pellezarius *de monial. cap.* 10. *sect.* 1. *subsec.* 3. *num.* 91. & solum dico, Cardinalium declarationem nil in nostro casu declarasse: nam tãtum declarat, annos viginti duos debere esse completos ad canonicatus, qui sint dignitates, vel personatus, prout vidimus initio, ac verba d. sacræ Congregationis retulimus.

12 Nec videtur bona illatio illa Garsiæ: Congregatio interpretata est Concilium Tridentinũ, quatenus ait, non esse eligendos minores 22. annis ad dignitates, & personatus, de annis completis: ergo etiam declarauit, & est interpretata idem Concilium *sess.* 25. *de regul. cap.* 7. cum dicit, Abbatissam non esse eligendam, quę sit minor 40 annis, quod anni quadraginta debent esse completi. cum Cõcilum eodem modo loquendi vtatur tam in ætate 22. annorũ in clericis ad dignitates; quam in ætate Abbatissæ.

13 Neganda certe est hæc illatio, seu consequentia: nam Eminentiss. Patres non sunt Concilium interpretati ex solis verbis; sed ex mẽte, quæ in legũ interpretatione maxime est attendẽda *l. scire* §. *aliud ff. de excusat. tut. c. humanæ aures* 22. *qu.* 5. & alijs iuribus, & ex fine legis, qui maximè in proemio relucet, & alijs rationibus, quæ faciunt ad legis interpretationẽ, de quibus Granadus *tr.* 3. *par.* 2. *disp.* 14. Salas *de leg. dis.* 21. per totam, & alij passim. Cũ igitur *seß.* 24. *c.* 12. Cõc. Trid. moueatur [cũ dignitates in ecclesijs, pręsertim cathredalibus ad conseruandam: augendamque ecclesiasticam disciplinam fuerint

Oo in-

institutæ, vt qui eas obtinerent pietate præcellerẽt, alijsque exẽplo essent, merito qui ad eas vocantur tales esse debent, qui suo muneri respondere posint] Ecce rei grauitatem, quam Cõcilium proponit, et statim subdit: nemo igitur deinceps ad dignitates quascumque, &c.] merito itaque Patres eminentissimi in illo casu de ætate 22. annorũ requisitorum à Concilio in obtinentibus dignitates in Ecclesijs cathedralibus, curam animorũ nõ habentes intellexerunt, ætatem dictam debere esse 22 annorum completorum, tum ob rei grauitatem, & verbis adeo grauibus exageratam: tum quia in alijs dignitatibus curam animarum habentibus Concilium expresse requisiuit 25 annos cõpletos. quæ circumstantiæ, cum non inueniãtur in Abbatissis, nõ est eadem facienda interpretatio quoad ipsarum ætatem, quamuis Concilium, tam in dignitatibus dicat: non minores 22 annis; quam in Abbatissa; non minor 40 annis. nam tritum est, legem, quę est restrictiua, & odiosa non esse extendendam ab vno casu expresso ad alium.

14 Neque hoc à me solum ob dictas rationes aseritur, sed etiam, quia de facto Narbona vir eruditisimus, qui *anno* 22. *quæst*.3. *num*.9. citans Nouarium, Garsiam, & alios dicit, annos viginti duos pro dignitatibus debere esse completos, eo, quia sic declararunt sacri Concilij Tridentini Patres veridici interpretes: in ætate quadraginta annorum pro Abbatissa requisita recedit à Garsia, & oppositum tenet cum Nouario: ergo manifeste tam Narbona, quam Nouarius intelligunt, sacram Congregationem Cardinalium, eiusque interpretationem, non esse extendẽdam ab ætate, requisita in clericis pro dignitatibus ecclesiasticis, ad ætatẽ requisitam pro Abbatissa eligenda, alioquin turpiter errassent.

15 Denique nostram sententiam vltro amplectetur Pellezarius *de monialibus cap*. 10. *sect*.3. *num*. 9. & Diana etiã probabilem putabit: quia solum hi dicunt, huic nostræ sententiæ obstare declarationem Cardinalium, si ea sit authentica; at iam vidimus, quod, dato etiam illam esse authenticam, & habere omnes cõditiones requisitas ex decreto eiusdem sacræ Congreg. sub Vrbano VIII. apud Lezan. *verb. sacra congregatio*: non obstat, cum interpretetur Concilium *sess*.24. *cap*. 12. *de reform*. in casu longe diuerso à nostro, de quo agit. *sess*. 25. *de regul. cap*. 7. de electione Abbatissæ, saluo, &c.

QVAERES XXXIIII.

An in priuato Oratorio, in quo missa de licentia Papa celebratur possit dici missa solemnis, seu cãtata.

SVMMARIVM.

Nil Auctor definire intendit circa propositam quæstionem n. 1.
Afferuntur argumenta, quæ videntur pro parte affirmatiuà facere n.2. *ad* 9.
Solemnitas in missa est accidentale quid n. 2.
Missa in ratione sacrificij, in qua parte consistat ibi.
Missa communiter accipitur pro complexu orationum præcedentium, & subsequentium consecrationem. ibi.

So-

1 HOc dubium mouit quidam non indoctus Theologus; sed meo iudicio immerito: at quoniam hoc pertinere videtur ad materiam rubricarum, nolo definire quidquam, tantum proponā aliquas rationes pro parte affirmatiua, ac negatiua, vt doctiores me iudicent, quid sit agendum.

2 Pars igitur affirmatiua videtur probari posse, quia solemnitas in missa est quid accidentale, & extrinsecum; non solum, prout consideratur essentia missæ à Theologis in ratione sacrificij; cum alij asserant, eam consistere in consecratione vnius tantū speciei, alij in consecratione vtriusque, vt apud Leandrum *de sacrament. tom.* 2. *tract.* 8. *dis.* 1. *qu.* 27. Dicastillū *de sacr. to.* 1. *tr.* 5. *dis.* 1. *n.* 238: videri possunt, alij tandē includunt communionē, vt habet Delugo *de sacr. dis.* 22. *sect* 1. *num.* 4. non solum inquam solemnitas missæ, est accidentalis, & extrinseca, considerata essentia missæ in ratione sacrificij; sed etiam, prout accipitur cōmuniter ex vsu Ecclesiæ pro illo complexo orationum præce-

dentium, & subsequentium consecrationem, teste Suario *in 3. par. dis. 88. sect. 2. ver. & quidem receptum est.*

3 Nam solemnitas in missa consistit, quod canatur, cum tot ministris, tali modo turificationis, & in summa, vt nil omittatur eorum, quæ spectant ad solemnitatem, vt ait Pellezarius, *man. regul. tract. 7. cap. 4. nu. 35.* Gauãtus *in rubr. missal par. 2. tit. 2. n. 5. mihi fol.* 85. ergo posita licentia celebrandi, vel missas dicendi in Oratorijs priuatis potest dici missa solemnis, seu cum his solemnitatibus: cum solemnitas nullibi videatur prohibita; itaut non possit tanto sacrificio adhiberi, posito quod celebretur. immo nomine missæ antiquitus non veniebat, nisi missa solemnis, nempe tali solemnitate dicta, vt ex Baronio tradit idem Gauantus *l. cit.*

4 Confirmari posset 1. quia sicuti habens priuilegium celebrandi in priuato oratorio, potest sine peccato dicere, tam missam Defunctorum, quam missas votiuas, festiuas, &c. cur non potest dicere, etiam licite missam solemnem, quæ solum accidentaliter differt à priuata, & minus, ac differt missa Defunctorum, à missa Sãctorum, feriæ, &c. quia in his sunt diuersæ, orationes, ac diuersa euangelia, &c. in missa vero solemni eadem dicuntur, quæ in priuata, cum hac sola differẽtia, quod in priuata leguntur ab vno Sacerdote, in solemni cantantur cum assistentia ministrorum, turificatione, &c.

5 Confirmari posset 2. quia, cum Auctores dicunt, locum missæ celebrandæ esse ecclesiam consecratam, aut benedictam, et nõ in oratorijs priuatis domorum, addunt exceptionem; nisi de licentia Papæ; sed Auctores dum negant, posse celebrari missas in priuatis oratorijs, asseruntque esse celebrandas in ecclesijs, certe loquuntur tam de missa lecta, & priuata, quam de cantata, & solemni: ergo cum excipiunt, nisi de licentia Papæ, plane ostẽdunt, quod posita Papæ licentia celebrandi in oratorijs priuatis, potest tam missa solemnis, quam priuata dici.

6 Confirmari posset 3. quia omnis missa, quæ non dicitur signo dato cum publica populi cõuocatione, in publico loco, certo tempore ad populi conuentum destinato nõ est missa solemnis; sed priuata: ex Nuño infra citan. ergo cum missa, de qua nos loquimur solum cantetur, et fiat cum debitis cæremonijs, at in priuato sacello decentissime ad id accommodato, nullo dato signo, nec cum populi concursu, erit priuata, ac poterit dici; posita licentia dicendi missas in oratorio priuato, antecedens probatur ex Nuño *in 3. p. S. Tho. q. 83. ar. 6. du. 1. mihi fol.* 989. his verbis [reliquæ vero missæ appellantur priuatæ, vnde non appellãtur isto nomine, vt distinguantur à re publica: quia hoc sacrificium semper efficitur nomine totius Ecclesiæ, & à ministro publico, atque adeo est sacrificiũ publicum in hac acceptione; sed dicitur missa priuata vt distinguatur à missa solemni, quia per se loquendo, non requirit, vt fiat publice; sicut missa solemnis] ita Nuñus.

7 Non obstat, quod missæ cantatæ, et solemnes dicantur in cathedralibus, collegiatis, etc. nam ibi dicuntur ex præcepto *cap. cum creatura de celebr. miss.* vt tenet communis opinio, de qua Diana *par. 10. tract. 12. res.* 40.

40. in priuatis oratorijs ex deuotione, nec fit passim: sed raro ob aliquam solemnitatem, aut deuotionem Domini domus; v.g. quia celebrat festum Sancti titularis, &c. & sicuti non est indecentia in oratorio priuatæ domus conficere de licentia Papæ sanctissimum Christi Corpus in ordine, ad quod omnes missæ ceremoniæ, & solemnitates ordinantur, sic non erit indecentia, missam solemniter cum pompa cantare, modo non sit populi concursus, signo publice dato, &c.

8 Fauere videtur huic opinioni Fagundez doctrina, *in lib. 1. decalog. cap. 34. num.* 13. vbi hoc argumento præsertim probat, esse peccatum mortale in nocte Natalis Domini dicere plusquam vnam missam, quia *in cap. nocte sancta de consec. dist.* 1. prohibetur sacerdotibus, dicere ante auroram plusquam vnam missã, & cum caput loquatur absolute de missis, nec distinguat inter solemnes, & priuatas, nec nos distinguere debemus, quod ius prohibeat plures missas solemnes ante auroram. Ex qua ratine Fagũdez. sic videor posse nouum conficere argumentum: Priuilegium Papę concedit, posse celebrari missam in priuato oratorio, & nomine missæ venit tam priuata, seu lecta, quam cãtata, & solemniter celebrata, & Papa non distinguit, nec nos distinguere debemus. nam regula iuris certissima est, quod omnia sunt concessa, quæ non reperiũtur prohibita, quam regulam probat Glossa *in cap. cum Ecclesia sutrina ver. ne venirent de causa possess.*

9 Hęc sũt, quę facere vidẽtur pro affirmatiua opinione, quod in priuato oratorio possit dici missa cantata. quando ex Papæ licẽtia potest in eo missa celebrari, quæ satis probabiliter dicta putauit Eruditissimus Diana à me per literas consultus. At ego solum lectoribus proponenda duxi nil definiens.

10 In contrarium vero possunt facere ea, quæ excogitauit quidam, ingeniosus, vt puto doctor mihi plane incognitus, sed viso meo scripto rationes has, quas subdã proposuit ingenue, ac modeste asserens, se neq; improbare partem affirmantẽ, neque assentiri: prout etiam ego facio neutri parti assentiens.

11 Prima eius ratio est; quia non concludenter infertur ex dictis rationibus, quod concesso principali, censentur concessa accidentia; nam hoc intelligitur de accidentibus inseparabilibus, at missa potest esse sine solemnitate.

12 Secunda, quia ex indulto Papæ, quo concedit potestatem celebrandi in priuato oratorio non potest deduci, quod concedat missam solemnem, seu cantatam, tum quia, nec ex fine indulti, nec ex supplicatione partis potest deduci, quod petatur, aut concedatur missa solẽnis; cum solũ præscribatur Ordinario, vt visitet: an sit decenter ornatum oratorium, & Ordinarius non visitat; an sint supellectilia ad missam cantatam necessaria, & præterea Pontifex valde limitate concedit, vt non possit in diebus certis festiuitatũ aliquarum missa celebrari.

13 Tertia ratio, quia nõ valet regula correspectiuitatis ab auditione ad celebrationem missæ, vt eadem missa, quæ satisfaciat prę cepto audiendi, satisfaciat, seu potius conformet se indulto celebrandi v. g. Sacerdos latinus ce-

celebrãs ritu græco, at Dominus audiens dictam missam in sua cappella satisfecit præcepto audiendi missam.

14 Quarto quia nõ valet, quod priuilegia sint amplianda, quia, hoc priuilegium celebrandi missam in priuato oratorio est derogatorium iuris communis, & sic stricte interpretandum.

15 Denique addit, non fauere opinioni affirmatiuæ, quod Romæ in palatio Ducis Altems singulis annis in festo S. Aniceti celebretur missa solẽnis in suo sacello, quia in primis, sacellũ est nobile, amplum, & habens supellectilem sacram, & etiam potest dici, quod id cõcesserit viro nobilissimo Gregorius 13. illi familiæ additissimus.

Hæ sunt rationes, quas attulit hic Anonymus. lectoris ego iudicium, aut sacræ congregationis oraculum expecto, nec meum sensum interponere volui. sed tantum rationes hinc inde afferre.

16 Solum id assero, quod facta suppositione, quod possit in priuato oratorio celebrari missa solemnis, qui id concedit, debet omnino concedere, posse in dicto oratorio dici vesperas solemnes, quia cum priuatis oratorijs concedatur, quod est plus, nempe missę sacrificium, conceditur etiam quod est minus intra eamdem latitudinem orationum de se publicarum: & quamuis, vt bene probat Diana *par.* 11. *trac.* 1. *ref.* 1. non possit ab horis canonicis fieri argumẽtum ad missam: vnde non bene quis inferret: possunt horæ canonicæ priuatim dici in quolibet loco: ergo etiam potest missa dici in quolibet loco: at contra bene infertur hic locus est talis, vt in eo possit missa celebrari: ergo etiam possunt horæ canonicæ in eo recitari.

17 Quod autem fiant cum cantu, hoc non facit: quin possint dici in oratorio priuato, quia cantus de sua natura est quid indifferẽs, & in horis canonicis tendit ad laudem Dei, vt bene aduertit Vidal. *in arca vit. tit. de horis canon. in quis.* 1. *nu.* 3.

18 Neque ex hoc, quod communiter Doctores dicunt, officium debere dici in ecclesijs, quando publice dicitur, nisi sit aliqua necessitas, vt cum Suario, Castrop. Filiuc. & alijs probaui *de virt. relig. tr.* 3. *lib.* 4. *dis.* 4. *nu.* 15. sequitur, quod non possint dici vesperę solemni ritu in priuatis oratorijs facta hac suppositione, quod in oratorio possit dici missa cum cantu, & solemnitate, quã missam maiorem appellamus; adde, quod ex hoc ipso, quod in oratorio priuato possit dici missa, illud venit nomine Ecclesiæ, ita quod ad lucrandas indulgentias, qui debet ecclesiam visitare, si visitet oratorium domus satisfacit, vt docet Diana *par.* 9. *tr.* 1. *ref.* 29. cũ Trullench Escobar Soc. Iesu, *theol. moral. tract.* 1. *exa.* 17. Adde, & maxime, illã recitationem vesperarum cum cantu, & solemnitate esse priuatam iuxta supradicta de missa ex Nuños *d. qu.* 83. *ar.* 6. *dub.* 1. *in* 3. *par.* nec repugnat, vt in oratorio priuato, aut in domo dicatur diuinum officium à multis alternatim, vt fit in choro, vt dixi eadem *dis.* 4. *nu.* 16. *de virt. relig. tract.* 3. *lib.* 4. & ibid. *dis.* 12. *nu.* 12. & seq.

19 Denique videtur priuilegium Bullæ sanctæ Cruciatæ id plane concedere ibi[possunt dicto anno durante, in Ecclesijs, in quibus aliàs diuina officia, interdicto durante, quomodolibet ce-

le-

lebrare permissum est, vel in priuato oratorio ad diuinum cultũ tantum deputato ab Ordinario visitando, & designando etiam tempore interdicti, &c. missas, & alia diuina officia per se ipsos celebrare, &c.] vbi vides, concedi celebrationem aliorum diuinorum officiorum præter missam: nomine autem diuinorum officiorum ex Pellezar. *tr. 7. c. 4. num. 35.* veniunt ea, quæ [fiunt in Ecclesia à ministris Ecclesiasticis, id est à personis ad talẽ effectum deputatis, qualia sũt missæ sacrificium, recitatio publica horarum canonicarum, omnia sacramentalia, seu benedictiones, quæ fiunt nomine ecclesiæ à sacerdotibus] ergo saltem possunt vesperæ solemnes, seu cãtatæ dici in priuato oratorio per bullam, quæ facultas non coarctatur ad solum tempus interdicti, vt citatis Em. Rodriq. Ricc. Lud. a Cru. Henriqu. docet Bardi *in bull. p. 2. tr. 2. cap. 6. nu. 7.* atque hæc omnia pro parte tam affirmatiua, quam negatiua proposui, vt doctiores iudicent; nolo enim, vt dixi sepius, de hac quæstione meum interponere iudicium.

QVAERES XXXV.

An teneatur monasterium soluere debitum contractum à superiore domus ob iustas causas de consensu capituli eiusdem Monasterij, quamuis pro solutione sit bonum stabile distrahendum.

SVMMARIVM

Affirmatiue respondetur n. 1.

Ampliatur 1. d. resolutio, vt mutuans non teneatur probare, pecuniam esse conuersam in vtilitatem monasterij n. 2.

Ampliatur secundo quamuis superior d. pecuniam male expendat num. 3.

Amplia 3. quod etiã teneatur successor in superioratu n. 4.

Bona monasterij, an possint valide obligari sine solemnitate, & causa requisitis ad ea alienandũ nu. 5.

Pupillus an possit alienare sine iudicis authoritate, aut mutuum accipere n. 6.

Hypotheca generalis bonorum Ecclesiæ non est probibita n. 7.

1 RESpond. affir. ita docent Bart. *in auth. Hoc ius porrectum col. pen. cod. de sacros. Eccl. & in l. ciuitas ff. si certum petat.* vbi Iason. *col. penul.* Decius *n. 6.* Butrius *in cap. fin. num. 9. vers. si autem de fideiuss.* Imol. *in cap. 1. n. 16. de deposito.* Castr. *cons. 338. primo quæritur n. 2. lib. 1.* Rolan. à Valle *cons. 41. num. 36. lib. 1.* Menoch. *de arbitr. casu. 432. num. 13.* Couarr. 2. *variarum cap. 17. nu. 3.* Abb. *d. cap. 1. nu. 9. de deposito.* Alcitat. *l. ciuitas nu. 4. & 6. ff. si cert. pet.* Greg. Lopez, *lib. 3. ver. Alayglesia* Molin. *disp. 300. post* Rebell. 2. *p. de oblig. iust.* Less. *lib. 2. de iust. cap. 20. num. 22.* et alij multi.

2 Ampliatur primo, teneri monasterium ad solutionem mutui accepti à superiore de consensu capituli, quamuis pro solutione sint bona immobilia alienanda; vt neque mutuans teneatur probare, pecuniam fuisse conuersã in vtilitatem monasterij, & ratio est, quia nullus textus est, qui dicat, mutuantem teneri ad id probandum, vt optime Castrop. *de iust. disp. 4. pun. 5.* cum Bartolo, Iason. Decio, Butrio, Castro, Rolando, Menoch. l. cit. Fachin *lib. 2. controuers. c. 78.* Marian. Soncin. Senior. *cons. 15. nu. 15. lib. 1.* Am-

3 Ampliatur secundo, vt teneatur ad soluendum mutuum acceptum nomine ipsius monasterij, licet superior postea male expendat, quia ex illa mutui acceptione iam translata est obligatio in monasterium Sanch. *lib 7. cap.* 31. *num.* 13. Bordon. *resol.* 53. *n.* 51. *to.* 2.

4 Ampliatur tertio teneri etiam superiorem successorem monasterij soluere mutuum à Prædecessore acceptum cum consensũ capituli; etiamsi non probetur à mutuãte, illud fuisse conuersũ in vtilitatem monasterij. Molin. *disp.* 900. §. *post mortem* Rebell. *p.* 2. *de oblig. ius. lib.* 8. *qu.* 1. *sect.* 3. *num.* 19. Ant. de Butr. *in ca. quod quibusdam de fideiuss. n.* 9. Castrẽs. *in consi.* 338. *nu.* 2. *lib.* 1. Fachin. *lib.* 2. *controu. c.* 78.

Ergo multo fortiùs debent hi Religiosi soluere pecunias, quas mutuò acceperunt vrgenti graui necessitate, & ad quas soluendas se se obligarunt post factam longam discussionem, & determinationem insignium Aduocatorum, & Procuratorum, vt in facto mihi proposito asseritur.

5 Dicès, bona monasterij non potuerunt valide obligari sine cõsensu Sedis Apost. sicuti enim in alienatione bonorum ecclesię requiritur indiuisim solemnitas, et causa: ita ad obligãdũ pręter causam debet esse solẽnitas: ergo monasterium non tenetur ad mutuum soluendum.

Respondeo, negando consequ. Non enim ex hoc, quod non potuerint valide obligari bona monasterij, sequitur; ergo non tenentur soluere pecunias mutuò acceptas, ac nullam habere obligationem; sed tantum quod bona monasterij non sint pro illo debito obligata.

6 *Nec* etiam valet similitudo, quam afferunt; nimirum sicut in alienatione bonorum Ecclesiæ requiritur indiuisim, & copulatiue solemnitas, & causa; ita ad valide obligandum, & hypothecandum bona Ecclesiæ ex contractu mutui debet esse causa, & solemnitas.

Non inquam hoc valet, quia minus requiritur ad contrahẽdam obligationem ex mutuo ab Ecclesia contracto, quam ad alienationem rerum immobilium *ex l. verum cum l. seq. ff. de minoribus, & l.* 1. §. *pupillus ff. quod iussu.* Vbi pupillo, & minori, qui 1
non possunt bona alienare sine authoritate Iudicis, permittitur authoritate tutoris, vel curatoris mutuum accipere.

7 Denique, vt hoc argumẽtum radicitus dissoluatur. Prohibitio èxtrauag. ambitiosæ, et decret. Vrbani Octaui obligandi, et hypothecandi bona sine solemnitate requisita in alienatione ex causa, intelligenda est de hypotheca speciali, non autem de generali, qua omnia bona in genere hypothecantur, et obligãtur *auth. de non alienan. reb. eccl.* §. *si autẽ creditor* Molina *de iust. dis.* 466. *num.* 2. Barbosa *alleg.* 19. *nu.* 85. *de potest. Episc.* Lezana *tom.* 2. *c.* 19. *nũ.* 56. Bonacin. *disp.* 3. *de cont. qu.* 8. *p.* 4. *num.* 31. Castropal. *disp. vnica de alien. rer. eccl. p.* 15. §. 1. *nu.* 2. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 10. *num.* 2. Bordon. *controu.* 26. Pellezar. *in man. regu. tr.* 6. *cap.* 8. *n.* 25. dicẽs, hanc doctrinã confirmari à praxi Regularium, qui in contractibus, quos ineunt, solent communiter hypothecare bona monasterij absq; eo, quod per hoc censeantur facere contra prohibitionem dictam, et late probat Ciarlinus *controu. p.* 2. *cap.* 183. *à num.* 107. afferens etiam rotę decisionem, ac decla-

ra-

rationem Em. Cardinalium factam 14. Iulij 1638.

QVAERES XXXVI.

An d. monasterium teneatur soluere interesse, ad quod se obligauit ad rationem quinque pro cẽtenario virtute contractus cãbij.

SVMMARIVM

Interesse pro mutuo est tanquam debitum soluendum nu. 1.
Successor tenetur stare contractibus à suo prædecessore celebratis de consensu capituli n. 2.
Monasterium non potest venire contra proprium factum ibi.
Successor tenetur soluere interesse promissum à prædecessore, etiam in foro externo n. 3.

1 Affirmatiue videtur respõdendum, primo, quia Doctores *qu. præced.* citati omnes id supponere videntur, dum absolute docent, teneri monasteriũ ad soluenda debita contracta à Superiore nomine monasterij, ergo plane intelligunt etiam de soluendo interesse, quod est debitum contractum, ac stipulatum.

2 Secundo, quia successor in superioratu tenetur stare contractibus celebratis à suo Prędecessore, quando tales contractus sunt celebrati concurrente maiore parte capituli: quia in hoc casu conuentus ipse, seu monasterium censetur celebrare talem contractum, & sic, cum non sit monasterium diuersum à se ipso, non potest venire contra proprium factum. Textus est *in l. post mortem ff. de adopt. l. sicut cod. de actionib. & oblig.* Peregr. *cons.* 31. *nu.* 10. Bonac. *de contr. tit. de locat. pun. fin. num.* 10. Ergo cum d. contractus fuerit celebratus nõ solum quoad capitale; sed etiam quoad interesse per dictos Religiosos soluendum; manifestum est, monasterium teneri etiam soluere interesse, quod etiam inter debita contracta nomine monasterij annumeratur.

3 Tertio in terminis terminantibus, successor tenetur soluere interesse, quod promisit superior, seu antecessor, itaut mutuans possit exigere tale interesse in foro externo, quamuis nulla facta sit stipulatio: sed fuerit promissum ex debito gratitudinis. Pellezar. *in manual. regul. tr. 6. c. 8. n.* 39. & 40. Idque probat ex celebri, & cõmuni doctrina apud Lessium l. 2. c. 18. num. 55. nimirum omnem promissionem, si fuerit stipulata, tribuere actionẽ in foro externo, & si non fuerit stipulata, stando in iure canonico, dare etiam actionem; itaut mutuans, cui facta est à superiore prædecessore Religionis promissio de soluendo interesse ratione mutui, quamuis talis promissio non sit stipulata, poterit iudicialiter exigere solutionem interesse promissi, sunt fere eadẽ verba Pellezarij.

Soluitur obiectio ex decreto sacræ Congregrationis declarantis, non licere Regularibus accipere pecuniam ad interesse.

SVMMARIVM.

Refertur decretum sacræ Congregationis circa prohibitionem, ne regulares accipiant mutuum ad cambium, & cum solutione interesse n. 4.
Decretum, & pœnæ contra alienãtes

tes bona ecclesiæ n. 5.
Ostenditur prædicta decreta nostræ resolutioni non obstare n. 6. & seq.
Actus gestus contra legem prohibẽtem illum, quando sit nullus n. 6.
Irritatio actus contra alienantes bona Ecclesiæ an sit pœna n. 7. & 8.
Decretum Vrbani Octaui circa alienationes debet interpretari iuxta extr. Ambitiosæ. ibi.
Contractus mutui à monasterio celebratus cum solutione interesse an sit irritus ex vi dicti decreti. n. 8.

4 COntra dicta in hac quæstione putarunt nonnulli valide posse instari ex hoc, quod Regulares prohibẽtur accipere pecuniam ad cambium, vel cum interesse lucri cessantis, aut dãni emergentis ex Decreto sacræ Congregationis 21. Maij anno 1626. quod in eorum gratiam huc transcripsi; ita enim sonat [cum post editum decretum de rebus Regularium non alienandis compertum sit, Regulares, qui eodem decreto prohibẽtur census imponere super bonis ad eorum monasteria pertinẽtibus, loco censuum huiusmodi, pecunias ad cambium, vel mutuo accipere cum solutione lucri cessantis, & damni emergentis, cũque ex huiusmodi contractu eludatur mens sacræ Congregationis, &c. SS. D. N. approbante decreuit, & declarauit huiusmodi contractum esse contra mentem decreti, vt supra editi; ideoque, non licere Regularibus pecunias, vt proponitur accipere, ac si acceperint, in ipsius decreti pœnas ipso facto incurrere.] quod refert Bossius *tom. 6. tit.* 18. §. 2. *n.* 7.

5 Decretũ autem d. sacræ Cong. ex Vrbano 8. editum die 7. Septembr. 1624. quod multi recẽtiores per extẽsum ponunt duo dicit. Primo ponit pœnas contra alienantes, locantes, &c. ibi [sub pœna priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebũt, vocisque actiuæ, & passiuæ, & perpetuę inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, quam ipso facto absque alia declaratione incurrant, pœnis, nihilominus apostolicarum constitutionum, & præsertim fel. rec. Pauli 11. quæ incipit ambitiosæ in suo robore permansuris.] secundo addit statim [Alienationes vero, pacta, census, annullationem actuum, hypothecas, locationes, conductiones, & concessiones quascumque contra huiusmodi prohibitionem faciendas, Sanctitatis suæ auctoritate ipso iure nullas, atque irritas decernit.]

6 *Sed hoc decretum nil facere contra nostram resolutionẽ ita ostendo: Sacra congregatio tantum dicit, Regularibus non licere pecuniam ad cambium, vel cũ interesse accipere, & non addit verbum vllum, quo significetur irritatio contractus: nam vt qu. 45. dicam sola prohibitio nõ inducit actus prohibiti nullitatẽ; præsertim quando additur pœna, vt docet Sanch. *lib. 5. c. 4. n.* 6. Vbi ait: communem esse sententiam *in l. non dubium* actum gestum contra legem non esse irritum, quando illa lex pœnam imponit transgressoribus. merito sane congregatio, seu Papa non annullauit contractum mutui cum interesse: nam in mutuo tota obligatio principalis est ex parte mutuarij, vt soluat pecuniam acceptã, & interesse, quod passus est mutuans ratione mutui, & ipse mutuatarius promisit soluere: vnde tantumdem erat an-

annullare cōtractum mutui accepti cum interesse lucri cessantis, ac soluere Religiosos ab obligatione soluendi,& facere, vt ex suo delicto, & inobedientia lucrum reportarent. nam superiores non sunt minores, vt possent dici esse decepti, & tracti à fœneratoribus ad mutuum accipiendum.

7 Nec ex eo, quod in declaratione facta à sacra Congregatione dicatur: Regulares incidere ipso facto in pœnas decreti Vrb. contra alienantes, sequitur, contractum mutui esse nullum; nam pœnæ impositæ ab Vrbano cōtra alienātes, sunt priuatio omnium officiorum, &c. at irritatio actus non est pœna, quia nec est pœna in extrauag. Pauli II. Ambitiosæ, iuxta quam, decretum Vrb. 8. est interpretandum, cum re eratur ad dictam Paulinam, easque per decretum Vrbani nil alteratur, vt docet Bordon. *ref.* 53. *nu.* 64. *to.* 2. *& resol.* 27. *n.* 15. ergo ex vi huius decreti, & declarationis, contractus, quo pecunia accepta est cum obligatione soluendi quinque pro centenario non est nullus, vt dicti Religiosi prætendebant, & sic esto illicite contra prohibitionē à Sede Apostolica factam, acceperint mutuam pecuniam cum solutione interesse, non sequitur, quod non teneantur. multa enim, vt supra diximus, facta tenent, quæ fieri prohibentur. v. g. prohibitum est rē vni promissam alteri dare; tamen si detur, hic acquirit dominium, & donatio est valida, quæ, & alia multa exempla videri possunt apud Salas, *de leg. disp.* 16. *sect.* 8. *num.* 17.

8 Solum mihi restat ostendere, annullationem positā in extrauaganti, ad quam refertur decretum Vrb. 8. irritans etiam actus contra gestos, non esse pœnam, atque adeo cum in declaratione dicatur, Regulares accipientes pecuniam cum interesse soluendam, incidere in pœnas positas ab Vrbano 8. in suo decreto, non intelligi de irritatione, quæ pœna non est. Hoc probat, multos adducēs ad rem Sanch. *lib.* 3. *de matrim. disp.* 4. *n.* 9. Salas *disp.* 16. *de leg. sect.* 2. Pellezar. *in man. reg. tr.* 6. *c.* 8. *nu.* 5. & alij, et loquens etiam de decreto hoc Lezana *to.* 1. *c.* 2. *nu.* 2. *circa fin.*

QVAERES XXXVII.

An possit d. monasterium à tali debito se liberare ex eo, quia ille contractus mutui fuerit vsurarius.

SVMMARIVM

Pecunia de posto, quanti minoris valeat pecunia soluta n. 1. *&* 2.
Nullam ind. contractu fuisse vsuram probatur ex aliquorum doctrina n. 2.
In mutuo an sit soluenda pecunia iuxta valorem temporе solutionis: an contractus initi ibi,
Quid si mutuam pecuniam erat seruaturus tempore, quo plus valebit n. 3.

1 RAtio dubitādi est, quia monasterium accepit v.g. mille deposto, vt dicitur à mutuante, et se obligauit soluere de cōstanti, & sic cum vnius vnciæ siculæ (quæ continet tarenos triginta) de posto valor ex communi commercio sit solum tarenorum quindecim, plane vsurarium est, promittere, et se obligare solute duplum vltra sortem, prout fecit monasteriū; nam

nam reuera non accepit, nisi quingentos aureos, & promisit soluere cum interesse mille.

2 His tamen non obstantibus, dicendum censeo, nullam in hoc contractu interuenisse vsuram. Nam etiam dato, & nõ concesso (quia reuera falsũ est, quod pecunia de posto valebat pro qualibet vncia quindecim tarenis) tamen Doctores, qui asserunt in mutuo soluendam esse pecuniam iuxta valorem tẽpore initi contractus, & non solutionis, addunt limitationem; nisi aliud initio cõtractus fuerit à partibus expressum, vt probat ex multis Salas *de contr. tr. de vsuris d.* 25. Molin. *disp.* 312. *in prima concl. nu.* 1. Nauarr. *cap.* 17. *num.* 294. *circa finem.* Bart. *in l.* Paulus *de solution. l. pen. de auro, & argento legato. l. cum quod ff. de rebus creditis.* Bal. Alex. Iason. *in d. l.* Paulus. & communiter sequuntur Iurisperiti, vt testantur Carol. Molineus *de contract. qu.* 97. *nu.* 795. Salas *d. dub.* 25. *nu.* 1. Couarr. *in tr. de vet. coll. numis. c.* 7. *§. vnico sub num.* 4. *ver. septima conclusio.*

3 At vltro nolo circa hoc longius progredi, est enim quęstio valde implicita. dico tamen pro solutione plenissima huius argumenti, non esse vsurarium contractum, sed licitum, & validũ, si tradens pecuniam, quæ minus tunc valebat tempore contractus, eam fuisset seruaturus ad tẽpus, quo plus valebat, vel ipsi tanti stetisset tunc tempore cõtractus, & hæc est communis Doctorum opinio, nemine refragante, vt videri possunt Doctores citati, & alij per multi passim agentes de mutuo. vt Bonac. *de contr. disp.* 3. *qu.* 3. *punt.* 3. *sub. n.* 19. Less. *lib.* 2. *c.* 20. *dub.* 10. *nu.* 72. *& seq. & dub.* 11. Reginal. *lib.* 25. *num.* 185. Rebell. *de obligat. iust.* 2. *p. lib.* 8. *qu.* 8. & alij apud ipsos.

Cum ergo mutuans habuerit pecuniam de posto, & illam, vel esset seruaturus suo tẽpore, vel alio modo ex ea lucrum reportaturus; prout in facto dicitur; & cum omnibus pensatis, viri doctissimi tam ex parte monasterij, quam ex parte mutuantis id statuerint post lõgam discussionem; signum manifestissimũ est, nullam interuenisse læsionẽ, nullumque pactum vsurarium; sed fuisse omnia accommodata, & composita arbitrio boni viri de consensu ambarum partium in contractum iustum, et licitũ.

QVAERES XXXVIII.

An possit d. monasterium negare solutionem debiti ob probibitionem, quam babet in suis constitutionibus, ne aere alieno possit grauari.

SVMMARIVM

Negatiue respondetur n. 1.

Nemo debet locupletari cum iactura alterius: ibi.

Filius Familias reputatus sui iuris non potest opponere contra mutuantem, exceptionem macedonianam. ibi.

Constitutio religionum probibens, pecuniã accipi mutuo quid operetur n. 2.

Explicatur l. non dubium ibi.

Professio ante 18. *annum in Religione Clericorum ministrantiũ infirmis, an sit nulla n.* 3.

Lex irritans contractum mutui sur valet, quando legislator babet iurisdictionem, tam in mutuãrium, quam in mutuantem n. 4.

Confirmatio Papa constitutionum Religionis, quid operetur nu. 5.

1 NEgatiuam sententiam omnino amplectendam esse puto, fundamentum est, quia alias sequeretur §. legislatores voluisse locupletari cum alterius iactura contra reg. *iure gentium ff. de regulis iuris. ca. tuam ad nos 9. de pœnis. l. nam hoc natura. ff. de condit. indeb.* Vel quod Superior, & alij accipientes pecuniam mutuam, & rogantes mutuariū, vt eam traderet, ac facientes stipulationem solemnē, voluerint decipere miserum creditorem accipiendo pecuniam, et postea dicendo; se non teneri soluere, ac nullam contraxisse obligationem, quia per suas constitutiones cōtractus mutui pecunia iam accepta, & consumpta in magnam vtilitatem monasterij est nullus. Vnde ob hanc caussam, si filius familias credebatur esse sui iuris, vel ipse talem esse se affirmauit, & mutuans habet iustam caussam id putandi, non potest exponere exceptionem macedoniam, sed tam in foro interno, quam externo cogitur mutuum soluere *ex l. pen. ff. ad Macedon. l. 1. & 2. cod. eodem tit.* Rebell. *de obl. iust. 2. p. l. 8. qu. 2. sect. 2. nu.* 14. Less. *lib. 2. de iust. cap* [illegible]. *nu.* 11. Ergo multo minus [illegible] opponi constitutiones, q[illegible]s exteri non tenentur scire; sed potius iudicare debent petentes mutuum si sint superiores, esse integerrimos, vt defacto sunt, & nullo modo fore, vt debiti solutionē negent.

2 Confirmatur primo: quia dū constitutiones prohibent accepceptionem mutui non irritant obligationem ex mutuo accepto, tum quia nullum verbum est irritans, sed tantum prohibent, ne superiores grauent domos aere alieno, nisi in casibus vrgētibus, quod valde æquum est: at vnde probatur per constitutiones annullari obligationem restituendi id, quod est acceptum, tritum enim est illud apud Doctores axioma, multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint obtinent roboris firmitatē. sic Suar. *l. 5. c. 29. nu. 1. de leg.* Lezana *ver. leges Regularium.* Vbi plures affert. lex autem, non dubium intelligi debet, vltra dicta *q.* 43. supra quod tunc lex simpliciter prohibens actum illum irritat, quando legis dispositio respicit solum agentes contra legem, non autem quando alios respicit. certe esset res valde admiranda, si constitutiones, quæ sunt directæ ad perfectionē in Religione assequendam, priuarent mutuantes suis pecunijs, ac redderent irritum contractū mutui, itaut Religiosi pecuniam acceptam, & consumptam ad vsus suæ Domus, non tenerentur restituere. Prohibent quidem mutuum, sed, si contra prohibitionem Religiosi accipiant, illud debent.

3 Exēpla multa afferri possent, mihi satis sit vnum, quod affert Peyrin. *to. 2. de Prал. qu. 3. num.* 179. ait enim ipse *in reg.* 22. RR. PP. Clericorum ministrantium infirmis præcipi, ne quis recipiatur ad professionem ante 18. an. nisi aliud Generali, & Consultoribus videbitur propter aliquā euidentem vtilitatem, & dicta regula fuit cōfirmata, & approbata à Clem. 8. & tamen professio facta ante 18. annum contra prohibitionem Regulæ confirmatæ à Papa, fuit declarata valida per sacram Congregationē, & per breue Pauli V. *exponi nobis* ann. 1620.

Sed hæc dicta sint ad maiorē vbertatem, nam de cætero, ad

hoc

Q q 2

hoc vt lex possit irritare contractum mutui oportet, vt legislator habeat potestatem tam supra mutuatarium, quam supra mutuantem ferendi leges. ex Eman. Sà. *ver. lex. nu.* 44. Salas *de legib. d. disp.* 15. *sect.* 8. *nu.* 33. & alij omnes supponunt. At non video vnde institutor harũ cõstitutionum habeat potestatem ferendi leges circa laicos mutuantes.

5 Nec dici potest talem potestatem habere constitutiones, eo quia sunt approbatæ, & confirmatæ à Papa, quia confirmatio non facit, quod constitutiones Religionum sint leges papales. Sed solum Papa laudat, & approbat, prout factas à religione. sic in terminis Lezana *cons.* 6. *à nu.* 44. ex Bonacina *de legib. disp.* 1. *q.* 2. *p.* 1. *nu.* 15. *&* 16. Tambur. *de iur. Ab. to.* 3. *disp.* 3. *q.* 7. *n.* 6. Suar. *de leg. lib.* 6. *c.* 26. *nu.* 16. *&* 22. Salas *de leg. disp.* 20. *sect.* 3. *num.* 29. Pontio *lib.* 8. *de matrim. c.* 5. *n.* 6. Castropal. 1. *part. tr.* 3. *disp.* 6. *pu.* 4. *nu.* 6.

QVAERES XXXIX.

An Iudex competens possit adiudicare creditori aliquod prædium stabile, si monasterium non habet pecuniam ad soluendum mutuum.

SVMMARIVM

Affirmatiua sententia proponitur n. 1.

Res monasterij immobiles, an ob æs alienum soluendum possint alienari ibi.

Iudex ad partium instantiam, an possit bona Ecclesiæ immobilia alienare sine solemnitatibus n. 2.

An iudex conseruator Religionum, possit earum bona distrahere, vt creditori satisfiat. n. 3.

1 Resp. posse, ac debere. Prob. facile tum quia non dicitur alienare; sed creditori satisfacere, qui necessitate coactus ob aes alienum soluendum res monasterij etiam immobiles alienat, vendendo, &c. ita Tiraqu. *de leg. connubij Glos.* 8. *nu.* 194. Menoch. *de arbitr. cas.* 171. *num.* 67. *cent.* 2. Crauetta *cons.* 5. *n.* 1. M. Ant. *lib.* 1. *resol.* 14. *nu.* 9. Mascard. *de prob. concl* 1243. *nu.* 42. *&* 43. cum innumeris apud ipsũ docentibus, quod prohibita alienatione, non censetur prohibita alienatio ob vrgentiam aeris alieni.

2 Tum quia Iudex potest alienare bona stabilia Religionis ad instantiam creditorum sine solemnitatibus, tantum posita subhastatione. textus est. *ca. hoc ius* 30. *qu.* 2. Abb. *ca. ad nostram de reb. eccl.* | *non alien.* Quaranta *summ. Bull. vers. alienatio n.* 36.

3 Vnde in terminis nostris tradit Doctus Bordonus tertij ordinis Sancti Francisci *to.* 2. *resol.* 53. *nu.* 20. posse Iudicem conseruatorem mandare subhastationem, aut pignus tot bonorum etiam stabilium ad satisfaciendũ creditoribus, quando nequit eos cogere in pecunia numerata, quia ait ille, talis alienatio, cum sit necessaria, non continetur in prohibitione de non alienando. Imo nec est vera alienatio, sed restitutio eius, quod alteri debetur. quem etiam sequitur cum quibusdam limitationibus, quas nec negamus, nec nobis obstant Pellezarius *in man Reg. tr.* 6. *ca.* 8. multo ergo magis poterit, ac debebit Iudex competens adiudicare mutuanti creditori prædium d. monasterij, cum talis adiudicatio fiat, ne creditor cõtra ius naturale, ac positiuum amittat suũ creditum, & debitor nul-

nullo modo est læsus, quia poterit semper remedio, vt dicitur gratioso repetere prædium adiudicatum vna cum fructibus, vt notaui *in qq. moral. tr. 2. qu. 52.* facta solutione debiti.

QVAERES XL.

An in Seminario Panormitano pueri recipiendi tamquam alumni debeant esse originarij ipsius Ciuitatis, vel Diæcesis, nati, sc. Panormi, vel in aliis locis Diæcesis.

QVæstio proposita potest habere locum tam de iure communi, quam de iure particulari, ideo circa vtrumque dicendum est.

§. I.

Quid senserint Doctores circa præsentem quæstionem attento iure communi.

SVMMARIVM.

Pueri recipiendi in Seminarijs debent esse nati in illa Diæcesi ex aliquibus Doctoribus n. 1. & 2.
Quas alias qualitates debent habere n. 1.
Originarij qui sint n. 2.
Dictio solos, quid operetur n. 3.
Ponderantur verba Fran. Salerni circa quæstionis resolutionē ibi.
Particula de quid importet ibi.
Cur Salernus instituerit quæstionem cum relatione ad ciues ex priuilegio n. 4.
Quid de recipiendis in Panormitano Seminario ex vi decreti Conc. Trid. n. 5.

†

1 RESpōdet vniuersaliter quoad omnes pueros cuiuscūque Diœcesis Venerus *in exam. Episc. lib. 7. cap. 30. nu. 3.* vbi ait, [quas qualitates, et ętatem debent habere, qui debent recipi in Seminario? Respond. debent attingere ad minus duodecim annos, esse ex legitimo matrimonio nati, et scire legere, ac scribere competenter, et debēt esse naturales illius Diœcesis, et habere bonam indolem, itaut de eis speretur postea Ecclesię debere esse vtiles, et pauperes pręferuntur diuitibus Trid. Synod. *sess. 23. cap. 18. cit*] Hæc Venerus vbi vides, hunc Doctorem expresse requirere, vt recipiendi in quodcumquę Seminarium tamquam Alumni debeant esse naturales ipsius Diœcesis, ac putare id statui à Tridentino: nā sua dicta tantum auctoritate Tridentini confirmat, quia reuera omnes conditiones positæ his verbis per Venerum à Concilio exprimuntur *d. c. 18.* et cum Concilium ibi non exprimat, vt sint naturales, sed tantùm dicat [certum puerorum ipsius Ciuitatis, et Diœcesis, vel eius Prouinciæ, si ibi nō reperiantur, numerum, etc.] Videtur Venerus sentire apertissime, quod per ly: ipsius Ciuitatis, et Diœcesis, veniant soli naturales Diæcesis, nomine autē naturalium intelligi à Venero solos natos. Inde mihi persuadeo, quia in Castella *ex l. 1. noua recopil. tit. 3. lib. 19.* ita deciditur [Aquel se diga natural, que fuere naçido en estos Reynos.]

2 Venerum sequitur eo tamen non citato, doctus in vtroque iure Franciscus Salerno *cons. 22. lib. S. 9. à n. 56.* vbi quærit [num in Seminario Clericorum ex decre-

creto Conc. Trid. *sess.23. cap. 18. de reform.* solum pueri originarij Ciuitatis, & Dioecesis, an etiam ciues per priuilegium admittendi sint?] statim respondet [equidem hac de re quādoque interrogatus originarios solos admittendos respondi, atque hic publicandæ responsionis occasionem nactus, aio, solos originarios Ciuitatis, & Dioecesis ad huiusmodi Collegia, seu Seminaria admitti iure posse] Vbi vides, doctum hunc virum idem sentire, quod Venerus, nimirum Cōcilium Trid. per ea verba: ipsius Ciuitatis, & Dioecesis, intelligere naturales Dioecesis; nā idē sonat ly *naturales*, quod posuit Vener. ac *originarij*, quo vsus est Salernus. Originarius enim Panormi dicitur, qui natus est Panormi, vt patet *ex l. assumpt. ff. ad municipia* ex Bald. *in l. 2. n. 2. c. de iure aureor.* Curt. *cons.* 48. *n.* 5. & Sāch. *lib. 3. de matrim. disp.* 23. *nu.* 4. & 6. vbi locus natiuitatis vocatur domicilium originis, & ipsemet Salernus originarios intelligit natos *ex d. cons.* 2. §. 3. *n.* 19. quod etiā videri potest apud Curtelli *lib. 1. cons.* 33.

3 Et quamuis d. Salernus proponat suam quęstionem de ciuibus natis, facta comparatione cū ciuibus ex priuilegio: tamen cū in responsione dicat [solos originarios Ciuitatis, & Dioecesis ad huiusmodi Collegia, seu Seminaria admitti iure posse.] excludit quoscumque alios etiam oriundos, natos scilicet extra Dioecesim, quamuis parentes sint naturales in Dioecesi: nam huiusmodi dictio, solos, omnes alios excludit præter originarios, seu ciues natos, quos expressit *ex l. solos c. de reuo. donat.* Rota in Nouariens. legitim. coram D. Ghisslerio 1629. n. 7. & certe eius argumenta probant Cōcilij Trid. decretū solos originarios ad seminaria esse admittendos, statuisse per ea verba: ipsius Ciuitatis, & Dioecesis. vt legenti ipsum patebit, præsertim n. 56. vbi ait, verba legis naturaliter simpliciter, ac proprie, non ciuiliter esse accipienda, quod ex Garcia *par. 7. de benef. c. 9. nu.* 21. *& sequ.* confirmat. ibi [per illud nomen Abulensem origo significatur] & infra [vbi satis indicat Iurisconsultus nomen illud Comaneus patriam ipsam, ac proinde originem significare, vt diximus supra n. 21. vnde Gloss. cit. ver. Comaneus explicat, id est de Comaneo, particulam vero, de, originem importare diximus supra] & tandem [pondero etiā dictionem illam, ipsius, quę quid immediatum significat, post plures Barbos. *dict.* 177. *num.* 2. vnde hic locum habet doctrina à nobis tradita supra num. 3.] vbi hic auctor probat dictiones, quę quid intrinsecum significāt, pro vt est ly ipsius, non solum oriundum; sed ortum, ac natum in aliquo loco significare.

4 Quod autem dictus Salernus fecerit quęstionem cum relatione ad ciues per priuilegium, id, non est, quia intendit includere pueros oriundos, nempe alibi natos; sed ex Patre, nato Panormi. nam vt dixi, satis ipse se explicauit, cum dixerit solos originarios, nempe natos, ex vi decreti Tridentini prædicti esse admittendos ad seminaria; sed quia casus, de quo, vt ait ipsemet fuit consultus, erat tantum de ciuibus ex priuilegio, & præterea ipse in eo consilio totus erat ad excludendum ab alternatiua in beneficijs siculos ex priuilegio, ideo quæstionem proposuit de originarijs comparatis cum ciui-

nibus ex priuilegio, at responsionem, & rationes posuit, quæ omnes alios excluderent, præter natos in Diœcesi.

5 Atque ex his patet manifeste responsio ad nostram quæstionem. Cum enim Concilium Tridentinum *d. sess.* 23. *cap.* 18. tradat legem vniuersalem pro omnibus Seminarijs ab Episcopis constituendis, & secundum hos Doctores, statuat, non esse admittendos, nisi natos in Diœcesi, nec sit quem viderim Doctor, qui contrarium asserat; sed tantum omnes referunt verba Cōcilij Trid. prout iacent *in d. c.* 18. quando volunt explicare qualitates, quas debent habere pueri recipiendi in Seminarijs; sequitur etiam in Seminario Panormitano non esse admittendos, nisi pueros natos in Diœcesi; cū nullum habet priuilegium contra Concilium: neque Archiepiscopum posse in hoc dispensare, cum sit lex Cōcilij generalis, & inferior non possit in lege superioris dispensare, vt constat, & alibi fusius a nobis ostensum est.

§. II.

Quid dicendum de receptione Alūnorum attenta consuetudine Seminarij Panormitani.

SVMMARIVM

Naturalis appellatione, qui veniāt n. 6.

De consuetudine non possunt recipi Alumni in Seminario Panorm. qui non sint nati in Diœcesi ibi.

Decretum Trid. de Alumnorū receptione, qualiter fuerit vsu, & consuetndine obseruatum in Seminario Panormitano n. 7.

Lex eo modo obligat, quo est vsu recepta nu. 8.

Lex an debeat esse acceptata, vt obliget ibid.

Obligatio legis, vsu, & consuetudine, sic legem interpretante inducta, non prouenit, nisi ex ipsa lege n. 9.

Consuetudo quot modis possit legem interpretari ibid.

Consuetudo legis interpretatiua quanto tempore inducatur ibi.

6 Ceterum quamuis horum Doctorum opinio, quoad omnia seminaria sit probabilissima, tamen, quia nō desunt Doctores, qui putent, nomine naturalium venire etiam eos, qui per decennium in aliquo oppido habitarunt, quando non constat de animo nō habitandi ibi perpetuo: vnde volunt, his posse dari legatum, quod relictum est naturalibus illius oppidi, et videri potest Sanch. *opus. lib.* 4. *c.* 2. *dub.* 19. vbi Greg. Lopez, Burgos, et alij. ideo attendi debet locorum consuetudo. Certe pro Seminario Panor. id verius puto, nimirum non posse in eo recipi pueros Alumnos, qui non sint nati in Diœcesi, quos originarios dicimus, quare omissis, et non contemnendis rationibus à Salerno *in d. cons.* 2. §. 9. *per totū* docte, et erudite allatis, quæ vt dicebam hanc probant conclusionem; vtor hoc vnico fundamento.

7 Decretum Tridentini circa admittendos pueros in Seminario, quatenus dicit *ipsius Ciuitatis, & Diœcesis*, ita fuit quoad Panormitanum Seminarium intellectum, ac obseruatum ab ipso initio constitutionis Seminarij vsque ad hæc tempora, vt solum reciperentur in eo Alumni originarij ipsius Diœcesis. Ergo

ex vi decreti *Conc. Trid. c.* 18. nō possunt in Seminario Panormitano admitti Alumni, qui non sint naturales Diœcesis.

8 Consequentia prob. quia lex eo modo obligat, quo est recepta, & vsu explicata, vt est communis Doctorum opinio tam Iurisperitorum, quam Theologorum, vt videri potest apud Suar. *lib.* 3. *de leg. cap.* 19. & scribentes *in cap.* 1. *de tregua, & pace.* nam quamuis sit quæstio vtrū lex, præsertim canonica debeat esse acceptata ad hoc, vt obliget, de qua videri potest Henricus *tr. de synodis par.* 3. *art.* 2. *à n.* 50. (habetur to. 13. tractatuum in 2. par.) Salas *de leg. tr.* 14. *disp.* 13. *sect.* 1. tamen omnes conueniūt, quod lex obligat eo modo, quo est vsu recepta, quamuis verba legis per se non sufficerent, vt videri potest apud eūdem Salas *d.* 10. *sec.* 9. *n.* 48. *in* 4. *reg.* & *n.* 68. *ver. Tertia Declaratio.* ergo cum decretum Concilij de recipiendis pueris in seminarijs in Panormitano Seminario vsu fuerit receptum, & interpretatum; vt non admittantur ij, qui non sunt nati in Diœcesi ad id obligat, & sic in Panormitano Seminario ex vi decreti Concilij Trid. *cap.* 18. vbi ait, recipiendos esse pueros *ipsius* Ciuitatis, & Diœcesis, non possunt recipi, qui non sint ex Diœcesi, seu naturales ipsius Diœcesis.

9 Confirmatur eadem consequentia, quia obligatio recipiēdi pueros natos in Diœcesi non prouenit ex consuetudine, & obseruantia in hoc Seminario, sed ex decreto Concil. Trid. hoc modo declarato per consuetudinem. sicuti si esset declaratū, & interpretatum à Doctoribus, nemo dicet obligationem prouenire à Doctoribus, sed à lege, quæ sic declaratur. ita nemo potest congruenter dicere, hanc obligationem in Seminario Panor. non recipiendi, nisi naturales Diœcesis prouenire ex consuetudine: prouenit enim ex Concilio Trid. sic vsu, & obseruantia interpretato. nam consuetudo non solum facit statutum, seu legem, sed interpretatur legem, vnde dicitur optima legū interpres *l. si de interpretatione ff. de legib. & cap. cùm dilectus de consuetudine*. quæ sane interpretatio legis potest fieri per consuetudinem tantum per modum doctrinæ, aut signi, sicut Doctores interpretari solēt leges scriptas, & consuetudines, vt loquitur Salas *tr.* 14. *disp.* 19. *sect.* 14. *num.* 101. *de leg.* quare bene ait Menoch. *de arbitrar. l.* 2. *c.* 83. *n.* 10. cum Castrense, Aretino, Sōcinate Sen. Crauetta, & alijs ad consuetudinem, vt legem interpretur minus tempus decennio requiri, quia ea non est inductiua, aut abrogatiua, sed supponit legem, & interpretatur illā per modum doctrinæ, aut signi idest indicans, hanc fuisse mentem legis, vt explicat idem Salas *disp.* 9. *sec.* 9. *n.* 69. *ver. Tertia declaratio.*

§. III.

Prob. Conc. Trid. d. c. 18. de recipiendis pueris ipsius Ciuitatis, & Diœcesis vsu, & obseruantia longissimi temporis à Seminario Panormitano fuisse intellectum de pueris originarijs tantum.

SVMMARIVM

Seminarium Panormitanū à sua institutione semper requisiuit pueros natos de Diœcesi n. 10.

Panormitanum Seminarium est in-

inter nobiliora Europæ computandum n. 11.

Vnde colligimus, Senatum panormitanum intellexisse bullam Clem. 8. de Parochis, quod debeant esse ciues nati n. 12.

10 SVfficienter ni fallor, probata remanet consequentia, quę à me probanda fuerat; nimirum, non posse in Seminario panormitano recipi Alumnos, qui non sint nati in ipsa Diœcesi, idque ex vi decreti Concilij Trid. *d. sess. 23. ca. 18.* ita consuetudine, & obseruantia intellecti, quoad panormitanum Seminariũ. Probandum solum remanet antecedẽs, nimirum Decretum d. Concilij in Seminario Panorm. ita esse interpretatum, & vsu receptum ab initio seminarij fundationis, quod ita videor ostendere. Ab initio Seminarij vsque adhuc obseruatum est, vt inter ceteras qualitates à sacro Trid. Cõcilio in d. c. 18. in pueris recipiendis requisitas, v.g. quod essent ex legitimo nati matrimonio: quod saltem scirent legere, & scribere competenter, &c. hoc semper est requisitum, vt essent naturales ipsius Diœcesis Pan. cum proportione, vt hi, qui ex Panormo accipiendi erant, essẽt originarij, et nati Panormi, qui è Termis essent originarij, et nati Termis, et sic de alijs; ergo decretum Concilij Trid. per ly ipsius Ciuitatis, et Diœcesis ita est vsu, et obseruantia interpretatum, et acceptatum, quoad Seminarium panormitanum vt pueri in eo recipiendi, tanquã alumni essent naturales Diœcesis.

11 Consequentia hæc probatur 1. quia ex eo, quod videmus in hoc panormitano Seminario, vt pote inter alia totius Europę nobiliora computandum, requiri in pueris, vt sint duodecim saltẽ annorum ex legitimo matrimonio nati, vt sciant saltem legere, et scribere competenter, dicimus decretum Concilij Trident. hæc præscribentis, esse vsu receptum, et obseruatum: sic cum videamus in pueris recipiendis requiri, vt sint naturales Diœcesis, debemus dicere, decretum Concilij Trident. quatenus asserit, pueros recipiendos debere esse ipsius Ciuitatis, et Diœcesis, ita fuisse receptum, et interpretatum vsu, et obseruãtia huius panormitani Seminarij. Nam sicuti dicimus Venerũ, et Salernum sic Concilium intellexisse ex eo, quia id clare expresserunt scriptis; sic debemus dicere, obseruantiam, et consuetudinem in hoc seminario panormitano ita declarasse, et interpretatam fuisse decretum Concilij Trid. per ly ipsius Ciuitatis, nam, vt bene vidimus ex Salas, Menoch. & alijs, consuetudo, & obseruantia legem interpretatur per modum doctrinæ, aut signi.

12 Prob. 2. quia Ill. Senatus Pan. post bullam Clem. 8. *Sacri Apostolatus ministerio*, in qua dicitur, vt ad Ecclesias huius Felic. Vr. Panormi Parochiales, nemo præsentetur, qui ciuis Ciuitatis Panormi non sit, ex quo inquã Senatus, post d. Bullam præsentauit semper ciues Panormi natos, & originarios, dicimus, Senatum ita consuetudine, & obseruantia intellexisse, ac interpretatum fuisse verba illa Bullæ Clem. vt probat optime Serius *in dict. bulla diff. 3. qu. 14. à nu. 2.* ita vt non sit hoc ex consuetudine, sed ex Bulla Clẽ. 8. sic vsu, & obseruantia à Senatu intellecta: ergo etiam cum videamus sẽper

in Seminar. Panor. fuisse obseruatũ inter alia, quæ Concilium d.c. 18. requirit pro recipiendis in Seminario, vt recipiendi essent naturales, seu nati in Diœcesi, debemus pari modo dicere, hanc non esse meram consuetudinem Seminarij; sed consuetudinem sic interpretantem Decretum Tridentini quoad ea verba, ipsius Ciuitatis, vel Diœcesis, sicuti dicimus, Senatum Panormit. ea verba Ciues Ciuitatis Panormi à Clem. VIII. posita, vsu & obseruantia intellexisse pro Ciuibus natis Panormi; nam vna consuetudo per aliam explicatur, vt probat Muta alijs adductis *ad consuet. Panorm. cap.* 38. *n.* 30. *&* 11.

§. IV.

Ostenditur, Seminarium Panormit. habere consuetudinem recipiendi in alumnos solos natos in Panorm. Diœcesi.

SVMMARIVM.

Assertum probatur ex libris seminarij n. 13.
Consuetudo probatur, etiam per testes singulares n. 14.
Consuetudo contra legem quomodo probetur ibi.

13 REmanet mihi probandum, esse in Seminario hanc cõsuetudinem recipiendi tantum pueros originarios Diœcesis, quod facile probari potest ex libris, in quibus notantur nomina, & Patria eorum, qui in Seminario recipiuntur; non enim inueniuntur alij, nisi nati in *Diœcesi*, & id expresse exprimitur. nolo hic longam seriem adscribere, tantum exempli gratia ponã virum antiquis moribus, qui primus sese mihi obtulit legenti, & sic notatur in libro. D. Franscisco Catrini della Città di Palermo entrò nel Seminario à 10. di Maggio *1603.* fù battezzato nella *P*arochia di Sãto Antonio à 7. di Nouembre 1589. & hoc modo ceteri omnes notantur, & valde est notãdum, quod nõ solum dicatur è Ciuitate Panormi, sed etiam esse ibi baptizatum, vt ostendatur debere esse ciues natos.

14 Secundo, consuetudo probatur per testes etiam singulares Bart. *l. de quibus col.* 10. *ff. de leg.* Alexan. *cons.* 41. *lib.* 2. *col.* 3. Purpurat. *in l.* 1. *ff. si cer. petatur.* Guid. Pape *in Cons.* 116. et alij, et secundum omnes probatur per duos testes, vt asserit innumeris adductis Mascard. *de probat. vol.* 1. *concl.* 424. *num.* 1. 2. *&* 3. At non vnus, nec duo, sed multi, & viri grauissimi, ac in Seminario fere enutriti supra quadraginta annos, hanc esse consuetudinem testantur, et quod valde fauet, est, quod quoties aliqui etiam viri principes; ac ipsi Præsules tentarunt adscribere in Seminario aliquem, qui non esset naturalis *Diœcesis*, toties magno zelo obstitit Seminarij rector; quæ sane cõditio nimirũ, vt quis volenti contrarium facere, contradixerit, saltem extra iudicium, est sufficiens ad probandum consuetudinem etiam contra legẽ ex Surdo *cons.* 393. *nu.* 25. ne dum nostram, quæ est legi conformis, eamque interpretatur secundum natutalem æquitatem, et iuxta omnia iura, vt probat Couarr. *prac.* 9. *ca.* 35. *nu.* 5. *ver. secundo adnotandum*. Probata igitur satis videtur cõsuetudo in Seminario panor. recipiendi in alumnos tantum na-

naturales Diœcesis, et non oriundos, aut ex priuilegio ciues.

§. V.

Obiectis satisfit, & prædicta confirmantur.

SVMMARIVM

Em. Card. Doria laudatur n.15.
Consuetudo quãdo nam interrumpatur, nec ne per actus contrarios ibid.
Est constitutio Archiepiscopalis, ne alumni recipiantur, nisi nati in Diœcesi n.16.
Archiepiscopus potest ex causa in propria lege, & inferiorum licite dispensare n. 17.
Consuetudo an possit lege mutari n. 18.
Archiepiscopus non potest mutare interpretationem Concilij Tridentini factam ex vsu, & consuetudine n. 19.
Obseruantia sequens declarat sensum antecessorum n. 20.
Ciues natos esse præferendos oriundis recta ratio docet n. 21.
Corollarium prædictorum n. 22.

15 DIces primo Em. Card. Doria Panor. Archiepiscopus nulli optimorum Præsulum secundus in Diœcesi gubernanda, recepit in Seminario ciuem ex priuilegio, ergo falsum est extare consuetudinem recipiendi solum naturales Diœcesis. Respõ. neg. consequ. ex Medices *tr. de legib. par.2. qu.14. nu.5.* vbi ait, quod si dum currebat tempus præscriptionis fiant actus contrarij, interrumpitur consuetudo: sed postquam consuetudo est præscripta, contrarius vsus non tollit consuetudinem; at in casu nostro consuetudo erat iã præscripta per spatium quadraginta annorum, & vltra, cum Seminarium fuerit erectum anno 1583. & hoc acciderit circa annum 1635. quo casu non interrumpi consuetudinem, nec per vnum, nec per plures actus contrarios docent *Gloss.2.in leg. nemo 166. ff.de reg. iuris. Panor. cap. vlt. d de don. nu.* 19. Roscus ibi *sect. 4.n.69.* & alij multi.

16 Imo prudẽtissimus princeps, ne quod à se factum fuerat, vt puto bona fide, in exemplum abiret, fecit summum quod potuit, & per actum publicum die 28. Aug. 4. Ind. 1636. inhærendo, vt ipse loquitur, dispositioni sacri Concilij Trid. *sess.23.ca.18.* [voluit, ordinauit, ac statuit, quod in omnibus, & quibuscumque futuris receptionibus puerorum Alumnorum in Seminario huius Vrbis, tantum reciperentur veri, & natulales ciues legitime nati in hac Vrbe, Ciuitatibus, terris, & locis, in quibus, &c.] prout videri potest apud Salernum d. cons. 2. nu.63. tacuit prudentissimus Antistes antiquam consuetudinem, prout hactenus obseruatum est, ne fortasse cogeretur caussam assignare, cur ipse semel aliter fecerit, non quia passim aliter fuerit obseruatum, vt videri potest in libris Seminarij, imo cum dicit [inhærendo dispositioni Sacri Concilij Trident.] apertè insinuat, id esse iuxta interpretationem, & intellectum receptum Panormi quoad seminarium.

17 Dices secundo, potest Archiepiscopus ex iusta causa licitè dispensare in lege propria, & inferiorum; ergo etiam potest dispensare in consuetudine seminarij, quod sibi subijcitur, quia eadem est ratio de reuocatione consuetudinis, ac de reuocatione

ne

ne legis ex Suar. *l.7.c.20.nu. 2. de legib.*

18 Respondeo negando cõsequ. primò, quia Iure communi statuitur, ne fiat consuetudinis mutatio *l. minime ff. de. legib.* vnde *l. vn. de feudi cognit.* dicitur. [Legum Romanarum non est vilis auctoritas; sed non adeo vim suam extendunt, vt vsum vincant, aut mores,] & Gosfred. *in sum. tit. de consuetud. n.* 10. ait. Consuetudinem non tolli lege seq. sed quidquid sit de hoc, de quo vide Suar. *de leg. lib.* 7. *cap.* 20.

19 Secundo, quod cum ex vi huius consuetudinis sit receptum, & interpretatum Decretum Concilij Trid. *sess.* 23. *c.* 18. & per ly eius Ciuitatis, & Diœcesis, intelligantur ciues nati, non potest Archiepiscopus contrarium decernere, quia est statutum facere contra Concilium Trid. hæc enim obligatio, vt supra diximus, non oritur ex consuetudine, sed ex Concilio iam ita recepto, et intellecto ex cõsuetudine, quod omnino dabit doctus Serius, qui ad Bullam Clem. 8. *de refor. Paroch. Panor. diff* 3. *qu.* 14. *n.* 10. ait non posse iam Senatum Panormitanum præsentare ad parochias ciues oriundos, cum Pontificis priuilegium sit concessum ciuibus originarijs: certe hoc verum habet. Sed quia Senatus Panorm. ita vsu & consuetudine recepit, seu Intellexit, & obseruauit verba bullę: ciues Ciuitatis Panormi, nimirum, vt essent Panormi nati. ita etiam in casu nostro, posito quod vsu, & obseruantia sit ita practicatum Cõcilium Trident. non potest ab inferiore contrarium statui.

20 Denique cum Ciuitates Diœcesis contribuerint ad Seminarij fundationem, et prorata contributionis fuerit numerus puerorum recipiendorum singulis assignatus. v. g. Panormo decem Caccabo tres, &c. et ab initio seminarij semper sit obseruatũ, vt hi pueri essent nati in illa Ciuitate, à qua admittebantur in seminario, vt supra ostendimus, dicendum est, sub ea conditione fuisse datam, & acceptatam contributionem Ciuitatum, vt earum tantum naturales reciperentur; quia obseruantia subsequens declarat, quid senserint, vel non circa aliquam materiã antecessores, vt probat Surdus *cons.* 470. *nu.* 20. *& cons.* 140. *nu.* 47. cum alijs, quos adducit, & posterior possessionis qualitas declarat, qualis fuerit à principio intẽtio Bald. *cons.* 243. *vol.* 3. Ad id etiam facit Ruinus *cons.* 83 *num.* 6. *vol.* 1. Nata *cons.* 406. *d. nu.* 25. ergo faceret contra iustitiam, & ius acquisitum tertio, qui alium præter ciuem originarium, ac naturalem adlegeret in alumnum seminarij panor.

21 Et certe negare nemo prudẽter poterit, finem contribuentiũ Ciuitatum, intentionem Concilij Trid. ac naturalem rationem esse, vt existentibus multis ciuibus natis, hi præferantur oriũdis, aut ex priuilegio ciuib⁹ quod probat Salernus d. cons. 2. §. 8. nu. 54. in simili de siculo oriundo cõcurrente cum siculo naturali cæteris æqualibus; & quid dicendum, si naturales essent tali prædìti ingenio, & moribus, vt ex ipsis merito magnum bonũ speraretur, quod non speraretur ab alijs. videant alij.

22 Breuiter igitur ex dictis concludimus ex decreto sacri Concilij Trid. *sess.* 23. *c.* 18. *de reform.* statuentis, vt recipiendi in Seminario sint eiusdem Ciuitatis, & Diœcesis, non posse in Semi-

minario panorm. recipi pueros, qui non sint nati in ipsa Diœcesi panor. sine hoc sit, quia verba Concilij Trident. id exprimunt, vt putauit Venerus in examine Episcop. *lib. 7. cap. 30. num.* 33. et vt probant argumēta Salerni *lib. 1. cap. 2. §. 9.* vel quia ita vsu, & obseruantia dicti Concilij decretum receptum, & intellectum est, in hoc panormitano seminario ab initio suæ fundationis ann. 1583. vsque adhuc, dū hæc scribimus ann. 1658.

QVAERES XLI.

An dubius in aliquo fidei misterio possit absolui à simplici Confessario, si hoc dubium sit externum.

SVMMARIVM

Nomine simplicis confessarij, quid veniat in hac materia n. 1.

Asserens, posse Regulares absoluere ab occulta hæresi est puniēdus à S. Officio Inquisitionis ibid.

Hæresis mere interna nullam censuram, aut reseruationem habet n. 2.

Dubius in fide tanquam hæreticus est reputandus n. 3.

Quid si habeat opinionē de aliquo fidei misterio n. 4.

Probabile valde est, non esse reputandum tanquam hæreticum n. 5.

Dubitans circa aliquod misteriū fidei peccat mortaliter, & non est absoluendus, si nolit tale dubium deponere: esto non sit hæreticus n. 6.

Confitens tantū veniale sine proposito illud vitandi in futurum non potest absolui ibi.

Quid si habeat causam iustam dubium non deponendi, & vnde talis causa procedere possit n. 7.

Pœnitens, qui confitetur se dubitasse de fidei misterio, an possit absolui, si non est certus quod nullum protulerit iudicium n. 8.

Dubitans de rebus fidei, si dubium aduertat moraliter semper reflectit iudicans, res fidei esse dubias n. 9.

Auctores nostræ assertioni fauentes n. 10. & 11.

An iudicans interne res fidei esse dubias, & externe dicit se dubium habere, sit hæreticus externus n. 11.

1 NOmine simplicis Confessarij intelligo tam sæcularē, quā regularem rite ab Episcopo approbatum, non habentē speciale priuilegium absoluendi àb hæresi, vt de facto sunt omnes etiam Regulares, qui quamuis secūdum Peyrinum *in conf. Sixti IV. nu.* 16. Molfesium *p. 1. sum. tr. 7. cap. 19. num.* 29. et alios, possint absoluere suos Religiosos ab hæresi externa, nullo modo possunt sæculares à tali delicto absoluere, vt probat Pellezarius *in man. tr. 8. c. 3. nu.* 78. & Diana *par. 11. tr. 2. res.* 18. dicit, quod qui teneret cum Bruno *de priu. reg. p. 1. tr. 5.* qui affirmat, posse Regulares absoluere ab occulta hæresi, puniretur ab officio Inquisitorum.

2 De hoc igitur procedit nostra quæstio: an si v.g. Titius accedat ad aliquem Confessarium, et dicat, se dubitasse an v.g. Christus Dominus sit in San. Eucharistiæ Sacramento, et hoc dubium nō fuisse mere internum (tunc enim verissima sententia est, et hodie communiter accepta, posse ab omnibus absolui, quia nec excommunicatio, nec vlla censura per hæresim mere internam in-

incurritur, vt innumeris relatis probat Sanch. *summ. lib.2.cap.8. nu.* 2.et passim recentiores) an tunc Confessarius possit illum absoluere.

3 Videbitur fortasse alicui facillima huius quęstionis resolutio, quia, cum hæc pendeat ab illa quæstione: an dubius in fide sit hęreticus, sicut illa potest probabiliter in vtramlibet partem resolui, ita et hæc à nobis proposita de dubio circa aliquod misterium. quare tenendo, quod dubius in fide sit vere hęreticus, vt videtur definiri *in cap.* 1. *de haret.* et ibi Abb. Ioa. Andr. et cõmuniter Doctores, præsertim antiquiores, quos sequutus est Suarez *de fide disp.* 19. *sect.* 4. Valen. 2.2. *disp.* 1. *q.* 11. *p.* 1. et alij; dicendum est, hunc dubitantẽ de aliquo fidei misterio esse vere hæreticũ, et cum supponamus esse externũ, nõ poterit à Simplici Cõfessario etiam virtute bullę absolui, prout tenent fere communiter Doctores cum Castropalao *de bull. disp. vn. p.* 8. §. 1. *n.* 12. de quo videri possunt Bardi *in Bull. par.* 2. *tr.* 6. *cap.* 2. *sect.* 1. Pellezarius *tr.* 8. *c.* 3. *à nu.* 72.

4 Imo non solum si quis dubitet non potest absolui in hac sẽtentia, sed neque si quis habeat de aliquo misterio fidei opinionem, quia, cum opinio sit assẽsus ad vnam partem cum formidine oppositi, excludit fidem, quæ est assensus certus excludẽs omnem formidinem oppositi, et sic taliter opinans est hæreticus, vt docent Aragon. 22. *qu.* 11. *ar.* 2. *dub.* 2. Castro *lib.* 1. *aduersus hareses cap.* 10. *initio*, et alij Recentiores.

5 At, tenendo probabilem opinionem, quod dubius in fide nõ sit hæreticus, neque censuras, aut pœnas incurrat; quando nullum habet assensum fidei cõtrarium, nec iudicat res fidei esse dubias, vt ex Cano probat Sãchez *lib.* 2. *sum. c.* 7. *nu.* 12. Fagund. *lib.* 1. *in decalog. c.* 10. *nu.* 10. debemus consequenter dicere, hunc posse à quolibet Cõfessario simplici absolui.

6 Vt autem tota hæc materia clarius exagitetur. Dico primo, si pœnitens confiteatur se actualiter dubitare de misterio fidei, & nolit tale dubium sine causa iusta deponere, non potest absolui, nec etiam à *Papa*. *Ratio* est, quia esto non sit hæreticus, cum nullum proferat iudicium, prout tenet secunda opinio supra relata, tamen peccat mortaliter vt expresse tradit Bassaeus *in flor. Theol. v. haresis nu* 3. & sic non potest recipere absolutionẽ, vt constat apud omnes; si enim quis cõfitetur solũ peccatũ veniale, & non proponit illud in futurum vitare, non potest absolui, quia non habet dolorẽ requisitum ad Sacramentum confessionis ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. licet non sit necesse, vt habeat dolorem, & propositum de omnibus venialibus, quæ cõfitetur, vt dixi *de pænit. disp.* 5. *qu.* 10. cum Henriqu. Fagund. & alijs. multo magis, qui confitetur peccatum mortale, & illud non vult emendare; ponit obicem, & non est capax absolutionis.

7 Dixi, si pœnitens sit dubius circa aliquod fidei misterium, & nolit sine caussa tale dubium deponere, vt innuerem posse euenire, non peccare pœnitentem tale dubium retinendo, donec certior fiat, vt si quis sit Neophitus, & ignoret aliquod misteriũ ab Ecclesia catholica, tamquã de fide amplecti, & de cetero non habeat Confessariũ

adeo

adeo doctum, aut cordatum, vt ipsius dicto possit dubium deponere: tunc non peccabit, si erit paratus credere, quæ reuera proponit Ecclesia, & sic de alijs peccatis poterit absolui, quia circa prædicta nullũ peccatum committit. Vnde sicut Bassaeus dicto loco dicit, peccare mortaliter dubitantem voluntariè circa misteria fidei sine causa, innuens, quod non peccat dubitans cum causa: ita ego dico, non peccare non deponendo dubiũ ex iusta caussa: at caussa dubitãdi certe non potest esse alia, nisi quod non sufficienter ea proponãtur, vt patet ex Sãch. *li.2. sum. cap. 7. num. 25.* & alijs, qui docẽt, peccare mortaliter eum, qui non credit fidei misteria, quæ suus Episcopus, aut magni nominis Theologi proponunt; ergo etiam est causa sufficiens nõ deponendi dubium, quia non sufficienter proponuntur res fidei.

8 Dico secundo, quamuis pœnitens confiteatur suum peccatũ præteritum, quod dubitauerit de aliquo fidei misterio, & hæc dubitatio sit externa, etiam in sententia probabili afferente, dubium in fide non esse hæreticum, non potest absolui, nisi pœnitens certus sit, quod nullũ prorsus protulerit iudicium, vt supra notatum est.

Hanc assertionem non inuenio apud Doctores, quia neque quæstionem hanc tactam reperio, illam tamen puto non minus certam præcedenti assertione, et manifeste ex Doctorum principijs deduci. Et quidem secunda pars, quod possit absolui, quando constat ipsi pœnitẽti, se nullum protulisse iudiciũ probatur, quia in hoc casu tantum manifestat, quod habet in corde, sed in corde non habet, nisi merum dubium, & nullum iudicium elicuit; ergo si hoc dubium, prout est in corde non constituit hæreticum internum, vt tenet secunda opinio, neque dubium externe prolatum constituit hæreticum externum; & sic potest ab hoc dubio absolui, neq; apparet implicantia, cur non possit hoc euenire.

9 Prima pars, quod non possit absolui, quando pœnitens non est certus, se nullum protulisse iudicium, probatur, quia dubitans de rebus fidei, si aduertit suum dubium, semper iudicat per actum reflexum, res fidei esse dubiãs; sed qui dubitat, et suũ dubium manifestat, semper aduertit ad suum dubium, vt est manifestũ, ergo semper iudicat res fidei esse dubias, & per cõsequens est hæreticus, vt mox probabo.

Maior probatur, quia cum aduertit, se bubitare, aduertit in obiecto, neque veritatem, neq; falsitatem apparere, et sic statim iudicat, obiectum esse dubium, et ad id cogitur intellectus, vt latius explicat Fagundez *d.c.10. num. 11.*

10 Hanc sententiam dabunt fane omnes, tam qui putant, dubium in fide, etiam si tale dubiũ non sit externum, esse hæreticũ, quia semper putat res fidei esse dubias, tam qui negant; omnes enim dicunt, quod qui dubius est in aliquo misterio fidei, moraliter loquendo putat per actũ reflexum res fidei esse dubias. sic Canus *lib. de locis Theolog. cap. 9. col. 15.* qui quamuis putent dubium in fide nõ esse hæreticum, ex eo; quia qui dubitat, nullum profert iudicium, addũt tamen, moraliter loquendo semper esse hæreticum, quia semper putat

tat res fidei esse dubias per actũ reflexum.

11 Imo Sanchez cum Malder. 2. 2 *qu.* 11. *art.* 2. *mem.* 2. & alijs mihi valde fauet. nam *lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 13. dicit, esse hæreticum externum, qui iudicat in corde suo res fidei esse dubias: sed externe tantum dicit, se dubitare de rebus fidei, nam ait doctissimus vir, in ea dubitatione est, moraliter loquendo coniuncta hæresis: ergo merito potest, vt hæticus præsumi, & vt talis puniri etiamsi dubium illud in animo retentum non redderet hæreticum, quamuis de hoc habeat difficultatem Dicastill. *disp.* 10. *dub.* 5. *num* 53. *de pœnit.*

Ergo similiter sic ego dico, qui dubitat de rebus fidei, & hoc manifestat, nisi constet, quod non habuerit iudicium, quod res fidei sint dubiæ, habendus est pro hæretico externo, & solum hãc differentiam constituo inter dubium internum, & externe manifestatum, quod dubium internum non constituit hæreticum dubitantem, nisi constet reuera illum iudicasse res fidei dubias: dubium vero externum cõstituit hæreticum, & dubitãs, à Cõfessario habẽdus est pro hæretico, nisi constet, illum nõ protulisse iudicium contrariũ rebus fidei, quod potest facere, & non implicat ex imperio voluntatis, vt bene probat Fagundez *d. c.* 10. *num.* 12. & Dicastill. *de pœnit. disp.* 10. *dub.* 5. *num.* 53. vbi dicit esse vehementem suspicionem, quod hic sit hæreticus, in quo mihi valde fauet.

QVAERES XLII.

An extrahentes reos ab Ecclesia contra formam constitutionis Greg. XIV. cum alias, sint excõmunicati vitandi.

SVMMARIVM

Extrahentes reum ab Ecclesia non incurrunt excommunicationẽ ipso facto remissiue n. 1.
Doctrina P. Gambacurtæ dans causam quæstioni ibi.
Concilium Basiliense potius est cõciliabulum, nullã habens auctoritatem n. 2.
Excommunicatus non denunciatus potest etiam in diuinis, si sit ab alijs requisitus communicare n. 3.
Excommunicatus ob delictum publicum, at non deductum ad forum contentiosum, an possit virtute bullæ absolui n. 4.
Quid si delictum sit ad forum contentiosum deductum n. 5.
Absolutus ab excommunicatione virtute Bullæ Cruciatæ, quando peccet cum alijs communicãdo n. 6.
Conclusiones ex tota quæstione n. 7.

1 NOn incurri in excommunicationem ipso facto, dixi ex communi sententia *de vir. Relig. tr.* 1. *lib.* 4. *disp.* 10. *qu.* 3. solum hanc proposui quæstionẽ in gratiam lectorum, qui monentur à Gambacurta viro doctissimo Soc. Iesu. *lib.* 8. *cap.* 5. *nu.* 22. *in bull. Greg.* in hæc verba. [secundo moneo, cum trãsgressio præsentis constitutionis communiter publicè committatur. et consequenter Reus, qui in hoc delinquit, habendus sit pro excommunicato in foro exteriori, non esse illi satis absolutionem, quæ aut per Bullam Cruciatæ, aut per mendicantium priuilegia datur in foro interiori conscientiæ, quæ natura sua occulta est; sed necessariam esse in foro exteriori absolutionem,

nem, vt possit libere cum alijs communicare] sed salua doctissimi viri pace, hæc monitio vel minus veram continet doctrinã vel longa indiget explicatione, ac satis mãca est. Si Gambacurta intelligit, quod ex eo quia delictũ, v.g. extractio ab Ecclesia Rei in ea existentis sit publicũ, excommunicatio, quæ contrahitur, reddat excommunicatum vitandum, prout significant illa verba [habendus sit pro excommunicato pro foro exteriori] minus verum est, nam post Concilium Constantiense celebratum anno Dom. 1414. quicumque excommunicatus, si nõ sit publicè denunciatus non est à fidelibus vitandus. itaut quamuis quis videat alium committere delictum, cui ipso facto sit adnexa excommunicatio, non teneatur illum vitare, v.g. scio duos ex condicto, designato loco, & tempore concertare, illosque video, ac scio etiam incidisse in excommunicationem Papę reseruatam, per motum proprium Clem. VIII. ann. 1592. *Illius vices.* adhuc possum cum illis communicare tam in diuinis, quam in humanis commercijs absque vllo peccato.

2 Nec refert quod Concilium Basiliense *sess. 20. sub tit. de excõmunicatis non vitãdis* correxerit dispositionem Concilij Constãtien. ac decreuerit, esse vitandũ illum, qui est notorie excommunicatus, quia nimirum, notum est illum commisisse delictum, cui est excommunicatio ipso facto adnexa; cuius decreti virtute potuit moueri Gambacurta ad asserendum, quod cũ delictum contra constitutionẽ Gregor. XIV. publice committitur, Reus, qui in hoc deliquerit, habendus est pro excommunicato. quod docuerunt ante ipsum Nauarr. *in c. 1. §. laborat. de pœn. disp. 6.* Couarr. *in cap. alma mater. 1. par. §. 7.* et alij.

Non inquam, obstat talis dispositio Concilij Basiliens. quia de ea non est curandum, cum Concilium illud nullam habeat auctoritatem, cum fuerit factum sine Papę consensu, et in Concilio Lateran. sub Leon. X. *sess. 11.* vocatur Conciliabulum, et ita docent Syluest. & Nauarr. mutantes opinionem, Victoria, Suar. Henriqu. Layman, et alij multi, quos congerit Castropal. *disp. 2. pun. 4. de cens.* atque adeo ex hoc capite falsum est, quod extrahens reum ab Ecclesia, quamuis delictum sit publicum, habendus sit ab alijs pro excõmunicato.

3 Immo ipse delinquens, quamuis coram Deo sit excommunicatus, non peccat, si ab alijs requisitus, quãuis nulla sit necessitas, cum illis, etiam in diuinis communicet, v. g. ministrando Sacramenta, & missam celebrãdo, quando ea alij petunt: quia Concilium Constantiense dum concedit omnibus alijs, vt tam publice, quam priuatim in administratione Sacramentorum, aut alijs diuinis rebus possint cũ publicè excommunicatis communicare, nisi sint denunciati, per indirectum concedit, vt excommunicati possint cum alijs ad eorum requisitionem communicare, aliàs talis concessio, vel esset inutilis, vel esset Seminarium scrupulorum; quamuis enim quis non incidat in excõmunicationem communicando cum excommunicato non vitãdo, certe si ille peccaret requisitus, Sacramenra administrans, etc. peccaret etiam contra charitatem, qui ea ab illo peteret

fine causa, vt dixi *de matr. disp. 9. lib. 7.* ex Sanch. ibid. vbi optime dicit, quod etsi excommunicatus non possit matrimoniũ cum alijs contrahere eos præueniendo; poterit tamen tuto illud contrahere, et consumare ab alijs requisitus, quod etiam tradũt Hurtad. *de cens. diff.* 4. Filliuc. *tr.* 13. *c.* 3. *&* 4. esto contrarium docuerint communiter prius Doctores, vt ipsemet Sanchez aduertit.

4 Si vero Gambacurta intelligit, quod excommunicatus ob delictum publice commissum non possit absolui virtute Bullæ ad hoc, vt in foro externo possit cum alijs se ingerere, et etiam non requisitus in diuinis communicare eius doctrina, vt dicebam, manca est, et maiori indiget explicatione.

Nam si delictum, ob quod quis incidit in excõmunicationẽ ipso facto est publicum; sed nõ deductum ad forum contentiosum, quia v.g. qui viderunt, nolunt accusare, nec Iudex vult ex suo officio agere; tunc absolutus virtute Bullę potest sine peccato in omnibus cum alijs communicare: nam ad vitandũ scandalum potest eos monere, quod sit virtute bullę absolutus. Ita ex Suar. *disp. 7. sect. 5. à num.* 25. Alterius *de cens. to. 1. disp. 4. lib. 4. cap. 4.* Bonac. *de cens. disp. 1. qu. 3. pu. 10. n. 4.* Layman. *lib. 1. tr. 5. par. 1 cap. 7. num. 7.* et alij apud ipsos. et hodie cum in nostro Regno sit vsus Bullæ frequentissimus, facile possunt omnes, qui vident excommunicatum cum alijs communicare, supponere illum esse absolutum.

5 At si delictum sit ad forum cõtentiosum deductum, quia nimirum est delatum ad Iudicem Ecclesiasticum, Titium extraxisse Reum ab Ecclesia, vel aliud delictũ commisisse ex ijs, in quibus ipso facto incurritur excõmunicatio, et iudicium est cæptum, tunc absolutus virtute Bullæ non potest publice cum alijs communicare se ingerendo, nec in diuinis, nec in humanis, etiam si non sit publice adhuc denunciatus, quia iste pro foro externo reputatur, vt excommunicatus; nam Bulla tantum dat absolutionem pro foro consciẽtię, vt expresse decreuit Vrb. VIII. *in const.* 105. *ann.* 1630. 19. *Iunij in specula militantis Ecclesia*, per quam varias Doctorum opiniones sustulit. Sed excommunicatus, etiam non denunciatus nõ potest se ingerere, & communicare cum alijs, et si se ingerat, et exerceat actus sibi prohibitos, potest per Iudicem ecclesiasticũ puniri, vt contemptor censuræ vt omnes tradunt, ergo iste, absolutus solum pro foro consciẽtiæ, potest pro foro externo puniri.

6 Et etiam peccat coram Deo, quia implicite talis communicatio esset in contẽptum superioris, qui examinat caussam, et debet ferre sententiam, vt bene aduertit Bardi *in Bull. par. 2. tr. 6. c. 5. sect. 2. nu.* 20. Potest tamẽ iste absolutus virtute Bullæ secreto cõmunicare, etiã corã alijs paucis, assistendo missæ, etc. quia tunc ex vna parte coram Deo est absolutus, et ex alia nullam facit iniuriam, nec contemptum censuræ, sed potius ei maxime defert, dum occulte tantum communicat, vt apud cit. Doctores constat.

7 Patet igitur ex dictis extrahẽtes Reos ab Ecclesia nõ esse per hoc excommunicatos, ab alijs vitandos, ac posse sine scrupulo cum alijs communicare, quando

do delictum non est ad forum contentiosum deductum, si absolutionem ab excommunicatione obtinuerunt virtute Bullæ Cruciatę, & de hac absolutione alijs constat.

QVAERES XLIII.

An Hospitale in carcere publico, seu Vicaria Ciuitatis Panormi gaudeat immunitate.

SVMMARIVM.

Rationes pro sententia affirmatiua n. 1. & 2.
Granciæ, quando gaudent immunitate n. 1. & 4.
Negatiua sententia præfertur n. 3.
Hospitale quas conditiones habere debeat, vt gaudeat immunitate ibib.
Domus conducta à Regularibus, vt ibi habitent non gaudet immunitate n. 4.
Oratoria priuata non gaudent immunitate n. 5.
Oratoria priuata, quæ dicantur n. 6.
Quid senserit Quintanaduenas in hac quæstione n. 7. & 8.
Carceres quid significent n. 7.
Mansus quid sit n. 8.

1 Affirmatiue videbatur dicẽdum cuidam Iurisperito; quia hoc Hospitale est membrũ Hospitalis, quod maius vocamus, & infirmi hic positi aluntur expensis illius, & subduntur eius ministri Hospitalario illius maioris Hospitalis, & sicuti etiã iuxta nos *de virtute Religionis tr. 1. lib. 4. disp. 5. nu. 20.* Grancię, quę sunt mẽbra monasterij magni gaudent immunitate Ecclesię, sicut monasterium, ita & hoc hospitale, quod est membrum magni hospitalis

2 Confirmatur, quia in eo est oratorium, ad quod omnes carcerati confluũt ad missam vidẽdam, & in terminis, quod oratoria in carcere gaudeant immunitate Ecclesiarũ docet expresse Quintanad. *tr. 6. dub. 6. n. 1. in append. ad Iubil.* in suis singularibus.

3 His tamen non obstantibus, dicendum puto, huiusmodi Hospitale, nec ratione sui, nec ratione oratorij gaudere immunitate Ecclesiarum. Ratio est quia Hospitale tũc solum gaudet immunitate Ecclesiarum, quando est auctoritate Episcopi fundatum, quod non fuit in hoc Hospitali, quod reuera non est Hospitale, sed locus quidam, vbi incarcerati maioris securitatis, & commoditatis causa, ibi curentur, nec refert, quod expensis Hospitalis magni regatur, & sit illi subiectum, nam aliàs etiam loca, & alia prædia Hospitalis magni deberent hac immunitate gaudere.

4 Immo Granciæ ipsæ tunc solum gaudent immunitate, quando in eis seruatur clausura, vt d. disp. 5. nu. 20. dixi, vbi etiam exclusi ab immunitate Ecclesiæ domos Regularium, quas conducunt, vt ibi habitent maioris commoditatis causa, vel necessitatis, quia hæc non sunt loca Religiosa. Ergo multo minus censendus est locus Religiosus, gaudens immunitate ille, in quo carcerati curantur, cum tantum fuerit erectus ad commodum Incarceratorum sine Episcopi auctoritate, & sine eius etiam auctoritate potest destrui ad libitum *Principis*.

5 Quod autẽ nec ratione oratorij, vbi sit sacrũ gaudeat immunitate, probatur; nã oratoria priuata non gaudent immunitate quoad

quoad reos, licet in eis de licẽtia Episcopi missa celebretur, vt ex Suario, & omnibus Doctoribus dixi *de virt. Relig. tr.* 1. *lib.* 4. *disp.* 5. *nu.* 18.

6 Sunt autem hæc oratoria in carcere priuata: cum non sint approbata ab Episcopo ad communem vsum fidelium; sed pro illo loco, & ob commoditatem incarceratorum conceditur, vt ibi missa possit dici, non secus, ac sunt oratoria in priuatis principum palatijs, quæ in communi sententia non gaudent immunitate. vt videri potest apud Dian. *par.* 9. *tr.* 1. *ref.* 18. vbi habet declarationem Cardinalium.

7 Neque puto Quintanamdueñam putare hoc oratorium in carcere constructum gaudere immunitate, dum ait, loco citato [nomine Ecclesię quoad immunitatẽ venire Ecclesias, Cappellas, Heremitoria sita in carceribus suburbijs, prædijs, agris, hortis;] sed fortasse hic auctor per ly carceribus intelligit spatium quoddam in aliquo campo, etiam clauso extra Ciuitatẽ. Carceres enim pluraliter nunquam significant carcerem, seu Vicariã, vt videri potest in Thesauro linguæ latinæ, Passaratio, &c. sic per Quintanadueñam gaudet immunitate Ecclesia, sita in hoc loco clauso, quem ipse carceres appellat.

8 Ducor ad hoc coniectandum primo, quia ipse voluit ampliare suam cõclusionem ad Ecclesias, &c. posita extra Ciuitatem, & carcer non ponitur extra Ciuitatem. Secundo, quia addit [dũmodo sint ab Episcopo destinata in communem fidelium vsum, at Cappella carceris est destinata tantum pro carceratis, & non in communem vsum. tertio denique, quia citat Alexand. *cons.* 145. *num.* 13. *l.* 7. Tuscum *ver. Ecclesia concl.* 8. vult dicere, 9. *n.* 5. *et* 6. Vbi hi Doctores expresse loquuntur de Ecclesijs; & Cappellis sitis extra Ciuitates in suburbijs, &c. nec carcerem nominant; sed mansum, qui est fundus tantus, quãtum potest laborare vnum par bouum *ex cap.* 1. *de censibus.* vulgo dicimus, Chiusa, & cum hoc non sit latinum, vsus est fortasse Quintanad. illo latino *carceribus*.

Hanc tamen explicationem attuli in gratiam huius Doctoris nostræ societatis, & de re morali benemerentissimi, nam si per ly carceribus intellexit carcerem, eius opinio, & ratione, et auctoritate est destituta.

QVAERES XLIV.

An Ill. Senatus Panormitanus possit licite præsentare ad Parochias dignũ omissis dignioribus.

SVMMARIVM

Episcopus tenetur confirmare dignum præsentatum à Patrono n. 1.
Quid senserit doctissimus Diana in nostra quæstione n. 2.
Senatum Panormitanum posse præsentare dignum, omisso digniore fere certum est n. 3.
Quis dicatur dignus ad beneficiũ ibid.
Fundamentum positæ assertionis n. 4.
Primus fundator beneficii potest iuxta communem præsentare dignum n. 5.
Auctores Soc. Iesu d. opinionem tenentes n. 6.
Afferuntur quamplures ex exteris n. 7.

Con-

Confirmatur d. opinio n.8.
Senatum Panormitanum esse primum fundatorem Parochialiũ omnium Panormitanæ Vrbis, probatur n. 9.
Dictiones, ac si in omnibus, & per omnia, tanquam: quid importet n. 10.
Senatus P. in fundatione Parochialium, quas conditiones requisierit in Parocho n. 11.
An fundator beneficij curati possit licite apponere conditionem, vt satisfaciat suæ conscientiæ, si dignũ Parochum ponat n. 11. initio.
Seruans formam à Papa præscriptam, vel lege, non peccat, etiamsi meliori modo actum facere posset n. 12.
Forma quid sit n. 13.
Ecclesijs ex d. modo præsentandi nullum sit detrimentum n. 14.
Nec Sacerdotibus dignioribus fit iniuria n. 15.
Quæ sunt vniuersitatis, non sunt singulorum ibi.
Beneficia cur bona communia dicantur. ibi.
Qua forma vsus fuerit Senatus Panormitanus in prima electione Parochi n.16.
Conclusio ex dictis ab Auctore stabilita n. 17.
Auctores, qui putent patronum laicum posse præsentare dignum omisso digniore n.18.
Nostræ conclusioni, etiam hoc negantes adhærent n. 19.
Quid Senatus in Parochorum electione attendere debeat, et quãti facere digniores n. 20.

1 DE validitate huius præsẽtationis constat apud Doctores, qui vnanimi fere consẽsu asserunt, teneri Episcopum confirmare præsentatum à Patrono, si ille sit dignus, vt videri potest apud Sanchez *lib. 2. cõsil. moral. cap. 1. dub. 6. nu. 8.* vbi citat Sotum, D. Anton. Armill. Caiet. Couarr. Aragon. Salon. Perez, Cuchum, Bernard. Panor. Imolam, Cardin. Maior. Mercad. Nauarr. quibus adde Dian. *part. 4. tr. 4. resol. 170.* Barbos. *in Conc. Trid. sess. 24. cap. 18. nu. 148.* vbi citat Aldan. *tit. 9. nu. 43. in compen. Can. Resol. lib. 3.* Lessiũ *lib. 2. cap. 34. dub. 13. num. 58. & dub. 7. num. 28.* & alios apud ipsos, & patet aperte ex bulla de confirm. Paroch. à Clem. 8. edita ann. 1599. *sacri Apostolatus ministerio*, quam affert Serius *to. 4.* & ex decr. Ill. Archiep. de Aedo tamquam delegati Apost. habetur apud Serium *loc. citato fol. 100.*

2 Circa quæstionem propositã; an liceat Senatoribus Panormitanæ Vrbis præsentare dignum omisso digniori, respondet Diana *d. res. 270. part. 4. tr. 4.* agens in terminis nostri Senatus affirmatiue, secundum probabilem sententiam, quam ipse adduxit *par. 2. tr. 15. res. 37.*

3 Verum ego assero, longe probabilius esse, & fere certum iure morali posse Ill. Senatum licite præsentare dignum, nempe illum, qui habet qualitates omnes, quas requirit beneficium iuxta suam qualitatem, & fundatoris intentionem, vt omnes docent, teste Castropalao *to. 2. disp. 2. pu. 7. n. 5.*

4 Fundamentum est, quia patronus laicus, qui est primus fũdator beneficij etiam curati, potest præsentare licite dignum omisso digniore iuxta communem sententiam; sed Senatus Panormitanus est primus fundator, & Patronus laicus Parochialium omnium, ergo potest licite, secundum communem sẽtentiam præsentare ad eas dignum

gnum omisso digniore.

5 Maiorem probo ex Eemin. Delugo *de iust. disp.* 35. *sect.* 4. *n.* 37. vbi testatur hanc esse communiorem ibi [secunda et cõmunior sententia docet, fundatorem quidem beneficij posse, quem voluerit dignum eligere, quia de proprijs bonis potest disponere pro libito, nec vlli iniuriam facit, &c.] & pro ea citat Couarr. Molin. Federic. Spino. Mandosium. Aragon. Salõ. Mercad. Sãch. Rebell. Less. Malder. Azor. Guttier. Sotum Azeued. & alios, an omnes rectè citentur, alij viderint, mihi sufficit testimonium tanti viri asserentis, propositionem à me positam esse communiorem. Et quamuis ipse hanc sententiam non omnino sequatur n. 40. iunc. n. 44.

6 Sequuntur tamen, & tanquã certam supponunt Rebellius *de iust. par.* 1. *lib.* 3. *quæst.* 4. qui sic scripsit. [Quarta tamen conclusio, & si Patronus, qui primo fũdauit beneficium ex proprijs bonis præsentãdo dignum quẽcumque voluerit non peccet scienter omittendo digniorem] Castropal. *to.* 2. *tr.* 13. *disp.* 2. *pun.* 11. *nu.* 10. [supradictæ conclusioni (nempe quod in beneficijs sit dignior eligendus) aliquas limitationes adhibent Doctores Prima, quam suprà tetigimus, est de patronis laicis, qui non videntur teneri digniores eligere, sed satis est si dignos eligant. et quidem si ipsi sint beneficiorum fundatores, res est omnino certa, cũ possint quemlibet, modo dignus sit, designare, vt beneficio inseruiat, et illius bonis fruatur, et deciditur expresse *in cap. monasterium* 16. *qu.* 7. *&* ibi Gloss. et communiter scribentes.] Dicastillus *lib.* 2. *de ius. tr.* 2. *disp.* 8. *dub.* 5. *n.* 101. [quod attinet ad institutorem ex proprijs bonis expresse docet Vasquez sup. dub. illo 4. cum Soto, & Couarr. quos refert, posse, modo dignum eligat, digniorẽ prætermittere.] Filliucius *tr.* 32. *cap.* 7. *n.* 187. [Dico primo Patronum satis esse, si præsentet dignum *c. monasterium* 16. *q. vl.*] Fulgosi *de regim. Reip. Christ. p.* 2. *c.* 9. *disp.* 22. §. 7. *nu.* 21. Vasqu. Turrian. Azorius, quos citant pro hac sententia Delugo, & Barbosa infra.

7 Et præter hos Doctores Soc. Iesu eamdem sententiam docet à fortiori Barbosa in Conc. Trid *sess.* 24. *de reform. cap.* 18. *nu.* 152. vbi ait. [Patronum laicum ad parochialem sui iuris patronatus nõ teneri præsentare digniorem, sed sufficere dignum, seu idoneum. resoluunt Lambert. Nauarr. Petr. Ledesm. Garcia Aloys. Ricc. Ioan. Valer. contra Molin. Azebed. Turrian. Guttier. Vasqu. Less. Malder. existimantes patronum, qui non est primus fundator beneficij, debere digniorem pręsentare] ex quibus vides omnes Doctores à Barbosa citatos cõuenire in nostra maiori propositione, nempe patronum laicũ, qui sit primus fundator, posse licite præsentare dignum, omisso digniore ad Ecclesias parochiales.

Idem, vt certum, et absque controuersia supponit Eruditiss. Diana *par.* 1. *tr.* 15. *miscell. resol.* 37. nam solum quæstionem proponit [quidam patronus, qui non erat primus fundator beneficij quæsiuit à me, an sub peccato mortali deberet præsentare digniorem] & ipse negatiuam sententiam cum alijs multis, quos infra ponam, amplexus est.

8 Manet igitur, ni fallor tot

Do-

Doctorum auctoritate sufficienter probata nostra maior propositio, quam etiam confirmat Castropal. *to.* 2. *disp.*2. *pu.* 11. §.2 *nu.* 10. hac consideratione[prçterea vsus obtinuit absque Prçlatorum contradictione, vt patroni laici(loquitur etiam si nõ sint primi fundatores) quem idoneum iudicent eligant, quin prius inuestigauerint; an essent alij digniores, Immo esto ipsi se offerrent, quem vsum tacite videtur Concilium Trid. approbasse, cum in illorum præsentatione concursum non expostulauerit sicuti in patrono ecclesiast.] merito igitur diximus, esse probabilius, & in re morali fere certum posse patronũ primum fundatorem præsentare dignum, omisso digniore.

9 Minor positi argumẽti patet ex d. Bulla de reform. Parochiarum, quam vt dicebam, affert Serius, & erudite narrat omnia, quæ incredibili animi cõstantia gessit Senatus Panorm. ad tollendos abusus sordidissimæ exactionis in administrandis Sacramentis, sepeliendis mortuis, &c. ex vi cuius Bullæ, & iuxta eius tenorem fuit facta institutio iuris patronatus ab Ill. Archiepiscopo Aedo apud d. Serium fol. 100. ibi[Panormitano præterea Senatui eadem Apostolica auctoritate concedimus in perpetuum plenum ius patronatus, seu ius præsentandi ad has omnes, & singulas Parochiales Ecclesias huius Fel. Vrbis. videlicet ad Ecclesiã, &c.]et post pauca[quod quidem ius patronatus eadem apostolica auctoritate decernimus, esse mere laicale, seu laicorum, & nobilium omnibus priuilegijs, etiam in corpore iuris inclusis, gaudere, & in omnibus, ac per omnia non secus, ac si ex fundatione, ac dotatione esset, Illudque eidem Senatui ex nunc assignamus, eique perpetuo reseruamus, &c.]

10 Quare cum dictiones, ac si, in omnibus, & per omnia, tanquã (qua, etiam vtitur infra) sint relatiuæ ad fundatores, & dotantes absque vlla differẽtia, immo exequent eamdem naturam, & veritatem importent in his, quæ possent vere fieri, vt ex multis probat Barbosa *de clauſ. clau.* 67. *n.*2.10.& 13.& *du.*42. *n.* 2. sequitur, quod Ill. Senatus sit patronus ex fundatione, et dotatione ex bonis proprijs, & patrimonialibus, non secus, ac si esset quædam persona particularis ex Lãbertino, id late probante de iur. patron. *lib.* 1. *ar.*15. *qu.* 7. *pr. par. n.* 6. et cum sit illemet, cui primo concessum est ius patronatus, quia is representat totã ciuitatem, quæ semper est eadem ex Bartol. et omnib. *in l. illud* §. *si decuriones ff. quod cuiusq. vniuerſ. nom.* Lambert. *l. cit. n.*8. & 2. *par. lib.*2. *ar.* 12. *qu.*2. *nu.*2. ex multis, concluditur, Senatum Panorm. esse primum fundatorem ex bonis proprijs, et patrimonialibus parochiarum Panormi, quç erat minor à nobis probanda. atque adeo sequitur consequentia posita, quod dictus Senatus possit licite secundum communiorem opinionẽ eligere dignum, omisso digniore.

11 Confirm. 1. hæc consequentia, quia, vt loquitur Sanchez *lib.*2. *conſ. cap.* 1. *dub.*10. *num.* 18. potest fundator beneficij etiam curati apponere conditionem, vt satisfaciat patronus consciẽtiæ suæ presentando dignum, omisso digniore, quia nec Ecclesiç, nec ciuibus fit iniuria, ergo multo magis satisfacit conscientiæ suæ Senatus Panormitanus,

Sſ qui

qui in institutione, et dotatione parochialium petijt à Papa in supplicatione, quam ponit per extensum Serius *tom. 4. fol. 70.* ibi [Senatui Panormitano constituta ea dote, concedi in ampla forma ius perpetum prȩsentandi Rectores idoneos ab Archiepiscopo ad audiendas confessiones simpliciter antea approbatos, qui per sex menses, vt minimum in eis se exercuerint, et ab eodem postea præuio diligenti examine approbandos, et confirmandos.] multo inquam magis satisfacit conscientiȩ suȩ, eligendo tales in Rectores, qui habeant has qualitates, quas ipse petijt in Rectoribus Parochiarum requiri, et Pontifex in sua bulla cōcessit, nam ponit narratiuam *nu.* 27. eisdem verbis ibi. [quodque eidem Senatui cōstituta dote predicta cōcederetur in ampla forma ius perpetuum prȩsentandi Rectores idoneos pro tempore existēti Archiepiscopo prefato ad audiendas cōfessiones simpliciter antea deputatos, ac per sex menses, vt minimum in eis exercitatos, et ab eodem Archiepiscopo postea prȩuio diligenti examine approbādos, et confirmandos ad prædictas Ecclesias, etc.] et num. 31. *N*os igitur, etc. omnia confirmat et idem statuit Aedo tanquam Delegatus Apostolicus, neque vllus merito conqueri potest; cū vniuersa ciuitas fundatrix id expresse voluerit in limine fundationis, et cum his conditionibus sua bona ad fundationem, et dotationem parochialium Ecclesiarum destinarit.

12 Confirm. 2. eadem consequētia, quia ex quo aliquis seruat formam præscriptam à Pontifice, lege, &c. non peccat, etiāsi melius posset rem facere, vt de se patet: sed forma prȩscripta in prȩsentatione Parochorum Ciuitatis Panormi à Clem. VIII. est, vt prȩsentandi sint idonei, approbati antea simpliciter ad omnium confessiones excipiendas, et exercitati per sex menses ad minimum in eis, et vt ab Episcopo examinentur; ergo Senatus panormitanus prȩsentās ad parochias sacerdotes idoneos etc. non peccat, quamuis haberet magis idoneos, quos prȩsentare posset.

13 Quod autem illa prȩscriptio sit forma constituta per Clem. VIII. patet, nam forma nil aliud est, nisi quȩdam ordinata series rem ad substantiam perducens Alciat. *lib. 5. paradox. cap. 16. in principio.* Decio *l hac consultissima nu.* 10. *C. qui testamentum facere possunt.* Felix *cap. cum delicta nu. 6. in 6. Sign. de rescript.* et si ea non seruetur prȩsentatio erit irrita.

14 Cōfirm. 3. quia per hunc modum prȩsentandi nulli fit iniuria, non quidem Ecclesijs, nam post dotationem tam liberalem factam ab Ill. Senatu hȩ habebūt semper Rectores multo digniores ijs, quos, ante donationem habebant. et cum Rectores prȩsentandi debeant habere qualitates dictas supra, semper erunt idonei ministri, et ad seruiendū Ecclesiȩ apti, multoties enim, cum dignissimi quæruntur, ponuntur indigni, vt notat Delugo supra. at seruando formam prȩscriptam à Pontifice, etiamsi omittantur digniores, nunquā erit periculum ponēdi indignos et ineptos.

15 Neque etiam fit iniuria sacerdotibus dignioribus, puta doctioribus, magis exercitatis in administratione sacramentorum, etc. Nam hi nullum ius habent,

cum

cum fundatio fuerit facta ab vniuersitate, vt talis est, & per cõsequens non ex bonis ipsorum, vt singulorum, nam quæ sunt vniuersitatis, non sunt singulorũ per tex. *cap. nulli Episcoporum.* 12. *q.* 1. *l. si municipes ff. quod cuiusq. vniu. nom.* vbi Bald. Bart. & alij. *l. si municipes. §. si quid vniuersitati ff. eod. tit. l. in tantum §. vniuersitati ff. de rer. discus.* & alibi. & vt loquitur Lessius *lib.* 2. *cap.* 34. *nu.* 73. beneficia non sunt talia bona communia, vt præcipue data sint communitati, vt pro dignitate cuiusque, vel inopia, vel eruditione, vel meritis distribuantur. Non enim sunt principaliter præmia meritorũ, & dignitatis cuiusque, sed stipendia ministrorum Ecclesiæ, quia potissimum, & fere ob vnicam causam hanc sunt instituta. Et in nostro casu res est manifesta; nam dotatio facta per Senatum fuit ad tollendos abusus durissimarum exactionum, quas faciebant cuncti, & cęteri cum magno scandalo, & ad dandam cõgruam, & completam sustentationem ministris parochiarum. Et vniuersitas, cui competit ius patronatus, et in limine fundationis, et dotationis, cum expressa Summis Pontificis concessione pro maiore Ciuitatis bono velit, vt præsentandi sint ciues panormitani idonei, itaut antea fuerint approbati ad audiendas omnium cõfessiones simpliciter, & per sex menses ad minimum in excipiẽdis confessionibus versati.

16 Atque adeo in prima nominatione facta, Senatus vsus est huiusmodi forma apud Serium *to.* 4. *fol.* 113. [Illustrisimus Senatus constitutus iam legitimus patronus prædictę vacantis Ecclesię, atque existens in quieta, et pacifica eiusdem iuris patronatus prędictę Ecclesię possessione, prout supra, nominauit, & nominat, Rectorem eiusdem parochialis Ecclesię S. Antonij R. D. Hieronymum Vrgel Sacerdotem honestum, ac laudabilis vitę, bonęque famę ciuem panormitanum iam ante sex menses approbatum ab eodem Archiepiscopo ad audiendas simpliciter omnium confessiones, & in illis audiendis laudabiliter per id temporis, et cum animarum fructu exercitatum, etc.] In qua electione, aut dicendum est Illustr. Senatum peccasse, vtpote omittentem alios digniores, aut dicendum est Vrgel inter tot sacerdotes dignissimum fuisse reputatum, quod Senatus certe expressisset.

17 Constat igitur Senatum panormitanum, si eligat Parochos habentes qualitates in in Bulla Clem. pręscriptas, quamuis omittat alios digniores, non peccare, tum quia is est primus fundator laicus ex proprijs bonis, tum quia ita exprese in fundatione fuit ab eo supplicatum, et concessum à Pontifice ob bonũ commune Ciuium. Et denique quia nulla fit iniuria dignioribus, cum hi nullum habeant ius ad hoc, vt pręferantur alijs, posita tali fundatione facta ab Ill. Senatu panor. nomine vniuersitatis.

18 Hanc sententiam non solum tenent, qui putant absoluet patronum laicum posse pręsentare ad beneficia curata dignũ omiso digniore. vt sunt Barbosa *in Trid. sess.* 24. *cap.* 18. *n.* 152. *& de potest. Paroch. p.* 1. *c.* 2. *nu.* 229. Diana *p.* 1. *tr.* 15. *misc. resol.* 170. vbi loquitur in terminis de Senatu panormitano. vt etiam loquitur Serius *de paroch. disp.* 1.

qu. 6. nu. 1. Castropal. to. 2. tra. 13. disp. 2. pun. 7. nu. 6. Vbi ait, nullibi de tali obligatione cautũ esse. Filliuc. tr. 32. cap. 7. num. 187. Henriqu. Soc. Iesu, prout illum refert Sanchez lib. 2. consil. cap. 1. dub. 6. num. 2. Lambertin. de iure patron. p. 1. lib. 2. qu. 10. art. 3. n. 17. Aloys. Ricc. in decis. cur. Archiep. par. 3. decis. 306. n. 4. Bellect. in disquisit. Cleric. p. 1. §. 4. nu. 5. Io. Valer. in diff. vtr. fori ver. electio nu. 1. & seq. Garcia de beneficijs par. 7. cap. 16. nu. 19. Petr. Nauarra lib. 2. cap. 2. nu. 150. quos referunt Barbosa in Triden. sess. 24. cap. 105. num. 152. & Diana p. 1. tr. 15. resol. 37. & alij etiam vocãt probabilem, vt Sanch. d. dub. 5. n. 3. Cardin. Delugo de iust. disp. 35. sect. 4. n. 38. non solum inquam iuxta horum Doctorum tutam, ac probabilem sententiam, potest Senatus Panorm. ad Parochias eligere dignos habentes qualitates à Clem. VIII. in bulla reformationis parochiarum Pan. designatas, sed etiam iuxta omnes fere Doctores, quos supra citauimus, qui concedunt posse primum fundatorem Ecclesię eligere minus dignum, omisso digniorem.

19 Et in casu nostro, in quo iam Senatus in fundatione designauit qualitates requisitas in suis Parochis, & Põtifex illas acceptauit, neminem negantem vidi & tenet à fortiori Sanchez, qui quamuis d. l. 2. c. 1. dub. 5. nu. 3. circa medium, putet probabilius esse, primum fundatorem teneri eligere digniorem, tamen dub. 10. nu. 18. vt vidimus in prima nostra cõfirmatione, docet, non teneri patronum eligere digniorem, quando in fundatione expressit, quod possit eligere dignum. Ergo multo magis id dicet, quando Senatus expressit in fundatione qualitates satis sufficientes, & optimas in Parocho à se præsentando.

20 Quę omnia dicta esse volo, ne scrupulos, vbi nõn sunt inijciamus, non autem ad hoc, vt Senatus digniores negligat. debet enim Ill. Senatus quamuis sit dominus beneficiorum dictorum, & non merus distributor, vt ex multis docet Sanchez l. 2. cons. cap. 1. dub. 10. num. 14. loquens de primo fundatore, vt est Senatus de facto, debet inquam memoriter retinere optimi Archiepiscopi Aedi verba vere aurea in reformatione Parochiarũ Delegati Apostolici, apud Seriũ to. 4. fo. 106. vbi ait. [monemus præterea, & quantum in Domino possumus hortamur Senatũ, omnesq; & singulos Senatores, vt præsentationem per eos faciendam ad quamlibet parochialium Ecclesiarum cordi habeãt, & intelligãt hoc esse inter cœtũ negotia summum, & maximum, ex quo salus spiritualis animarũ totius populi, veraque pax, & tranquillitas huius felicis Vrbis dependent. cognoscant se in partem iuris pastoralis admissos esse, qui animabus Christi sanguine redemptis de bono pastore, à quo verbo, exemploque pascendi sint, prouidere debeãt.

QVAERES XLV.

An in dubio num fuerit valida monialis professio, ea possit exire, in consulta Sede Apostolica, ad effectum, vt audiatur ab Ordinario extra monasterium, vt sic liberius possit in hoc procedere

†

SVM.

SVMMARIVM

Quid in ea quæstione senserint alij n. 1.
Non arridet d. opinio Auctori, & quare n. 2. & seq.
Declaratio Em. Cardinalium, vt vim habeat, quas conditiones requirit n. 2.
Explicatur C. cum locum n. 3.
Examinatur quid senserit Nauarrus à contraria sententia adductus n. 4.
Religio, & clausura est in possessione, quando monialis intendit professionem, à se emissam esse nullam n. 5.
Ante sententiam nullitatis professionis, Episcopus non potest dare licentiam moniali exeundi è clausura, vt litem faciat ib.
Monialis post sententiam nullitatis egressa: non est cogenda redire tempore appellationis factæ per monasterium n. 6.

1 HAnc quæstionem mouet nouissime Peliezarius Soc. Iesu *de monial. cap. 5. sect. 2. n. 68.* & ad eã respondet [videri posse, prob. tum ex declaratione sacræ Congr. quam Marsill. *ad sess. 25. cap. 17. de Regul.* refert his verbis. Si monialis, aut nouitia neget, se esse professam, Ordinarius audire potest illam extra monasterium. tum quia sic de facto seruatur in praxi pro matrimonio carnali iuxta *cap. cum locum de sponsal.* cum tamen id potiori ratione faciendum sit in matrimonio spirituali, nempe in Religiosa professione, quæ maiorem petit libertatem. ita Nauarr. *lib. 2. consil. tit. de Confess.* & cum eo Portell. *p. 1. resol. mo. casu 9. nu. 9.* bene monens, in tali casu non requiri licentiam sedis Apost. ad exeundum, cum prohibitio exeundi afficiat solũ moniales, quæ vere professæ sunt: non autem illas, quarum professio est nulla, aut valde dubitatur; præterquã quod monialis in tali casu dicitur exire de licentia tacita Sedis Apostolicæ hoc ipso, quo Congregatio Cardinalium nomine Papæ declarauit, monialem isto euentu posse interrogari extra monasterium] Hæc Pellizarius.

2 Verum, vt ingenue fatear, non video solidum fundamentum, quo eius opinio innitatur. nam in primis declaratio Sacræ Congrationis, quam affert ex Marsilla non habet conditiones requisitas ex decreto eiusdem sacræ Congregationis iussu Vrb. VIII. 2. Augusti 1631. de quibus aliàs diximus, nimirum in authentica forma solito sigillo, & subscriptione Emin. Card. Præfecti, ac Secretarij eiusdem Cõgregationis pro tempore existentis, aliàs ipsis declarationibus tam impressis, quam imprimendis, aut manuscriptis nullã fidem esse in iudicio vel extra à quoquam adhibendam.

3 Secundo, *cap. cum locum* probat quidem, dandum esse actori locum tutum partibus à Iudice, vt aduertit ibi Gloss. & præcise in eo casu, in quo puella erat in domo viri, qui prætendebant matrimonium esse legitime contractum. at hoc non probat, posse de solius Episcopi licentia moniales exire è clausura, quando vellet allegare professionẽ à se emissam esse nullã, aliàs multa orirentur incommoda.

4 Tertio, neque Nauarrus allegatus videtur quidpiam facere Pellezario: nam tantum ibi asserit [videns pater, quod filia subornata, dum in monasterio

rio permaneret, ob verecundiã, & reuerẽtiam Abbatiſſæ, & monialialium in dictis perſiſteret, obtinuit cauſsam committi, & filiam è monaſterio educi, prout factum eſt.] quibus verbis dicitur, fuiſſe petitam ab Epiſcopo licentiam: immo videtur, quod cum Epiſcopi Vicarius puellam examinauerit, vt dicitur in facto, & pater cauſam cõmitti, & puellam educi petierit, videtur inquam, quod ad Superiorem pater recurrerit, nempe ad Papam, aut forte Bulla Pij V. ibi non erat recepta, & ſic Epiſcopus ex cauſſa ſibi bene viſa poterat dare licentiam egrediendi ex Tridentino *d.c.* 5. vt notat Bonacina *to.* 3. *qu.* 1. *pu.* 9. *nu.* 2.

5 Quarto facit ratio à priori, quia cum Religio ſit in poſſeſsione, & clauſura, non debet tali poſſeſsione ſpoliari, niſi conſtito de nullitate profeſsionis per ſententiam legitimam. nam præceptum de clauſura eſt diſtinctũ ab obligatione orta ex profeſsione, & illi ſuperadditum per Sũmos Pontifices. ex Bonifacio VIII. *cap. periculoſo de ſtatu Regular.* 6. Concil. Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 5. Pio V. *in bulla Paſtoralis* Greg. XIII. *de ſacris virginibus*, & alijs expreſse prohibetur Epiſcopo ſub pœna excommunicationis, &c. ne det licentiam ad exeundum monialibus è monaſterio, niſi in caſibus expreſsis, præſertim a Pio V. & iuxta alios, in caſibus ſimilibus, aut vrgentibus. ex Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſ. alleg.* 102. *n.* 16. vbi alij. ergo dũ non eſt deciſa nullitas profeſsionis, non poteſt ſe Epiſcopum intromittere ad dandam licentiam circa clauſuram: ſed alia via procedere debet, ne moleſtia inferatur puellæ; aut petere à Romano Pontifice licentiam, vt deberet facere, quando puella habet morbum incurabilem ex quo mors ſequatur ipſi: at nõ ſit ex illis morbis, de quibus Pius V. ex Zero. *ver. moniales pa.* 2. *prax. Epiſcop.* Mirand. *de monial. qu.* 4. *ar.* 4.

6 Id ſane certiſsimum puto, ſi monialis poſt ſententiam nullitatis profeſsionis egreſſa eſt, caſu, quo monaſterium allegaret nullitatem ſententiæ, tunc non poſſe compelli ad monaſterium ingrediendum ante litis deciſionem, quia poſſeſsio ſtat pro ſẽtentia, donec contrarium decidatur, & tunc militat ratio aſsignata à Pellezario, et Portel. quod clauſura obligat moniales profeſſas, non autem eam, quæ ex ſententia declarata eſt non profeſſa, et eſt in poſſeſsione nullitatis profeſsionis. ſaluo ſemper, etc.

QVAERES XLVI.

An monialis poſsit ſine licentia Sedis Apoſtol. transferri de vno monaſterio ad aliud, quando in eo, in quo eſt, non poteſt ſtare ſine graui periculo, & ſcandalo communitatis.

SVMMARIVM

Ponitur ſtatus quæſtionis n. 1.
Epiſcopus poteſt ex grauiſſima cauſa monialem transferre ad aliud monaſterium eiuſdem ordinis n. 2.
Doctores pro d. aſſertione n. 3.
Quid dicendum in caſu noſtro n. 4.
An præter caſus à Pio V. poſitos ad egrediendas è clauſura moniales ſint alij. præſertim iuxta conſtitutionem Vrbani IV. n. 5. 6. & 7.

Quid

Quid senserit Em. Delugo de egressu monialis ob scandalum vitādum in alijs, & periculum. n. 7.

Declarationes Cardinaliū, quatenus dictis contradicere videntur exponuntur ab Em. Delugo n. 8. & 9.

Ad transferendum moniales ex causa grauissima ad monasteriū diuersi ordinis requiritur Papæ licentia n. 10.

Quid faciendum in hac translatione circa nouitiatum, &c. ibi.

Quid si periculum sit in mora n. 11

1 CAsum pono. Sit aliqua monialis, quæ, quod Deus auertat, tētasset occidere aliquas moniales, nulla ab eis iniuria accepta, et de facto venenum illis propinasset, si è carceribus aufugisset vinculis disruptis, ac varijs mortem fuisset comminata; itaut sanctimoniales fere omnes sibi timerent, et inquieto essent animo ob periculū sibi imminens, si ea aufugeret è carceribus, nec vllo modo ob varias circumstantias posent esse tutæ, quod illa non esset aliquando furtim egressura. an tunc sine licentia sedis Apostolicæ possit talis monialis ad aliud monasterium transferri?

Respondeo cum distinctione.

2 Si translatio eset facienda ab vno monasterio ad aliud eiusdem Religionis, ac Regulæ poterit Episcopus in tali, vel simili casu monialem transferre sine licentia Papæ.

Fundamentum est, quia potest monialis ex causa correctionis, et punitionis transferri sine licentia Papæ ad aliud monasterium eiusdem ordinis, vt ibi corrigatur, et puniatur, si commode in suo monasterio puniri non posit: ergo multo magis poterit in tali casu nostræ quæstionis monialis extrahi à monasterio delicti ad aliud eiusdem ordinis sine licentia Papę.

3 Antecedēs probatur ex Eminent. Delugo *lib. 3. resp. moral. du.* 18. vbi ait: [De hoc casu multum fuit disputatum Salmanticæ anno 1611. quo anno ego ibi eram, et disputatio pertransijt ad alias Castellę vniuersitates, et quidem fere omnes Theologi, et Iuristæ sententię affirmanti subscripserunt, quarum subscriptionum exemplar apud me retinui. in ijs autem fuerunt Rodericus, qui citauit se ipsum *in qu. regular. qu.* 49. *ar.* 5. Petr. Herrera Dominicanus primarius Theologię Salmaticensis professor, qui postea Episcopus factus fuit. Petrus etiam de Ledesma Dominicanus. Ioannes de Salas Antonius Perez Generalis Ordinis Sācti Benedicti, et postea Episcopus, qui multa opera in lucem edidit. Ioannes Guttier. qui citauit se pro eadē sentētia *in qu. canonicis* Didacus Nugnus Dominicanus, Valentinus Herize Societatis Iesu. Doctor Lobrio. Theologus, primarius Canonicus, et postea Episcopus Vallisoletanus, Basilius Pontius, et alij 30. Theologi, et Iuristæ doctissimi, qui pro sua sententia alios citarunt] satis hęc videntur ad probationem anteced.

4 Consequentia patet, ni fallor aperte, nam in nostro casu non solum agitur de punitione monialis, sed etiam de vitando periculo vitę aliarum, et de quiete monasterij, ac de scandalis vitandis. In quo casu omnes, quos viderim, docent posse monialem extrahi ab vno monasterio ad aliud inconsulta Sede Apostolica sine violatione clausuræ. As-

5 Afferam ego aliquos insignes Doctores, qui videntur posse intentum conficere, Rodriqu. in qu. regularib. *to.* 1. *qu.* 49. *art.* 5. quærens [vtrum casus, qui ponũtur ab Vrbano *IV.* in quibus moniales possunt à clausurá egredi, sint reuocati à *Pio* V. in sua constit. respondeo dicendo, quod Pius V. determinat sequẽdo Concil. Trident. decreta, nõ posse moniales egredi è clausura, nisi ex causa magni incendij, vel infirmitatis lepræ, aut epidimię, et casus excepti firmant regulam in contrarium, et sic videtur dicendum, quod alij casus positi ab *Vrbano* IV. sint à Pio V. reuocati in sua constitutione. sed contrarium est dicẽdum.]

Et numerans casus addit. [Tertio infertur, quod quintus casus non est etiam reuocatus, scilicet, quod possit egredi caussa alicuius valde euidentis dispẽdij euitandi.] *Dispendium* autem, de quo in isto casu sit mentio est, quando aliqua monialis esset infecta aliqua infirmitate tam contagiosa, quod merito timeretur prouenire inde magnũ damnum alijs monialibus, aut non posset ibi stare sine graui periculo, vel scandalo communitatis.

6 Suarez *to.* 4. *de Religione tr.* 8. *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 6. *fine.* quamuis putarit in casibus non expressis à Pio V. expectandam esse licentiam Sedis Apostolicæ. addit tamẽ [quotiescumque caussa mutationis talis fuerit, quæ vel in iure sit expressa, vt dictum est de officio Abbatissæ, vel nisi per æquiparationem rationis possit caussa ad numeratas à *Pio* V. reduci, vt est v. g. quando oportet ob prauos mores monialem aliò transferre, nam illa caussa non immerito contagioso morbo comparatur, vel scandalo communi, pro quo modo vitãdo Bonifacius etiam egressum concessit.]

Ascanius Tamburinus *de iure Abbatum disp.* 20. *qu.* 2. *num.* 10. numerans casus ab Vrbano I V. positos, in quibus licet, inconsulta Sede Apostolica, Episcopo monialem transferre ab vno ad aliud monasterium [quartus casus est caussa alicuius valde euidentis, & grauis dispendij vitãdi] largius loquitur Sanchez *li.* 6. *in decalog. c.* 15. *num.* 47. [similiter idem est dicendum (nempe posse ad aliud monasteriũ trãsferri monialem inconsulta Sede Aostolica) causa correctionis eius monialis, quãdo in proprio monasterio timore cognatorũ, aut alia causa corrigi commode non potest.]

7 Et tandem quamuis Eminentissimus Delugo loco citato, nõ omnino consentiat, quod possit transferri monialis de vno monasterio ad aliud ex caussa correctionis; tamen nu. 6. postquam refert verba Frãcisci Cornejo Augustiniani concludit. [Huc vsque doctissimus ille magister, qui prudẽter distinxit inter egressũ ob merã punitionẽ, & egressum ob scandalũ, et periculũ peruertendi cæteras, vt in primo casu non possint Prælati egressum imponere, aut permittere, in secundo autem possint] ergo multo magis in nostro casu docebit doctissimus vir, posse Episcopum sine licentia Sedis Apostolicæ transferre monialem ad aliud monasterium eiusdem ordinis, quando in loco delicti cõdigne puniri non possit, et est scandalum alijs, ac perturbatio vitæ religiosæ cum periculo, et timore graui mortis Innocentum.

Nec

8 Nec contra hoc obstat declaratio Cardinalium, quam afferunt Lezana *ver. clausura num.* 17.& alij, quæ statuit [monialē nullam sibi subiectam ex vno monasterio ad aliud transmittere possunt locorum Ordinarij, vel superiores Regulares, etiam ex caussa seditionis, vel incorrigibilitatis, aut criminis perpetrati] nam dato, quod ea sit authentica; tamen, vt bene aduertit Delugo *d. dub.* 19. *num.*7. *circa medium* [solum negat, posse extrahi monialem caussa incorrigibilitatis, vel criminis per petrati, quod est dicere, quod non possit ob solam punitionem delicti commissi. aliud vero est quando transfertur ad vitandū scandalum, & contagium spirituale reliquarum monialium de quo casu congregatio ibi nil dicit] ita Delugo. cui adde, et ad vitandum periculum vitę reliquarum, & ad tollendam inquietudinem, animi suspensionem, & regularis obseruantiæ dispendium.

9 Neque etiam obstat alia declaratio, quam affert Barbosa *in collect. Bullarum ver. monialium clausura circa egressum* 4. ibi. [monialibus licentiam concedere exeundi à clausura non licet ordinarijs in alijs quātumuis grauibus caussis in constitutione Pij V. non contentis] non inquam obstat hæc declaratio, quia loquitur de egressu à clausura penitus, prout conceditur per dictam bullam ex caussa magni incendij, lepræ, aut epidimiæ, non autem in casu nostro, in quo agitur de sola translatione monialis ex vna clausura in aliam alterius monasterij eiusdem ordinis. Et præterea dicta Congregatio non excipit casus alios in iure expressos per Bullam Pij V. non reuocatos, inter quos, vt vidimus est noster casus vitandi scandalum, & graue damnum monasterij in spiritualibus, ac temporalibus, &c.

10 Quod si agatur de transferēda moniali ad aliud monasteriū alterius ordinis, & regulæ, tunc omnino puto, requiri licentiā sedis Apostolicæ, tum quia ad transitum monialium ab vna religione ad aliam strictiorem requiritur licentia sedis Apostolicę ob varia Religionum priuilegia, quibus etiam moniales fruuntur, vt notat Pellezarius de monialib. cap. 9. n. 1.

Tum quia, cum dicta monialis desinat esse Religiososa prioris Religionis; atque adeo debet facere nouitiatum ex decis. Rot. apud Farinac. *dec.* 115. *part.* 2. *num.* 7. hoc est extra potestatem Episcopi, & expresse tenet Ascanius Tamburinus *de iure Abbatissa disp.* 21. *sect. vlt. num.* 2. vbi ait, petendam esse instructionem à sede Apostolica quomodo sit procedendum in hac trāslatione, quoad nouitiatum, & alia, & omnes certe Doctores citati supponūt manifeste, & prudentissime Delugo expressit in titulo quęstionis à se propositæ, an liceret translatio, &c. ex vno monasterio ad aliud eiusdem ordinis. innuens aperte, non esse dignum quęstione, an possit transferri sine licentia sedis Apostolicę ad monasteriū diuersi ordinis.

11 At si periculum esset in mora, posset Episcopus monialē trāsferre ad aliud monasterium diuersi ordinis in hoc casu; quia tunc ex vna parte non facit cōtra clausuram, vt supponimus, & ex alia non transfert illam ad aliud monasterium, nisi vt ibi

custodiatur, donec accedat licentia sedis Apostolicę determinantis, quomodo circa eam sit procedēdum. saluo semper, &c.

QVAERES XLVII.

An capitulum Sede Vacante, iure communi attento, succedat Archiepiscopo Panormitano in iurisdictione Commissarij Generalis Bullæ sanct. Cruciatæ.

SVMMARIVM.

Quæstio à docto Serio proponitur, & quomodo ab eo decidatur n. 1.
Auctor non profert de quæstione iudicium: sed aliquot dubia circa argumenta docti Serij n. 2. & seq.
Capitulum S. V. de iure communi non succedit Episcop. in iurisdictione delegata n. 3.

1 HAnc quæstionem proponit doctus Serius *tr.* 3 *d.* 1 *dis.* 10. §. 8. *qu.* 15. *num.* 24. vbi ait. [Ad hāc quęstionem affirmatiue respondi propter rationes superius allatas, quia licet Capitulum Sede Vacante non succedat Episcopo in ijs, quæ ipsi cōpetunt ex commissione, & ex iure speciali delegato, vti probat Quaranta *in sum. Bull. v. capitulum ver. & prime:* tamen succedit in ijs, quę illi cōpetunt iure speciali ordinario, cuiusmodi est hęc commisio per Ill. Commissarium Generalem S. Cruciatę, facta Archiepiscopo *Panormit.* vel eius Vicario Generali, quę conceditur illi ratione officij, & dignitatis, non personę.

Item secundum omnes capitulum succedit etiam in iurisdictione, seu delegatione, quę ex consuetudine Episcopo competit, seu solit est committi, vt docet Quaranta loco supra cit. sed iurisdictio, de qua loquimur ex longissima consuetudine solita est committi Archiepiscopo Panorm. ergo, &c.

Minor huius supradicti syllogismi patet, quia ita seruatum est per longisimam annorum seriē nam anno 1561. die 11. Octobris obijt Franciscus De Orosco Archiepiscopus Panormitanus, capitulum ex veteri more singulis mensibus duos elegit Vicarios, qui simul fuerunt Commissarij Generales S. Cruciatę illius anni, & sequentium,] & prosequitur numerare alios casus in quibus per mortē Archiepiscoporum successit capitulum in munere Cōmissarij Gen. S. Cruciatæ vsque ad annum 1644. die 19. Nouembr. ob mortem Em. Card. Doria: in quo casu, cum lis mota esset, fuit decisum per tres Illus. Præsidentes, succedere capitulum, vel eius Vicarium Capituralem, & addit tandem omnia superius à se dicta fuisse cōprobata à multis doctissimis Theologis nostræ Societatis, quorum nomina recenset.

2 Hæc Serius circa d. quæstionē in qua nolo meum iudicium interponere; sed tantum difficultates aliquot proponam, ac dubia circa amicisimi Serij argumenta. vt inde alij iudicent, quid sentiēdum videbitur, attētis alijs coniecturis, & circumstantijs; nam ego aliorum iudicium expecto, & solum proponam difficultates, attētis ijs, quę afferuntur à Serio, & circa conclusionem nil statuo.

3 Videtur igitur posse vrgeri pro contraria sententia hoc argumento. quia Capitulum Sede Vacante non succedit Episcopo iure communi spectato; nisi in iurisdictione ordinaria, vel in iu-

iurisdictione specialiter delegata Episcopo à iure, vel à canone, & ex iurisdictione ordinaria in perpetuum, & non in iurisdictione mere delegata ipsi ex aliquo iure speciali, & mere accidentali. Sed hæc iurisdictio Cōmissarij Generalis Bullæ in hoc Regno Siciliæ, & insulis adiacētibus competit Archiepiscopo Panormitano, non vt Episcopo, & ratione dignitatis, & iurisdictionis episcopalis, nec est illi perpetuo adnexa; ergo capitulum Sede Vacante non succedit attento iure communi, in hac iurisdictione Commissarij Bullæ Cruciatæ, vt de se patet.

§. I.

Probatur maior positi argumenti.

SVMMARIVM

Probatur d. assertio Doctorum auctoritate n. 4.
Capitulum non succedere in iurisdictione specialiter concessa Episcopo aliquo priuilegio, qui sentiant n. 5.
Alij probabilius tenent oppositum, & vnde probent n. 6.
Quid in hoc senserit Sanchez n. 7.
Idem sentit Diana cum alijs n. 8.
Concluditur Capitulum S. V. tantum succedere Episcopo in iurisdictione ordinaria n. 9.

4 MAior propositio, scilicet, quod capitulum Sede vacante non succedat iure communi spectato, & præciso alio priuilegio particulari, nisi in iurisdictione ordinaria vno ex duobus modis paulo ante dictis, est communis omnium doctrina, neque vllum reperio contrariū; & videri possunt Doctores *in c. verum de foro competenti.* Rebuff. *in praxi, tit. de deuol. nu.* 68. Merolla *tom.* 3. *disp.* 7. *cap.* 7. *dub.* 1. *nu.* 15. vbi citat Rotam *decis.* 6. *de off. deleg. in antiquis* Roman. *cons.* 106. *nu.* 4. Mandos. *add. vlt. lit.* I. Federicum de Senis *consil.* 30. & 130. Garciam *de benef. p.* 5. *c.* 7. *num.* 12. & alios, Solarzanus *de Indiarum iure to.* 2. *lib.* 3. *cap.* 13. *nu.* 4. Sahagun. Salmaticensis professor *in cap. quoniam Abbas de offic. Delegati in resp. ad* 3. *arg.* quem refert Diana *p.* 8. *tr.* 4. *res.* 2. qui omnes cum alijs putāt, in tali iurisdictione delegata nō succedere capitulum sede vacāte; et eorum argumentum non est aliud, nisi, vt loquitur Solarzanus quia, [verior sententia, & in scholis, & in foro receptior est, quod ea, quæ non competunt Episcopis iure communi, vel ex iurisdictione ordinaria, & in eorum officio radicata, sed accidentaliter, vel ex speciali mandato, commissione, aut ex speciali priuilegio Romani Pōtificis non transeunt in capitulū, quia quāuis succedat in iurisdictione, non tamen in dignitate episcopali, cui delegatio facta esse videtur] &, vt bene ponderat Gemin. *in cap.* 1. *de maior. & obed. lib.* 6. *casu.* 7. in talibus potius esset supplere vices Papę, vel alterius Delegantis, quam Episcopi.

5 Confirmatur. nam non desūt grauissimi Doctores, qui putent capitulum sede vacante nō succedere in iurisdictione specialiter Episcopo concessa per Concil. Trid. vel per alia iura pontificia, ex priuilegio speciali v. g. Conciliū Triden. *sess.* 24. *c.* 6. *de refor.* concedit [liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus ex delicto occulto prouenienti-

bus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis alijs deductis ad forum contentiosum dispensare, etc.] Suar. *de censur. disp.* 41. *sect.* 2; *n.* 3. Alterius *de cens. disp.* 7. *qu.* 5. *pu.* 1. & alij, quos refert Diana *par.* 6. *tr.* 2. *res.* 3.

6 Et quamuis alijs probabilius asserant, dictam potestatē, et alias per dictum decretum Trid. concessas Episcopis, transire ad capitulum sede vacante, vt sunt Baunus *in Theol. moral. to.* 1. *tr.* 11. *qu.* 26. Baldelli *to.* 2. *lib.* 1. *disp.* 48. *nu.* 21. Macad. *de pers. conf. t.* 2. *l.* 4. *p.* 4. *tr.* 1. Caspens. *in curs. Theolog. to.* 2. *tr.* 25. *dis.* 5. *sect.* 17. *nu.* 118. Barbosa multos citans *de potest. Episcopi alleg.* 39. *nu.* 26. & alij, quos citat, & sequitur Diana *p.* 7. *tr.* 2. *res.* 3. *& part.* 8. *tr.* 4. *resol.* 7. quamuis inquam concedant, capitulum succedere in prædictis facultatibus, omnes conantur ostendere, dictas facultates competere Episcopis iure ordinario, et vt Episcopis ratione iurisdictionis, non iure speciali delegato.

7 Referam verba vnius, vel alterius Sanch. *lib.* 8. *de matr. disp.* 2. *num.* 10. vbi concedit Capitulo sede vacante prædictam facultatem Conc. Triden. *sess.* 24. *cap.* 6. sic ait. [At verius existimo, eam facultatem transire in Capitulum sede vacante. ducor, quia quamuis hęc iure speciali Tridentini competat Episcopis, & Capitulum non succedat in ijs, quæ competunt Episcopis iure speciali, (vt communiter tradunt Doctores cum Innocentio *cap. cum in cunctis nu.* 7. *de elect.* & Abbate *cap. verum nu.* 9. *de foro competent.*) id tamen est verum de ijs, quę competunt iure speciali delegato, seu commissione Episcopo; secus si de iure ordinario speciali, vt tradunt Abbas *d. cap. verum. num.* 9. Felinus *ca. eam te nu.* 17. *de rescript.* At hæc potestas competit Episcopis iure ordinario speciali: potestas enim competens non personæ, sed dignitati perpetuo, vel officio, est ordinaria, vt probaui *lib.* 2. *disp.* 40. *num.* 14.] huc vsque Sanchez. vbi vides, Sanciū asserere facultatem delegatam Episcopis non transire in capitulum sede vacante, & in tantū concedere, quod facultas concessa à Tridentino dicta *sess.* 24. Episcopis, transeat ad Capitulū, in quantum probat, talem facultatem esse ordinariam.

8 Addam alterum virum doctissimum, & religiosissimum Dianam *part.* 7. *tract.* 2. *resolut.* 3. sic enim habet [sed his non obstantibus contrariæ sententiæ adhæreo (nempe quod capitulum succedat in facultate concessa per Tridentinum dicta sess. 24.) quam tuetur Marcellus Vulpes *in praxi cap.* 44. *nu.* 9. *& c.* & ratio est, quia capitulum sede vacante non solum succedit in his, quæ competunt Episcopo iure communi generali, *cap. cum olim. de maior. & obed.* sed etiam in his, quæ iure speciali competunt Episcopo tanquam ordinario, & Episcopo ex iurisdictione ordinaria, vt in iurisdictione, quam habet Episcopus ex consuetudine, vt docet Abbas *in d. cap. cum olim qu.* 10. *& in cap. at si. Clerici §. de adulterijs de iud.* Decius ibidem *nu.* 50. Cenedo *collect.* 4. *ad decret. Sixti num.* 7. Garcias *d. cap.* 7. *num.* 40. *de benef. par.* 5. plures alios citans. at prędicta facultas licet competat Episcopis iure speciali dicti Trident. tamen competit ei iure communi, & ex iurisdictione ordinaria ei tributa per dictum de-

decretum, cum sit potestas cōpetens non personæ, sed dignitati, vel officio inperpetuum, et consequenter ordinaria] sic Diana.

9 Satis igitur probatum manet, quod in maiori propositione assumpsimus, nimirum Capitulū sede vacante iure communi spectato, non succedere Episcopo in potestate delegata, sed in ordinaria tantum, aut iure communi tributa, aut ad summum constitutione, vel priuilegio pontificio specialiter concessa Episcopo, illiusque iurisdictioni annexa in perpetuum, quam hi Doctores dicunt, esse ordinariam.

§. II.

Probatur minor argumenti.

SVMMARIVM

Archiepiscopo Panormitano quomodo competat iurisdictio Commissarij Generalis sanct. Cruciatæ n. 10.

Talis commissio fit singulis annis à Generali Commissario n. 11.

Nec competit illi ratione dignitatis Archiepiscopalis n. 12.

10 Minor propositio, nimirum iurisdictionem Commissarij Generalis non competere Archiepiscopo Panor. à iure, nec vt Episcopo, & ratione dignitatis episcopalis, et perpetuo illi adnexa.

11 Et quidem quod talis facultas Commissarij Generalis substituti non competit à iure, probatione non indiget, cum fiat à Commissario Generali sanctissimæ Cruciatæ, qui tanquam delegatus Papæ per specialem cōmissionem sibi factam in hac materia spectante ad Bullam subdelegat priuatiue, quoad omnes alios, suam iurisdictionem in hoc Regno Siciliæ Archiepiscopo Panormitano, neque talis iurisdictio est Archiepiscopo perpetuo adnexa; sed singulis annis specialiter illi committitur, vt videri potest in commissione facta anno 1655. 6. Iunij, & 1656. 4. Aprilis. vbi singulis annis Cōmissarius Generalis ait [Por la autoridad apostolica a nos concedida, que en esta parte vsamos nombramos, deputamos, y subdelegamos por Iuez esecutor, y cōmissario nuestro subdelegado general de la dicha santa Cruzada lo Señor Arcobispo.] & anno sequenti facit eamdem commissionem, ergo illa commissio nō est perpetua; aliàs frusta esset sēper noua nominatio, & deputatio: sed ad summum sufficerent epistolæ monitoriales ad excitandum studium delegati.

12 Denique, quod talis iurisdictio Commissarij Generalis nō cōpetat Archiepiscopo Panormitano ratione dignitatis Archiepiscopalis probatur primo, quia competeret omnibus habentibus dignitatem Archiepiscopalem. sicuti si v. g. paries albus est disgregatiuus visus, quia in se continet albedinem, quidquid habet albedinem, est disgregatiuum visus. Secundo, quia Cōmissarius Generalis cum committit Archiepiscopo Panormitano delegationem Bullæ sanctissimæ Cruciatæ, censetur veluti eligere industriam personæ constitutæ in dignitate Archiepiscopatus Panormitani, tum quia illi committit ob prudentiam, fidelitatem, &c. ibi [Por onde confiando de la prudençia y rectitud del Señor Arcobispo de

de Palermo, como persona tan zelosa del seruiçio de Dio Nuestro Señor, y de Su Majestad.] tum quia committit rem valde arduam, quam Rex noster Catholicus tanto studio prosequitur, vt videri potest in eius epistola data anno 1655. 20. Iunij. quo casu eligi industriam personæ docent Ant. *cap. fin. de off. deleg. num.* 15. vbi Anchar. *nu.* 5. Menoch. *de arbitrar. lib.* 1. *capit.* 54. *nu.* 11. & *qu.* 68. *nu.* 15. multos citans. ergo ista commissio nō competit Archiepiscopo ratione dignitatis, quasi vero hoc munus Commissarij subdelegati sit ratione dignitatis Archiepiscopalis connexum; sed iure mere delegationis specialis, ad arbitrium delegantis, in qua non succedit iure ordinario capitulum, vt ipse Serius loco cit. cōcedit cum Quaranta *sum. Bull. v. capitulum sede vacante* post initiū *ver. & primo.* quem ipse citat.

§. III.

Afferuntur aliquot dubia circa primum argumentum propositum nu. 1.

SVMMARIVM

Primum Serij argumentum discutitur n. 13. *& seq.*

Iurisdictio specialiter concessa, quādo censenda sit ordinaria n. 14.

Iurisdictio competens Episcopo in perpetuum iure speciali est delegata, si in concessione dicatur, vt procedant tanquam delegati sedis Apostolicæ n. 15.

Archiepiscopus Panormitanus cur potissimum constituatur Commissarius Generalis bullæ n. 16.

Quales Inuictissimus Rex Noster pro Archiepiscopatu Panormitano nominet n. 17.

13 EX his videtur posse solui primum Serij argumentum, contendentis probare vnico verbo, dictam iurisdictionem delegati Cruciatæ competere Archiepiscopo iure speciali ordinario; nimirum [quia hæc iurisdictio conceditur Archiepiscopo, vel eius Vicario Generali ratione officij, & dignitatis, non personæ] nam hæc ratio ab ipso allata non videtur probare intentum. Primo quia ipsemet concedit, quod hæc iurisdictio Commissarij Generalis delegati competit Archiepiscopo ratione dignitatis, at supra vidimus ex Solarzano, & communi opinione, iurisdictionem concessam Episcopo accidentaliter ex speciali mandato, commissione, aut priuilegio non transire in capitulum sede vac. quia capitulum succedit in iurisdictione Archiepiscopi, non autem in dignitate Archiepiscopali, cui commissio facta est, ipso Serio fatente.

14 Secundo, quia ad hoc, vt iurisdictio concessa specialiter Episcopo censeatur competere illi iure ordinario, requiritur, vt sit in perpetuum concessa, vt §. præcedente ostendimus, quod tamen nō accidit in casu nostro, nam singulis fere annis fit delegatio à Commissario Generali, vt ibidem vidimus.

15 Tertio, quia licet hæc iurisdictio sanctissimæ Cruciatæ competeret perpetuo Archiepiscopo Panormitano, adhuc minus rectè dicitur à Serio competere illi iure speciali ordinario, nam etiam iurisdictio competens Episcopis in perpetuum cōcessa à Canone, vel à Tridentino, est delegata, & non transit in capitu-

tu-

tulum, quando in commissione exprimitur, vt Episcopus procedat tamquã Sedis Apostolicæ Delegatus, vt communiter tradunt Doctores cum Gloss. *fin. cap. ad abolendam de haret.* Abb. *n.* 15. Merolla *to.* 3. *dis.* 7. *cap.* 7. *dub.* 61. vocans communem iuncto *nu.* 17. vbi innumeros citat. In commissione autem, quæ fit Archiepiscopo circa sanctissimã Cruciatam, expresse ponitur, vt vidimus, vt fit, *Commissario nuestro subdelegado*. & quamuis aliqui perpauci, quos citat idem Merolla *nu.* 60. nempe Molina, Rodriq. Moneta, Cenedo, putent iurisdictionem perpetuo competentem esse ordinariam in Episcopo, ex eo quia talis iurisdictio conceditur à Canone, & non obstet, quod dicatur delegatus sedis Apostolicæ; In casu tamen nostro, omnes dicent, Archiepiscopum Panormitanũ in hac iurisdictione procedere, vt delegatum, seu Commissariũ substitutum à Commissario Generali, & sic appellatur Commissarius Generalis in hoc Regno Siciliæ, & tota iurisdictio demandatur Archiepiscopo nõ à iure, sed à Commissario Generali Hispano.

16 Accedit, quod ista delegatio facta in personam Archiepiscopi Panormitani videtur præcipue fieri à Commissario Generali delegante ob quamdam specialitatem in dignitate, quam habet Archiepiscopus Panorm. de qua videri potest ingeniosus, & valde eruditus P. Ioseph Maria Mazara nostræ Societatis in siculis annalibus manuscriptis. Nam per illa verba à Commissario §. 1. *posita* [*Por onde confiando de la prudençia, y rectitud del Señor Arcobispo de Palermo como persona tan zelosa del seruiçio de Dios nuestro Señor, y de Sù Majestad.*] videtur Commissarius nõ considerasse solum rationem dignitatis Archiepiscopalis, vt sic. cui tamen non succedit capitulum, vt ex Solarsano vidimus. §. 1. *nu.* 4.

17 Et de facto inuictissimus noster Rex Catholicus peculiari quadam cura viros semper insignes nominat pro hoc Archiepiscopatu, quibus solet sępe totius Regni gubernacula tradere pront hodie dum hæc scribo, factũ vidimus, dum summo omnium plausu, tamquam amantissimus Pastor, ac prudentissimus Regni totius Prędidens exceptus est Excellen. ac Reuerendiss. Don Petrus Martinez Rubio.

§. IV.

Secundum argumentum ponderatur.

SVMMARIVM

Quid requiratur ad directam probationem nu. 18.
Capitulum sede vacante succedit in iurisdictione, quam Episcopus ex consuetudine sibi acquisiuit n. 19.
Non succedit Episcopo in iurisdictione, quæ solet per multos annos committi n. 20.
Ex actibus mere facultatiuis nullũ ius alteri acquiritur n. 21.
Concessio iurisdictionis semper potest reuocari n. 22.

18 SEcundum docti Serij argumentum videtur pati aliquã difficultatem, tam in maiori, quam in minori, et quidẽ, quod sit aliqua difficultas in minori, proprositione. nam cum probare debeat, vt sit probatio directa, quod per multos annos solita sit talis facultas committi Archiepiscopo, probat hoc pacto [minor probatur, quia ita ser-

seruatum est per longissimam annorum seriem : nam anno 1561. die 11. Octobris obijt Frãciscus de Horosco Archiepiscopus panormitanus, & capitulum ex veteri more singulis mẽsibus duos Vicarios elegit, qui simul fuerunt Commissarij Generales sanctissimę Cruciatę illius anni, & sequentium] et sic prosequitur alios annos recensere, in quibus capitulum sede vacante munus exercuit Commissarij Generalis, cum directe probandum esset, ni fallor, quod singulis annis fuerit constitutûs Archiepiscopus Panormit. Commissarius Generalis. Sed hoc demus viro amicissimo.

19 At maior propositio nullo modo est admittenda. nam nec Quaranta, quem ipse allegat, nec alij, quos viderim, dicunt, capitulum succedere in iurisdictione, quę solita est committi Episcopo: sed tantum dicunt, capitulum succedere Episcopo in iurisdictione, quam ipse sibi acquisiuit ex cõsuetudine. Verba Quarantę loco à Serio citato nempe *ver. capitulum sede vacãte ver subsequenter hanc Regulã.* sunt hęc. [Hinc dixerunt aliqui, capitulum succedere in iurisdictione, seu alio iure, quod Episcopus ex consuetudine sibi acquisiuisset. Abb. *in d. cap. cum olim qu.* 10. licet oppositum voluerit *in cap. rescriptum num.* 12. *de elec.*] diuersum autem est dicere: Hoc ius est acquisitũ Episcopo per consuetudinem, ac dicere hoc ius solet committi Episcopo per multos annos. de primo loquutus est Quaranta. cui adde Garsiam *de benef par.* 5.*c.*7. *nu.* 40. & alios, quos ipse citat, quia tale ius competit Episcopo iure ordinario, tanquam esset à lege, vel canone, cum consuetudo habeat vim legis, et sic in eo succedit capitulum sede vacante iuxta hos Doctores.

20 At de secundo, nẽpe capitulũ succedere in ius, quod solet Episcopo committi, Doctores nõ loquuntur, et contrarium est dicendum, quia quod per multos annos Commissarius Generalis solitus sit pro Regno Siciliç nominare suum delegatum substitutum Archiepiscopum Panormitanum, nullum illius tribuit, itaut possit ille dici esse in quasi possessione, vt nominetur semper, propter has duas rationes.

21 Prima est, quia ex actibus facultatiuis, qui pendent à mera voluntate alicuius, non acquiritur ius, & quasi possessio, aut cõsuetudo. vt si quis per centum annos venisset, vt loquuntur Doctores ad molendinum tuũ, tu non acquiris ius aliquod, vt ipse in posterum veniat, quia libere venit ex mera sua voluntate. ita habet *l. Proculus ff. de dam. infect.* Decian. *conf.* 144. *nu.* 133. *l.*4. Rota *decis.*473. *n.*1. *p.*3. *recens.* Petrus *de manutens. obseru.* 53. *num.* 2. *& sequen.* Cum ergo hæc iurisdictio Commissarij Generalis sit commissa singulis annis ex mera facultate, et voluntate Commissarij supremi Generalis nullum ius acquiritur Archiepiscopo panormitano, etiamsi per centum annos singulis annis electus fuerit Cõmissarius Generalis substitutus.

22 Secunda ratio est. quia concessio iurisdictionis potest semper ad libitum reuocari, nam cõcedens illam non amittit dominium suę iurisdictionis; sed solũ concedit vsum Archiepiscopo, vel substituto pro tali Prouincia, qui moraliter semper depẽdet ab ipso concedente in conseruari. sic Suar. *disp.*26. *sect.*6. *de*

pæ-

pœnit. dicens hoc esse indubitatum. Sanch. *lib.8. de matrim. disp. 33. num.* 8. & alij.

§. V.

Tertium d. Serij sententiæ argumentum discutitur.

SVMMARIVM

An in casu vrgentis necessitatis capitulum succedat Episcopo in iurisdictione delegata n. 23.
Qualis fuerit sensus Recentiorum, qui adducuntur. n. 23.
Cõmissarius subdelegatus sanctissimæ Cruciatæ, semper est legitimus substitutus, deficientibus alijs nominatis n. 24.
Iudicium dictorum alijs committit Auctor n. 25.

23 VLtimum denique fundamentum Serij ab authoritate deductum, non videtur concludere, qnod ipse intendebat; posset enim quis dicere, merito quidem ab illis insignibus, ac doctis viris statutum esse tũc morte Eminen. Cardinalis Ioannetini Doria succedere capitulũ, seu vicarium capitularem, quia est iuxta doctrinam Pauini, quẽ allegat, et sequitur Quaranta d. l. cit *vers. quia in dies accidit cathedrales, &c.* circa fin. quem solum in hac re citauit Serius. Quarantæ verba sunt hęc] *Pauinus* tamen loco cit. sub n.4. pro concordia distinguit illud, colligendo ex mente Innoc. et Hostien. in *dict. cap. ad abolendam* asseres, quod ne in hoc fiat amara interpretatio, dici posset in talibus casibus capitulum succedere, stante necessitate, vel vtilitate actus expediendi, eòque maxime si nõ sit de proximo futurus successor, alias secus] cum ergo, Emin. Card. Doria immortalis memoriæ Princeps mortuus fuerit mense Nouembris, & proxime accederet publicatio- nis Bullæ tempus, neque alius nominatus esset à Commissario Bullæ in suũ delegatum merito dicti Præsides, et Consiliarij statuerunt, capitulum succedere in tali munere Commissarij Generalis. Et forte etiam in hoc sensu doctissimi Recentiores, quos ait Serius se subscripsisse sententiæ supradictæ, & non aliter senserunt; non quia putarẽt hoc munus Commissarij Generalis Bullę competere Archiepiscopo iure speciali ordinario, & non delegato, cum hoc videatur difficile, stante apertissima substitutione facta à Cõmissario Generali Hispaniarum.

24 Adderem, hos Doctores conclusionem approbasse in eo casu non rationes Serij, quia R. Don Franciscus Salerno Vicarius Generalis sede vacante fuerat antea Cõmissarius Generalis subdelegatus nominatione facta ab Illustrissimo Don Ferdinando de Andrada Archiepiscopo tũc Panormitano, & cum non esset alius nominatus à Commissario Generali Hispaniarum, ille erat legetimus, quod est conforme doctrinæ, quam late tradidi *in qq. moral. tr.2. quæst.* in casu simili in personam d. R. D. Francisci Salerno.

25 Hæ sunt dubitationes, quæ circa quæstionem à docto Serio propositam occurrerunt, doctiores iudicens, nam vt dixi initio, nolo meum iudicium interponere, aliquid decidẽdo in hac quæstione.

QVAERES XLVIII.

An saltem iure speciali succedat capitulum sede vacante, vel eius Vicarius Generalis in dicta iurisdictione Commissarij Generalis Bullæ sanctissimæ Cruciatæ in Regno Siciliæ.

SVMMARIVM

Est infirmitas intellectus omissa certitudine, quærere indicia n. 1.

Quid sentiat in hac quæstione d. Serius ibid.

Vnde suum probet assertum ibid. & n. 2.

Quid videtur ex literis Commissarij Generalis Hispani deduci n. 3. & 4.

Quando Vicarius Generalis capitularis succedat in munus Commissarij Generalis substituti n. 5.

Cur Commissarius Generalis supremus direxit epistolam Decano n. 6.

Nullum profert Author circa decisionem iudicium n. 7.

1 RESpondeo hanc quæstionē facillime solui posse ex litteris substitutionis Commissarij Generalis, nam vt ait Baldus *in l. continuus §. cum ita de verborum obligat.* in principio est infirmitas intellectus omittere sensum, & certitudinem, et quærere indicia in re manifesta, quod etiā sensit Acosta, & Natta, *consil.* 133. *n.* 1. sic eam resoluit Serius *d. disp.* 3. *diff.* 10. §. 8. *qu.* 15. *nn.* [Illud tamen aduertas solum capitulum, eiusque Vicarium, & neminē alium id præstari posse, patet, quia hæc potestas pertinens ad Bullam Cruciatæ fuit à Papa commissa, seu delegata soli Commissario Generali eiusdem sanctissimæ Cruciatæ; & nemini alijs. ergo solus ipse ea vti potest, vel illius delegatus, qui est in casu nostro, vel Archiepiscopus Panormitanus, vel eius Vicarius Generalis, quod si hi duo deficiant in neminem alium trāsire potest illa potestas, quam in illorum successores, qui sunt capitulum, eiusque Vicarius.]

2 Et tandem pro confirmatione huius opinionis, quod capitulum solū iū succedat per mortem Archiepiscopi affert per extensum epistolam Ill. D. Petri Pacheco tunc Commissarij Generalis sanctiss. Cruciatæ 1648. 16. Decembris, quod an sit verum nec ne, nolo in quæstionē vocare. alij videant. solum assero, me non assequi vnde possit Serius hæc dicere, nam ex epistola, quam ipse adducit per extensum loco citato, & alijs etiam recentioribus hoc non videtur posse deduci. Imo potius hoc ordine procedendum ex illis videtur.

3 Primo, sede vacante succedit Cantor Cathædralis Panormitanæ Ecclesiæ. sic colligere videor ex duabus litteris, quas vidi à Commissario Generali scriptas. in illa anni 1655. sic dicitur [Nos el Doctor D. Pedro Pacheco, &c. nombramos deputamos, y subdelegamos por Iuez executor, y Commissario nuestró subdelegado General de la d. Santa Cruzada a lo Señor Arçobispo, y en su ausençia a su Vicario General, o al Chantre de la sāta Yglesia de Palermo.] & eadē verba habet dictus Commissarius Generalis in commissione facta anno sequ. 1656. Ex quibus patet tradi à Commissario supremo formam, cum addat ordinē, et primo loco ponat Archiepiscopo

ſcopum, ſecundo loco in eius abſentia eius Vicarium Generalem, & tertio loco Cantorem panormitanæ Eccleſiæ. ergo ea eſt ad vnguem ſeruanda, & cum non adſit Archiepiſcopus, vel eius Vicarius Generalis, Cantor eſt Commiſſarius nominatus: nā hoc exprimunt litteræ commiſſionis, vbi conſtituitur primo loco Archiepiſcopus, & in eius abſentia eius officialis, ſeu Vicarius Generalis, & in amborum abſentia Cātor Cathedralis Eccleſiæ panormitanæ. nam illa clauſula (en ſu auſençia) poſita initio intelligitur replicata in alijs, vt ex multis docet Menochius *lib.* 4. *pr.* 181. *num.* 4.

4 Secūdo deficientibus Archiepiſcopo, eius Vicario Generali, & Cātore, videtur vocari in munus Commiſſarij ille canonicus, ſeu dignitas, & perſona, quæ exercet munus Vicarij Generalis. Ita habetur in epiſtola data ann. 1648. quam etiam ponit Serius loco citato nu. 28. vbi prius Cōmiſſarius exponit, ſe habuiſſe notitiam inconuenientium ſucceſſorum in Regno noſtro defectu perſonæ legitimæ, quæ fūgeretur munere Commiſſarij Gen. Bullæ, & cauſſam aſsignās ait [reſpeto de eſtar auſentes el Arçobiſpo, que lo era de aqueſte Arçobiſpado, ſu Vicario General, o Chantre deſſa Santa Yglesia, a quien tocaua en conformidad de titulo; y nombramiento, que les tenemos dadas para ello de Commiſſario nueſtro ſublegado General deſſe dicho Reyno] Deinde volens remedium in poſterum adhibere, ne vnquam deſit perſona, quæ ſit Commiſſarius Generalis Subdelegatus ſubdit. [y conſiderando quanto conuiene proueer luego del remedio neceſſario, para ſi en otra ocaſion ſucediere el caſo de faltar todos tres, como de preſente ſe ha experimentado, y que aya perſona, que cō nombramiento nueſtro como à quien toca priuatiuamente aga el officio, y cargo de tal nueſtro ſubdelegado General, hauemos acordado de mandar la preſente, por la qual paraque no cenſsen los negoçios tocantes ala predicaçion, &c. y que no por ſer auſentes los ſuſo dichos, dexe de hauer perſona para el cumplimento, &c. e nel interim que nombramos perſonas, que lo ſirua en propriedad, mandamos que la dignidad, Canonigo, o perſona, que ſiruiere en la ſede vacāte el officio y cargo de Vicario General deſſa dicha Ciudad de Palermo, y Reyno de Sicilia, haga y ſirua el dicho officio, y cargo de Commiſſario nueſtro ſubdelegado General dela dicha ſanta Cruzada, &c.]

5 Non igitur qui fungitur mūnere Vicarij ſede vacante videtur his litteris conſtitui delegatus Commiſſarij, niſi deficientibus illis tribus Archiepiſcopo, eius Vicario, et Cantore Cathedralis Eccleſiæ, quod etiam exprimitur in epiſtola data anno 1649. vbi Commiſſarius Generalis ſcribit Decano, ſeu capitulo non abſolute, ſed ſemper cum illa conditione [à quien emos nombrado en eſte caſo paraque ſirua la de Comiſario ſubdelegado General, &c. vbi expreſſe ait (en eſte caſo) id eſt in abſentia Archiepiſcopi Panormitani Vicarij Generalis; et Cantoris; nam relatiuum refertur ad antecedentia *ex l. talis ſcriptura §. fin. de leg.* 1. Iaſon. ibi *nu.* 36. hunc ſenſum facere dictas epiſtolas noſtra non indiget declaratione,

 quia

quia ex ipsis verbis patet, quæ nullam in Hispanico idomiate habent obscuritatem, itaut cum multos adhibuissem seorsim acceptos doctos, & indoctos, bene tamen callentes hispanicum sermonem, omnes in eumdem sensum conuenerunt, vt nimirum, tunc, & in eo casu tantum Vicarius capitularis esset Commissarius Generalis sanctissimæ Cruciatæ, quando deessent omnes tres, nempe Archiepiscopus, Vicarius eius Generalis, & Cantor Cathedralis Eccl. Panormitanæ.

6 Et sane ostendit ipse Commissarius, qui cum has duas epistolas postremas scripsit, eas direxit Decano capituli, aut ei, qui Vicarij munus exercebat, quare semper supponit absentem non solum Episcopum, aut eius Vicarium, sed etiam Cantorem, alias debebat litteras illi dirigere, vt primæ dignitati: sed quia illũ supponit absentem, scribit Decano.

7 Non aliud sane video ex his litteris commissionis colligere, at hinc non audeo quidquam in re difficillima asserere, præsertim vbi consuetudo potest præualere, ceteri me oculatiores videant

QVAERES XLIX.

An Commissarius Bullæ sanctissimæ Cruciatæ possit concedere alteri facultatem dispensandi in aliquibus casibus, in quibus ipse potest dispensare.

SVMMARIVM

Subdelegatus non potest subdelegare n. 1.

Commissarius Bullæ Cruciatæ in Prouincijs est subdelegatus Commissarij Generalis supremi ibi.

Negatiua sententia processit ex ignoratione praxis deputandi hos Commissarios in Prouincijs n. 2.

Affertur d. praxis pro fundamento sententiæ affirmatiuæ n. 3.

Delegatus si ex commissione delegantis subdelegat non ipse delegat; sed primus delegans n. 4.

Facultas ad dispensandum, &c. cõcessa à Commissario Generali sanctissimæ Cruciatæ non expirat eius morte n. 5.

Quamuis delegatio non fieret modo prædicto, adhuc Commissarius posset alijs facultatem ad dispẽsandum, &c. delegare n. 6.

Delegatus Principis potest subdelegare n. 7.

Commissarius substitutus à supremo videtur delegatus Principis n. 8.

Princeps delegans dum concedit delegato potestatem subdelegandi, ipse immediate delegare cẽsetur n. 9.

Verba concessionis Papæ, vt Commissarius bullæ per se, vel per alios hoc munus exerceat, quid importent n. 10

Commissarij Generales in prouincijs sunt pro libito amouibiles à supremo Commissario n. 11.

1 NEgarunt mordicus hestera die quidam Theologi ducti hoc fundamento, quod subdelegatus non potest subdelegare, etiam si ad id habeat facultatem à delegato etiam Principis delegante iuxta communem opinionem, quam ego pluribus adductis cum Sanchez secutus sum *lib. 3. de matrim. disput. 31. num. 6.* Sed Commissarius Bullæ sanctissimæ Cruciatæ in prouincijs est subdelegatus à Commissario Generali, vt diximus quæst. præc. & patet aperte ex nominationibus factis à Commissario Ge-

nerali ibi[por l'autoridad apostolica à nos cōcedida, que en esta parte vsamos, nombramos, deputamos, y subdelegamos por Iuez executor, y commissario nuestro subdelegado general de la dicha S. Cruzada, &c.] ergo Commissarius Generalis in prouincijs non potest concedere facultatem dictam dispensandi in aliquibus casibus, &c. quia hoc est subdelegare, vt est manifestū ex his, quæ habet Sanchez *lib. 2. de matr. dis. 40. n. 6. & 13.*

2 Nihilominus difficultas hæc processit ex eo, quod non sciebāt viri alioquin docti praxim, qua Commissarius Generalis supremus deputat suum Commissarium Generalem substitutum: si enim illam sciuissent, non adeo firmiter contra me inuecti fuissent, nec decreuissent, non posse Commissarium Generalē subdelegatum talem facultatem concedere: Asserui igitur tunc cum de hoc casu fuissem consultus à Commissario Generali, & nunc etiam assero; posse Commissarium Generalem talem facultatem dispensandi, vel absoluendi in aliquibus casibus quoscumque voluerit, alteri committere, seu subdelegare.

3 Ratio est, quia in hoc casu nō delegat Commissarius Generalis substitutus, sed Commissarius G. supremus, is enim id expræsse asserit in subdelegatione, quā facit his verbis[damos poder y facultad con todas sus inzidenzias, y dependençias, Anexidades, y conexidades, segun y como la tenemos de su Santidad, y como tenemos nuestras vezes plenariamente, y porque por ser las dioceses de esse Reyno distinta, y apartada vnas de otras no podra el dicho Señor Arcobispo, ni los dichos su Vicario General, y Chantre por sus probrias personas entender en lo susso dicho en esse Reyno, conbendra nombrar otros commissarios en otras algunas Diocesis, y partes del assi mismo damos nuestro poder, y facultad tan cumplida, como nos la tenemos, parache puedā nombrar, y nombren por Commissario a la persona, o personas, en las Diocesis, y partes, que paraciere mas necessario y cōbeniente, cōcurriendo en ellas las letras, retitud, y la sufficiençia, que conbien, para el exerçiçio del dicho cargo, a las quales dichas personas, que fueren nombradas, y señaladas, y acada vna de ellas, nos por la presentes las nombramos, y damos por nombradas y damos poder, y facultad para vsar, y exercer el dicho cargo del Commissario, conforme a la dicha bulla en el partido, y partidos y diocesis, que fueren señalados, y para ello les cometemos nuestras vezes plenariamēte: con que en todo guarden lo contenido en la dicha instruziō, y siendo necessario, y pareciendo, que conbiene, pueda reuocar variar, y nōbrar a otros de nuebo cada, y quando, que pareciere conbenyr, y siendo por el dicho Arcobispo, o qualquier de los dichos Vicarios General, y Chātre criados, y despues rebocados, y otros de nuebo nombrados; nos desde hagora los hauemos por rebocados criados, y nombrados, &c.]

4 Quo casu non delegat iurisdictionē ipse Commissarius Generalis substitutus; sed Commissarius Generalis supremus, qui illum constituit, & tantum noster Commissarius designat personas, vt in simili probat Sanch. *lib. 3. de matrim. disp. 31. num. 18.*

cū

cum Paulo *cap. is*, cui de offic. delegati in 6. vbi Dominicus in fine, Alexand. *l. more* 27. *ff. de iurisd. omnium iud.* Felin. *c. super quaestione* §. *si vero num.* 18. *ver. ad secundum de officio delegati*. debent tamen hi substituti seruare omnia, quę seruat Commissarius Generalis in taxanda elemosyna pro dispensationibus, &c. iuxta instructionem, quae in eadem epistola datur à Cōmissario Generali delegante, cuius tenorem in originali dato sub die 4. *Iunij* anno 1657.

5 Hinc manifeste infertur, quod facultas concessa alicui ad dispensandum, &c. à Commissario Generali substituto non expiret eius morte, aut cessatione ab officio, quia reuera non conceditur ab ipso Commissario Generali substituto, sed à supremo Cōmissario, Generali, & solum nominatio fit à Commissario Generali subdelegato, iuxta dicta à à me *lib.* 3. *dis.* 31. *num.* 11. *de matrim.*

6 Hæc quidem sufficiũt ad probandam nostram assertionem contra dictos Recentiores, sed pone, quod non fieret talis subdelegatio cum tali facultate nominandi, quoscũque voluerit, ac iudicauerit Commissarius Generalis substitutus, quibus ipse Commissarius Generalis delegans conferat iurisdictionẽ modo prædicto, qui prudentissime pratticatur à Commissario Generali ad dubitationes vitandas.

Videtur tamen posse satis probabiliter defendi, adhuc dictos Commissarios substitutos posse subdelegare, concedẽdo alijs facultatem dispensandi, &c.

7 Fundamentũ est quia delegatus principis potest subdelegare *l. more ff. de iuris. omnium iud. & ca. cum Episcopus de off. ord. in* 6. sed noster Commissarius Generalis substitutus est delegatus Principis: ergo potest subdelegare. sola minor eget probatione.

8 Commissarius Generalis in hac prouincia deputatur à Cōmissario Generali supremo ex vi facultatis sibi concessę à Pontifice, vt ipsemet dicit in epistola deputationis [por l'autoridad apostolica à nos concedida, que en esta parte vsamos, nombramos, &c.] et expresse conceditur à *Paulo* V. in *Bulla* indulgẽtias, & gratias 1619. [ac propterea dilecto filio Magistro Martino de Corduba in vtraque signatura referendario executori, & commissario ad hoc apostolica autoritate deputato plenam, & liberam facultatem, & auctoritatem tribuimus per se, vel per alium, seu alios, quos ad id idoneos duxerit] Quę verba etiam ponuntur ab alijs Pontificibus Vrbano VIII. &c. ergo Commissarius Generalis subdelegatus à Commissario Generali hyspano est delegatus Principis, nempe Papæ.

9 Consequentia hæc probatur, quia quando *Princeps* delegans concedit potestatem delegato subdelegandi, ipse *Princeps* censetur delegare, ita Bar. *l. more n.* 12. *ff. de iuris. omnium iud.* vbi Albert. *num.* 14. Nauar. *cap. placuit num.* 7. *de pœnit dist.* 6. Bald. *in l. à Iudice num.* 2. *C. de iud.* vbi salicet fine, Iason *num.* 8. & 9. asserens de communi, & alij multi, quos citat, & sequitur Sanch. *lib.* 3. *de matrim. dis.* 31. *n.* 6. vbi probat, delegatũ inferioris Principe posse subdelegare, quando Ordinarius delegans concessit illi subdelegandi potestatem, ex eo, quia tunc non ipse Delegatus videtur subdelegare, sed ipse

ipse ordinarius *ex l. vnum ex fa-milia §. si de falcidia ff. delegat. 2.* vbi habetur, eligentem iussu testatoris nullum beneficium conferre, quia non ipse, sed testator iubens censetur eligere; & videri possunt dicta à me *de matr. lib. 3. dis. 31. num. 5.* ergo cum Commissarius Generalis supremus eligat alios Commissarios Generales in prouincijs de licentia Pontificis, ipse Pontifex immediate censetur delegare suam iurisdictionem, & sic sunt delegati principis.

10 Et confirmatur, quia si Papa per illa verba *per se, vel per aliũ, aut per alios,* non tribueret iurisdictionem alijs ab ipso Commissario Generali eligendis frustra ea poneret; nam certum est in iure, delegatum Papæ posse in totum subdelegare *ex cap. si pro debilitate cap. super quæstionem de off. delegati* Morl. *in emporio p. 1. tit. 2. qu. 15. num. 10. v. delegatus nu. 1.* Barbosa *l. quia tale n. 47. ff sol. matr.* & alij, quos citat & sequitur Barbosa de potest. Episcopi *alleg. 106. num. 44.*

11 Dices, Commissarius Generalis supremus semper nominat Commissarios, quos in prouincijs constituit subdelegatos suos, et in commissione ait; deputamus, & subdelegamus, ergo Commissarij sanctissimæ Cruciatæ in prouincijs non recipiunt immediate à Papa iurisdictionem.

Respondeo, negando consequentiam, & ratio est quia, vt loquitur Molina *in simili tr. 5. dis. 29. num. 7. vers. neque obstat.* idcirco sub ea forma creantur, vt intelligatur, eos esse amouibiles ad nutum Commissarij Generalis supremi, iurisdictionemque ipsorum subiectam omnino esse iurisdictioni d. Commissarij Generalis, qui arctare, & ampliare eam potest, vt expedire iudicauerit, non autem quod iurisdictio non tribuatur immediate à Papa ex hoc ipso, quod ipsi constituuntur Commissarij Generales in prouincijs auctoritate Papę ob doctrinam supra traditam, quod delegatus delegans de licentia Ordinarij non ipse censetur delegare, sed Ordinarius.

QVAERES L.

An eleemosynæ exactæ à Bullis sãtæ Cruciatæ possint in alium vsum conuerti, quam ad bellum contra infideles.

SVMMARIVM

Indulgentiæ habentur à sumentibus bullam; si Rex nollet pro bulla eleemosynam n. 1.
Status quæstionis, & dubitandi ratio in contrarium n. 2.
Spolia ecclesiasticorum beneficiorũ in hoc Regno applicantur tantũ ad pia opera n. 3.
Pecunia exacta à bullis, ad quid detur, & an sit iuxta beneficij fructus expendenda n. 4.
Rex Catholicus potest tanquam dominus expendere pecuniam exactam à bullis n. 5.
Subsidium Regis Catholici esse finẽ Pontificis ad concedendam bullam optime probat Bardi n. 6.
Possunt pecuniæ exactæ à bullis expendi ad prophanos vsus, & illicitos quantum est ex hoc capite, quod sint eleemosynæ pro bullis n. 7.
Disparitas assignata inter fructus beneficiorum, & eleemosynas pro bullis n. 8.

Quæ

1 QVæstio non procedit in ordine ad lucrādas indulgētias, & gratias concessas in ipsa bulla, de hac enim quæstione tractat Bard. in bullā *p. 1. tr. 2. cap. 1. sect. 1. per totam* vbi contra Mendum *in append. dis. 1. proemiali c. 2. n. 6.* respondet, quod quamuis inuictissimus Rex negligeret expeditionem contra infideles, immo, & vellet, vt bulla gratis omnibus daretur, adhuc accipientes bullā lucrarentur gratias, & indulgētias per ipsam bullam concessas, ac illi, qui debitum stipendium soluunt.

2 Quæstio igitur nostra est; an peccent ministri, qui eleemosyna ex bullis exacta, & applicata ad vsum pro expeditione contra infideles, puta pro substentatione triremium, vterentur in alium vsum pro Regis seruitio occurrentem v. g. pro soluendis Regis debitis, &c. & ratio, qua ad dubitandum motus fuit doctus, ac religiosus consiliarius, qui me de hoc casu consuluit, erat, quia pecunia, quæ prouenit ex titulo speciali non videtur licite posse applicari in prophanos vsus.

3 Vnde spolia ecclesiastica Episcoporum, & aliorum beneficiatorum decedentium in hoc Regno Siciliæ, in quibus est ius patronatus regium non applicantur, nisi ad pias operas, vt pijssimus Rex noster Philippus 4. sub literis datis die 20. Aug. ann. 1633. præcipit Proregi, declarans, non posse talia spolia expēdi in vsus prophanos, quam Epistolam per extensum affert Diana *par. 7. tr. 10. res. 1.*

4 Cæterum ego affirmatiuam sententiam tutam, ac probabilissimam reputo; ratio est, quia pecunia exacta ex bullis non est fructus beneficij ecclesiastici, qui debet ex intentione fundatorū applicari ad substentationem beneficiati, & subsidia pauperum, ac piarum causarum, prout latè discurrunt Doctores in materia de beneficijs, sed est quędā eleemosyna data à fidelibus Pontifici ob bonū aliquod spirituale totius Ecclesiæ ex Rodriquez in bulla S. 1. *nu.* 55. Acosta *ibi. qu.* 11. Trulleuch *l. 1. c. 3. dub.* 1. *n.* 8. Lud. à *Cruc. dis. 1. ca. 8. dub. 10. n. 5. in bullam*, & alijs passim, & ipse Pontifex eam dat Regi nostro Catholico, non vt ea præcise, et in indiuiduo expēdatur in expeditionem belli contra infideles, sed vt is potentior fiat, et aliquo modo subleuetur in magnis expensis, quas facit in bellis cōntra infideles, & ad magnum bonum Christiani orbis; ergo, licite potest illa pecunia vti ad quosuis vsus prophanos. et solum peccabit ob illud opus malum.

5 Consequentia hæc probatur; quia iam huius pecuniæ fructus est Rex àbsolutus Dominus; ergo licite potest illam expendere ad quoscūque vsus prophanos voluerit, prout expendit alias pecunias Regij Patrimonij, vt de se patet.

6 Antecedēs probatur à Bardi *d. loc. 1. par. 1. trac. 2. sec. 1. à n. 8. ibi.* [Respōdeo, finē proximum & immediatum, quem habuit Pontifex ad Cruciatam concedendam esse subsidium ipsius Regis contra infideles, videlicet constituere Regem potentiorē ad sacram expeditionem promouendam contra infideles; finem vero mediatum, & vltimū esse ipsam actualem promotionem, qua Rex conatur sacram expeditionem promouere] & *in vindicatione n. 7.* ait [vt autem

difficultas hęc radicitus enodetur, erit mihi oſtendendum, priuilegium Cruciatę non eſſe Regi Hiſpaniarum conceſſum ſub rigoroſa conditione applicandi pecuniam, quæ ex eleemoſynis, ſummarium bullę capientium exigitur, in ſacram expeditionē contra infideles, ſed abſolute conceditur, quamuis motiuum cōcedendi hoc priuilegiū fuerit adiutorium pro expeditione.]

Ex hac Bardi doctrina, quam
7 ipſe affert ad ſoluendam difficultatem, patet apertius noſtri antecedentis probatio, et per cōſequens, poſſe Regem, ac regios miniſtros licitè expendere pecuniam exactam ab eleemoſynis, datis pro bullis in vſus profanos; tunc enim non peccabunt, quatenus expendunt pecuniam illā, cuius Rex eſt dominus abſolutus, et ſolum tenetur, ne Pontificis ſanctiſſimam voluntatem eludat, ad bellum contra fidei hoſtes tenendum.

Et per hęc ſoluta eſt ratio du-
8 bitādi, deducta ex ſpolijs Eccleſiarum vacantium, nam eſt diuerſa conſideratio, et magna diſparitas inter hanc pecuniam, datam Regi Catholico in ſubſidiū belli contra infideles, et inter fructus Eccleſiarum vacantium. Nam hi fructus ex fundatorum intentione primo, et perſe diriguntur ad opera religioſa, ac pia: Eleemoſyna autem à bullis exacta datur à Summo Pontifice primo, ac per ſe Noſtro Regi, vt is habeat ſubſidium pecuniarum, et aliqatenus augeatur eius patrimonum, quo in hoſtes fidei pugnare valeat.

Hanc doctrinam breuiter innuit P. Sforzias Pallauicino *lib.* 2. *c.* 5. hiſtoriæ Conc. Trid. poſt hæc ſcripta à me viſus, ac sūmo omniū ordinū plauſu exceptus.

QAERES LI.

An ſit negotiatio prohibita eccleſiaſticis perſonis, ſimoniales emant ſericū, ſuccinum, &c. quibus flores arte factos, &c. huiuſmodi efficiant, & vendant.

SVMMARIVM.

Fœminæ etiam in pœnalibus aliquando veniunt nomine maſculino n. 1.
Negotiatio Eccleſiaſticis prohibita eſt illa, quæ eſt mere lucratiua n. 2.
Quæ nam talis ſit ibi.
Moniales poſſunt, ac debent excitari ad artificiola facienda ſpe lucri n. 3.
Eccleſiaſtici poſſunt emere aliqua, quæ vendant carius poſt commutationem in aliud n. 4.
Moniales licite poſſunt de licentia Abbatiſſæ lucra manuum ſuarum conuertere in proprios vſus ibid.
Ob lucri amorem non eſt chorus omittendus, nec alia ſpiritualia exercitia poſtponenda n. 5.

1 AFfirmatiue reſpondit doctus ſane, et pius Theologus cuidam Abbatiſſę, illum de hoc conſulenti, ac propterea ea ſub pręcepto ſanctę obedientię omnibus monialibus id vetuit: cum conſtet prohibitionē negotiandi factam clericis, aut monachis *in cap. ſecundum ne cler. vel monoc.* extendi ad moniales, nam fœminę etiam in pœnalibus, et odioſis ſub nomine maſculino continētur, quoties eadem ratio procedit in ipſis, ac in maribus ex Pellezario de monialibus *cap.* 7. *num.* 31.

2 Sed negatiuam ſententiam tenendam eſſe puto, nimirum

dictas moniales nullo pacto pos- se dici negotiatrices, fundamē- tum est, quia in dictis iuribus so- lum prohibetur negotiatio mere lucratiua, quæ tunc tantum est quando aliquid emitur, vt idem immutatum carius vendatur, vt si quis emat frumentum, cum minori pretio valet, vt illud carius vendat postea tempore sterilitatis ex Delugo *de iust. dis. 26. sect. 3. num. 20. & seq.* Lezana *v. negotiatio n. 2.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 17. §. 7. num. 38. & sequent.* neque etiam hoc exercitium est negotiatio quæ per quamdam epicheiam, censeatur merè lucratiua, vt esset si vuas emerent ad vinum conficiendū, vel linum ad telam, &c. de quibus exemplis Molina *dis. 347. n. 8. de contract.* & cit. Doctores.

Ergo moniales ementes sericum, succinum, &c. vt flores ex his arte faciant, quamuis inde lucrum reportent non sunt negotiatrices, nec in pœnam clericorum, aut ecclesiasticarum personarum negotiantium incidunt.

3 Sed potius faciunt iuxta Canones *cap. si clericus 1. & 2. dist. 91.* vbi dicitur [omnes clerici validi, & artificiola, & literas discant] & Abbatissa potius deberet hoc studium in sacris monialibus fouere, vt ipsæ hoc lucrulo allectæ otium vitarent, & inutiles confabulationes cum laicis. dummodo hæc fiant cum debita licentia, & intra limites religiositatis.

4 Hinc Molina *to. 2. de iust. dict. disp. 347. num. 14.* ait, [Ecclesiastici emere licite possunt aliqua, quæ in aliud commutent, ac carius vendant] & Greg. Lopez *1. part. tit. 7. leg. 14. nu. 2.* [Abbatissa potest permittere monialibus, vt lucra manuum suarum possint conuertere in proprios vsus, & necessarios, neque per hoc videntur habere proprium: vide Ioan. Andr. & Abbatem in d. cap. cum ad monstererium.]

5 Cauendum tamen, est, vt ijdē Doctores aduertunt, ne detur occasio mali, vt si lucri studio chorum desererent, vel inobedientes fierent, &c. tunc enim est tale exercitium prohibendū.

QVAERES LII.

An in monasterio, quod extat Panormi, in quo ex fundatoris præscripto admittuntur puellæ consanguineæ, aut de parentela ipsius fundatoris, possint admitti puellæ illegitimæ.

SVMMARIVM

Negatiua sententia, & eius fundamenta n. 1.

Ad ius patronatus vocatis consanguineis, non veniunt illigitimi. ibid.

In dispositione ad pias causas attenditur ius naturale, ac diuinum ibid.

Illegitimi iure naturali, ac diuino spectato sunt vere consanguinei n. 3.

Matrimonium in gradibus prohibitis, non potest cum illegitimis, eodem gradu coniunctis contrahi ibid.

Dispositio ad pias causas censetur fundatio monasterij, & dotatio n. 4.

Illegitimi attēto iure ciuili, an sint de parentela n. 5.

Voluntas testatoris est coniectanda ex affectione, & coniunctione cum legatario n. 6.

Voluntas testatoris debet præsumi ordinata ibi.

Ordinata charitas prius consulit

con-

coniunctis sanguine, quam exteris ibi.

Legitimæ, & naturales consanguineæ preferendæ sunt illegitimis, quamuis hæ essent in strictiori gradu n. 7.

Puellæ illegitimæ tunc possunt ad legatum admitti, vt consanguineæ, quando sunt habitæ, vt filiæ à parentibus n. 8.

Illegitimi an sint de domo, & familia, attendi debet vsus communis n. 9.

Legitimatæ concurrunt cum alijs legitimis, & naturalibus n. 10.

Legitimati per principem succedunt in iure patronatus ibid.

1 NEgatiuam sententiam docuit vir doctus, & pius, & illam se in terminis reperisse putabat, & apud Sanch. *lib. 2. consil moral. cap. 3. dub. 97. num. 4.* ibi [nota quod si ex fundatione vocentur ad ius patronatus cõsanguinei, vel qui sunt de parẽtela, non succedent illegitimi, quia non sunt proprie consanguinei, nec de parentela, vt cõcludunt Anton. *cap. per venerabilem, qui filij sunt leg.* & Alexan. *l. ex facto §. si quis rogatus in fine ff. ad Trebell.* sic Lamberti *d. qu. 2. ar. 27*, Rocchus de iure patr. *ver. competens qu. 2.* Perez *lib. 1. ord. tit. 6. l. 1. fol. 141.*] ita Sanchez, cui adheret Cassaneus *ad consuet. Burg. rub. 8. ver. lebattar. §. iuxta prædicta qu. sub n. 19.* vbi ex Nicolao de Vbaldis ait, illegitimos non esse de domo, familia, genere, aut agnatione patris, neque gaudere priuilegijs eorum, qui sunt de familia, & genere Patris, & concludunt, eos non esse de parentela nobilium ex Bald. *in l. nuptiæ ff. de statu hominum*, vbi multa addit ad rem ex varijs iuribus, & Doctoribus.

2 His tamen non obstantibus dixi, posse, ac debere admitti in dicto monasterio puellas illegitimas fundatori coniunctas, fũdamentum est, quia in dispositione ad pias causas solum attendi debet ius naturale, ac diuinum, vt ex Bart. Bald. Fulg. & alijs *in l. 1. cod. de sacros. eccl.* docet Tiraquell. *de priuil. piæ causæ priu. 164.* vbi ait esse perdere operam, & oleum, si citaret omnes, qui hæc tradunt; videri etiam potest Alex. *con. 216. statutis accurate perspectis lib. 2.*

3 At secundum ius naturale, aut diuinum illegitimi sunt vere filij, & consanguinei, ac de parentela, ita vt in eodem gradu, in quo iure naturæ, ac diuino, & iure etiam ecclesiastico non potest esse matrimonium cum legitimis, in eodẽ non possit esse cum illegitimis, et quemadmodum oritur impedimentum publicæ honestatis, & consanguinitatis, aut affinitatis cum legitimis, quamuis quoad alios iuris effectus illegitimi non reputentur consanguinei, vt bene docet Sanchez *lib. 7. disp. 68. n. 4.* estque res certissima.

4 Ergo cum dicta testatoris dispositio sit ad pias causas, quia fundatur monasterium, et assignatur dos pro puellis monacãdis, & in illud ingressuris, vt videri potest Romanus *cõs. 225. col. 2.* Bald. *in auth. similiter in prin. co. ad leg. falc.* Tiraquell. *in præfat. de priu. piæ causæ §. & facit pro prima parte iuncto §. præced. & sequent.* cumque dicit, in eo monasterio admittendas esse puellas consanguineas, ac de parentela ipsius: debemus etiam intelligere puellas illegitimas, quia hæ sunt de parentela, & consãguinitate, spectato iure naturali, ac diuino, esto de iure

 ciui-

ciuili aliter disponatur.

5 Quamuis non desint Doctores, qui etiam stando in iure ciuili, contrarium sentiant, ita Guttierr. *cons.* 3. *sub nn.* 9. vbi ait [primo respondeo, quod licet appellatione consanguineorum, coniunctorum, & aliorũ id genus sanguinis, generisque veniant naturales, possent in vtramque partem multa adduci quæ vel iustum volumen conficerent ex scriptis ab omnibus nostris legis interpretibus in pluribus locis, vt tradit Tiraq. *de vtroque retract. tit.* 1. §. 1. *glos.* 8. *nu.* 5.]

6 Quod si ex charitate, & necessitudine legatarij cum testatore, idest vt explicat Glossa ex affectione, & coniunctione cõiectanda est voluntas dubia *ex l. si seruus plurium* §. *vltimi ff. de legat.* 1. & ex charitate personarum intelligitur intentio volũtatis ex Glossa *in l. ille à quo* §. *si de testamento in verbo verba ff. ad Trebellium*, ita vt Alexan. *cons.* 169. *nu.* 4. *vol.* 4. quamuis asserat, pluribus cõiecturis posse intentionem testatoris elici: tamen præcipue ait, eam colligi ex affectione, et consanguinitate, quod etiam volunt Soncinas Sen. *cons.* 26. *num.* 4. *tom.* 4. Angelus *cons.* 28. *n.* 2. Anchar. *cons.* 237. *nu.* 2. *vers. contrarium* Bald. *cons.* 156. *num.* 1. *fine tom.* 2. Curtius Iunior *cons.* 51. *nu.* 10. Parisius *cons.* 51. *num.* 21. *vol.* 2. qui docent, charitatem, ac rationem naturalẽ, ac sanguinis coniunctionem maxime valere ad mentem testatoris indagãdam, si inquam hæc vera sunt, prout verissima reputo; certe nõ possumus cũ probabilitate asserere, testatorem voluisse extraneas puellas, suis consanguineis, & naturali vinculo sibi coniunctis præferre, sane hoc non esset boni viri interpetratio, qui vt præscribit Bald. *cons.* 411. *vol.* 2. debet arbitrari, quod voluntas testatoris fuerit ordinata secundum charitatem, at ordinata charitas prius consulit sibi sanguine coniunctis, quam exteris, præsertim in causa pia, et quoad animæ bonum, in quibus non est de apicibus iuris disputandũ ex Panormit. *in cap. virtutis col.* 5. *de dolo, & contumacia* Bald. *cõs.* 18. *casus sub tali forma col. vltima. lib.* 5.

7 Tria hic aduerto, quæ nemo forte negaturus erit. *Primum*, quod concurrentibus puellis consanguineis testatoris legitimis, et naturalibus, cum illegitimis præferendæ sunt illæ, quæ sunt legitimæ, quamuis non essent in eodem gradu, sed in remotiori, quia in illis habemus id, quod exigit tam ius naturale, quam ciuile ad hoc, vt vere dicantur consanguineæ, et de parentela, et sic fortiori vinculo sunt vnitæ testatori.

8 Secundum est, quod puellæ illegitimæ, tunc possunt admitti ad monasterium tanquam cõsanguineę, et de parentela, quãdo sunt à Parentibus admissę, et habitę tanquam filiæ, ita vt ferant cognomen etiam patris, alias non possunt admitti tanquã de parentela testatoris, seu fundatoris monasterij; quia de his non censetur plus cogitasse fundator, quam de extraneis, neq; illas in vita, vt sibi coniunctas reputauit.

Si enim in materia, an illegiti-
9 mi sint dicendi de domo, vel familia attẽdi debet communis vsus loquendi, et consuetudo, ac vulgi opinio. vt Alexander *in leg. ex facto* §. *si quis rogatus in prin. ff. ad Trebell. n.* 53. *&* 56.

ma-

manifeste patet, dictas puellas ex quo nec vulgi opinione, nec consuetudine, nec ex vsu loquēdi habeātur pro consanguineis, & de parentela testatoris, non esse vocatas ab ipso in morte.

10 Tertium denique est, quod si dictę puellę sunt legitimatę, tūc absque dubitatione vocantur, & concurrunt æqualiter cum alijs legitimis, & naturalibus, nā per legitimatos æque conseruatur familia, & agnatio sicut per legitimos, ex Tiraquell. *l. si vnquā* ver. susceperit liberos nu. 83. C. de reuoc. donat. Lambert. de iure patron. *lib. 1. 2. par. art. 29. per totum 2. qu. princ.* Guttier. *cons. 3. num. 12.* vbi probat, legitimatos etiam per principem seçularem succedere in iure patronatus, quod cōpetet aliquibus de familia, & parentela testatoris.

QVAERES LIII.

An possit quis ordinari ab Episcopo illius Diœcesis, in qua habet domicilium per spatium 10. *annorum.*

SVMMARIVM

Negatiua sententia, & eius fundamentum n. 1.

Potest ordinari ab ipso Episcopo illius loci is, qui incipit alicubi habitare cum animo perpetuo manendi n. 2.

Animus perpetuo habitandi præsumitur potissimum ex habitatione decem annorum n. 3.

Animus perpetuo habitandi in aliquo loco probatur assertione habitantis n. 4.

Praxis ordinandi clericum post acquisitam declarationem ciuilitatis, vnde sit introducta n. 5.

Praxis hæc non est talis, vt possit impedire, ne Episcopi ordinent habitantem per decennium ibi.

Quid si ordinandus non habitauit per decennium n. 6.

1 NEgabat id fieri posse quidā Theologus, quia non solū sufficit quæcumque habitatio, sed etiam requiritur, vt clericus ordinandus, sit prius declaratus ab vniuersitate, seu iuratis patribus ciuis illius loci, & sic practicatur teste Aloysio Riccio in praxi Curiæ Archiep. par. 2. decis. 251. Neapoli, in illa enim Ciuitate non admittitur ad ordines, nec dātur illi litteræ dimissoriales clericus exterus, qui nō sit declaratus per decretum ciuis Neapolitanus, quamuis per spatium decem annorum habitauerit Neapoli, vel in aliquo loco illius Diœcesis.

2 Ceterum puto, satis esse lapsum decem annorum ad hoc, vt clericus exterus possit tamquā subditus ab Episcopo loci ordinarij, nam ad hoc, vt sit subditus ratione domicilij, satis est, si clericus incipiat habitare in aliqua diœcesi cum animo perpetuo ibi habitandi, vt citatis Hostiense *sum. tit. de Paroch. §. pen. n. 7.* Domin. *cap. cum nullus de tempor. ordin. in 6. nu. 1.* Menoch. *de præsum. lib. 9. præ. 42. n. 4. & cons. 80. num. 10. vol. 1.* Mascard. *de probat. concl. 535. nu. 13. & concl. 807. n. 3.* & alijs multis, dixi cum Sanchez *lib. 3. de matr. dis. 23. n. 3.*

3 At non est maior coniectura, & præsumptio, quod ille habeat animum perpetuo habitandi, ea, quæ habetur ex habitatione decem annorum in loco Episcopi subiecto, vt docet Menoch. *lib. 2. centur. 1. de arbitr. casu. 86. n. 13.* Armend. *in ad recopil. l. Nauar.*

Barral. 1. nu. 18. l. 1. nu. 49. dicēs sic fuisse decisum, Bonacina de sacram. disp. 6. qu: vnic. punt. 4. nu. 10. Quaranta sum. bull verb. ordo Coninch. di. 20. dub. 6. Marchinus de sacram. ordinis tr. 1. §. 5. cap. 7. vbi citat per multos, additque alias coniecturas.

4 Ad idē est Barbosa de potest. Episcopi alleg. 4. n. 2. & 26. vbi probat ex varijs Doctoribus, ac Rotæ decisionibus, quod statim, ac aliquis incipit habitare in aliquo loco cum animo perpetuo ibi habitandi fit subditus ratione domicilij, & potest ordinari ab Episcopo loci illius, qui animus probatur ex assertione clerici, & illi credendum est, quando non sunt validæ coniecturæ in contrarium. Baldus cons. 393. Menochius de arbitr. cas. 86. à num. 6.

5 Non obstat praxis, quæ habetur in illa diœcesi, quod non admittatur clericus ad ordines, nisi prius fuerit ciuis declaratus, vt diximus ex Riccio par. 2. decis. 251. in prax. Archiep. Nam hæc praxis habetur ad vitandas fraudes: at hæc non tollit potestatem Episcopis vtendi dispositione iuris communis, nec facit, quod non possit ordinare eūm, quem constat habere animum perpetuo habitandi in ea diœcesi, ex quo per decennium habitauit, nam hæc decemnalis habitatio est declaratiuum animi volentis perpetuo habitare, vt docet communis opinio, teste Castropal. de sacram. ordin. p. 15. num. 3. Surdus cons. 345. num. 4. Rota decis. 188. par. 2. recent. & facit Tex. l. 2. cod. de incol. lib. 10.

6 Confirmatur, quia hęc praxis non est præsumptio iuris, & de iure, quæ facit legem, vt dixi lib. 7. de matr. disp. 37. num. 10. ex Menoch. lib. 1. pra. 3. quod aperte insinuat Ricci d. p. 2. decis. 251. vbi n. 9. ait [verū posset talis esse qualitas personę, quod non obstante hac obseruantia posset statim admitti ad ciuilitatem] et consequenter ad ordines ab Episcopo domicilij, quamuis nec decē anni fuerint elapsi; ergo multo magis non obstante obseruantia, quod clericus ordinādus prius declaretur ciuis illius loci, potest admitti ad ordines, si per decennium ibi habitauit, & animum suum expresserit, se velle perpetuo ibi manere; nec adsunt validæ coniecturę cōtrarię voluntatis, nec illa obseruantia, quę recte fit ad bonum regimen, & fraudes vitandas debet ligare manus Episcopi, & suam iurisdictionem coarctare, nec impedire, ne possit admittere exterum clericum ad ordines, qui per decennium in sua diœcesi habitauerit, quamuis non habuerit decretū de ciuilitate.

QVAERES LIV.

An laicus, qui de proximo sit clericandus, sit capax beneficij ecclesiastici.

SVMMARIVM

Clericus nō sacerdos, quando possit eligi ad beneficium curatum n. 1.

Mere laicus est incapax beneficij, quamuis simplicis n. 2. & 3.

Ecclesiastici constituuntur prima tonsura n. 3.

Bonifacius VIII. noluit dare suo nepoti laico beneficium ibi.

Sententia negatiua in quæstione proposita est communis n. 4.

Soluitur argumentum docti Maiæ & disparitas assignatur n. 5.

Sacerdotis proprium est populum pa-

pascere doctrina, & sacramẽtis ibi.
Beneficij ecclesiastici definitio ib.
Explicatur regula l. ex eo tempore n. 6.
Qui est omnino paratus ad professionem religiosam emittendam non censetur de illius religione ibid.
Afferuntur multa exempla cõtra regulam l. ex eo tempore n. 7.
Vbi quid dicendum de loco proxime conuertendus in Ecclesiam, de calice mox consecrando; de pecunia implicãda in emptione bonorum immobilium ibi.
Doctores pro contraria sententia citatos non loqui in terminis nostris ostenditur n. 8.
Abbas D. Octauius de Augustino laudatur n. 9.

1 AFfirmatiue respondet doctus, & eruditus D. Hypp. de Maia *in bullam Clem. 8. de refor. Paroch. Panormi obseruat. 20. sub num. 62.* ductus hoc fundamento, quia sicuti non est inconueniens de iure canonico, vt clericus non sacerdos ad curatum beneficium eligatur, dũmodo infra annum ad sacerdotium ascẽdat *ex cap. licet canon. de elect. in 6.* ita neque est inconueniẽs, vt laicus habeat simplex beneficium, si is de proximo clericalẽ tõsurã, & ordinẽ adipiscatur regula *ex eo tempore ff. de test. milit.* sic Maia citans pro hac sententia post Rotam coram Oran. 19. Nouembris 1584. Campanil. *in diu. iuris. can. rubri. 7. cap. 6. n. 4.* Paul. Squill. *de priuil. cleric. cap. 4. nu. 11.*

2 Nihilominus mihi dicendum videtur, neminem esse capacẽ beneficij ecclesiastici, quamuis simplicis, nisi saltem habeat primam tonsuram, & sit in statu clericali.

3 Fundamentum est, quia ita semper in Ecclesia fuit obseruatum, vt ecclesiastica beneficia ecclesiasticis (qui tales sunt saltem per primam tonsuram *ex C. cum conting. de ætat. & qualit.* & notant omnes ibi) conferantur, & non laicis, ita habetur *cap. cum adeo de rescript. cap. ex litteris de transf. cap. 2. de instit.* & late probat Felinus *d. cap. cum adeo n. 4.* vbi ait, Clementem IV. dixisse, eum, qui non dum haberet clericalem tonsuram non esse capacem beneficij in Ecclesia, & hoc obseruasse Bonifacium VIII. cum suo nepote, & ita tenent omnes Doctores, re probata Gloss. *d cap. 2. de instit.* teste Mandosio *in reg. 24. can. q. 4. nu. 12.* & post Abbatem *d. cap. ex litteris de transf.* Zauallos *in prac. qq. q. 522. num. 2.* docet Sanchez *l. 7. de matrim. dis. 42. n. 14.* Stapl. *de lit. gratia, & ius. in 9. forma expectatiu. num. 34.* Gomez *de expec. num. 89.* Paris. *cons. 125. vol. 4. num. 12. & 13.* et alij, quos refert, & sequitur Aloys. Ricci. *in praxi fori eccl. decis. 385.*

4 Vbi minus recte ait in fine n. 3. contrariam opinionem fuisse communem apud antiquos; nam Doctores, quos ipse citat non sunt reuera in ea sententia, non immoror autem eos huc afferre, quia iam Riccius fatetur, nostram opinionem esse hodie communem, & ex Concil. Trid. *cap. 6. sess. 23.* non solum requiri, quod clericus sit prima tonsura initiatus, sed quod habeat 14. annum.

5 Nec ea, quæ afferuntur à docto Maia vim habent, ad rationem enim, nego paritatẽ, quia clericus in minoribus est iam in statu ecclesiastico, & à laicorum cætu segregatus: vnde potest

quæ

quæcũque munia ecclesiastica, quæ sacrorum ordinum functiones non sunt, exercere, & per consequens potest habere beneficium ecclesiasticum, & ius ad prębendam quamcumque: at ad maiorem reuerentiam, ac decorum Ecclesiæ statutũ est, vt beneficium curam animarum habens non detur nisi illi, qui intra annum possit ordinari sacerdos, cuius proprium est populos doctrina, et sacramentis pascere ex Trid. *sess.* 22. *cap.* 4. laicus vero munia ecclesiastica exercere non potest; nec est ex Ecclesię institutione ad Ecclesię ministeria, et diuina officia deputatus; ergo neq; potest habere ius percipiendi fructus ratione ministeriorũ, quæ ille exercere non potest, et sic non est capax beneficij ecclesiastici, quod est ius legitimum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis ob aliquod officium speciale videte Toletum *lib.* 5. *cap.* 26. Azor. *lib.* 3. *cap.* 1. *q.* 2. *& lib.* 5. *qu.* 1. *cap.* 1. Lessium *lib.* 2. *de iust. cap.* 4. *dub.* 6. *& cap.* 34. *dub.* 1.

6 Similiter neganda est regula illa *l. ex eo tẽpore ff. de test. mil.* nã in materia clericatus nõ sufficit, quod aliquis proxime sit clericandus ex Fed. de Senis *cons.* 90. Aym. *cons.* 322. *vol.* 2. Ioseph Lud. *decis.* 74. *illat.* 149. vnde in sacro Concilio, prout refert Aloysius Ricci *decis.* 385. *in praxi* post Farinac. *de inquis. qu.* 8. *num.* 113. Petrum Gaball. *casu* 120. de Franchis *decis.* 449. fuit decisum, quod non deberet remitti ad magnum Magistrum incliti Ordinis Melitensium is, qui iam omnes probationes fecerat, viaticum soluerat necessarium ad iter Melitam versus, vt ibi habitum sumeret.

7 Multa etiam affert exempla Felinus *d. cap. cũ adeo de rescrip. num.* 4. nimirum rem legatam, vt ædibus adiungatur posse alienari antequam adiungatur, & illam destinationem non officere: locum non gaudere priuilegio immunitatis, etiam si statim sit in Ecclesiam conuertendus; sed prius est per Episcopum deputandus. nec nos posse vti calice non consecrato pro sacrificio, quamuis sit statim consecrandus, & tandem si alicubi est consuetudo, vt mortua vxore mobilia pertineant ad maritum, immobilia ad hæredes, quãuis reperiatur pecunia, quæ sit de proximo implicanda in emptione bonorum immobiliũ eam pertinere vult ad maritum. hæc, & alia multa exempla; in quibus illa regula *ex l: ex eo* deficit, videri possunt apud Felinũ loc. cit. & Tiraquell. *in l. connubiali* 2. *par. gloss.* 2. *fere per totam.*

8 Denique Doctores, quos affert Maia, ipsi non fauent; sed loquuntur de nominatione ad beneficium. Campanili loc. à Maia cit. sic ait [si fuit præsentatus proxime clericandus, nã pœnitus indignus tunc nõ erit, & sufficit si ante institutionẽ fuerit tõsuratus] Squillante loco cit. à Maia [& hoc procedit, vt neq; possit præsentari ab beneficium (nempe laicus habens animum statim sumendi ordines) alias nulla esset præsentatio secundũ Lambertinũ, Ioann. Gutti. Card. Tuscum, qui num. 6. ait, quod Rota *in vna imol. iuris patronat.* hoc limitauit non procedere, quoties fuerit præsentatus proxime clericandus, quia hoc casu præsentandus non est pœnitus indignus, cum ante institutionẽ sit tonsuratus] & addit, hanc limi-

mitationem procedere quando, proxime clericandus expressè, vel tacite præsentaretur instituendus tempore, quo est clericus, non sunt ergo Campanili, & Squillāte in sententia Maiæ. idē etiam, quod nos damus tradit Rota ab ipso citata, vt præter Campanili, & Squillante notat Gratianus *in discep. forens. cap.* 430. *nu.*6. vbi etiam num. 9. notat, non posse Episcopum conferre ordines extero laico ratione beneficij, ad quod is est præsentatus, & est instituendus post ordinationem, & ratio ipsius est, quia ad hoc, vt Episcopus possit ordinare non subditum ratione beneficij prius debet ordinandus habere beneficium, & per consequens debuit prius esse clericus, aut saltem tonsuratus.

9 Concludo igitur, laicum esse incapacem beneficij quātumuis simplicis ecclesiastici, quamuis sit de proximo clericandus post collationem beneficij. Atque ita in facti contingentia fuit decisum per Abbatem D. Octauiū de Augustino Panormitanū, virum ingenio, doctrina, & morum comitate conspicuum, cū is esset Eminētissimi Cardinalis Romę Sacri Collegij Decani meritissimus Auditor.

QVAERES LV.

An Nouitius, qui ex sexdecim votis omniū capitularium habuit decem affirmatiua, possit admitti ad professionem, tamquā receptus à duabus partibus.

SVMMARIVM

Proponitur species facti n. 1.

Affirmatiua sententia cōtra quorumdam rationem, eligitur n. 2.

Ex tripartito numero alicuius cōmunitatis, quanam sint duæ partes in omni combinatione n. 3.

Electio Abbatissæ debet fieri ex cōcursu duarum partium ibi.

Nemo rationabiliter requiret duas partes, quæ singillatim sint maiores tertia n. 4.

Statuta religionum debent humano modo, & moraliter, non mathematicè intelligi n. 5.

Sibi defuissent conditores statutorum, si non præscripsissent quid in casu nostro, & simili esset faciendum; si arithmeticam computationem voluissent n. 6.

Parum pro nihilo haberi multis exemplis probatur. n. 7.

Ostenditur in quo excedant 14 supra 27, aut 6. supra 10 facta arithmetica computatione n. 8.

Satis fit proposito argumento pro contrarium sentientibus n. 9.

Capitulum si excludat nouitium potest iterum, &c. congregari, & admittere n. 10.

Nouitiatus per quid interrumpatur n. 11.

Superior potest se solo nouitium ad professionem admittere, si capitulum absque iusta causa illū excludit.

1 IN quadā celebri, & veneranda religione extat statutum, vt non possit nouitius admitti ad professionem, nisi concurrāt duæ partes ex omnibus Religiosis habentibus vocem in capitulo. Cum autem in monasterio præfatæ Religionis essent tantum sexdecim Religiosi, qui haberent vocem, decem acceptarunt nouitium ad professionem, sex vero illum exclusérunt. quæsitum à me prorsus hac die fuit, an talis posset ad professionem admitti.

2 Affirmatiue respondi contra

nonnullos, qui acriter contē-debant, hunc nouitium non esse admittendum ad professionem, quia decem respectu sexdecim non sunt duæ partes, nam duæ partes 6. sunt 12. sed casum reperi in terminis apud Menoch. *to. 1. con. 96.* vnde omnem abstulit dubitationem, iuxta Gomez *in 9. æque instit. de act.* vbi docet, quod doctor casum, ab alijs nō exagitatum, in terminis tractans omnem adimit dubitationem, etiam si iura non afferat. nam in ven. Monasterio S. Benedicti cum essent 41 Professi, qui vocem haberēt in capitulo, nouitius fuit admissus ad professionem à 27. & reprobatus à 14. Capitularibus, & tamen doctissimus vir affirmat, nouitium illum legitime fuisse admissum ad professionem, & affert 8. rationes, quæ apud ipsum videri possunt.

3 Præcipua mihi ratio fuit, quia etiam omni rigore verborum spectato, nouitius fuit admissus à duabus partibus religiosorum, nā si fiant tres partes sexdecim Religiosorum, duæ partes erūt decem, vel vndecim, vt patet consideranti, & hoc non obscure indicat Barbosa *lib. 1. de iur. eccl. cap. 43. num. 27.* vbi ait. [ex tripartito numero monialiū duæ partes concurrere debent in electione Abbatissæ] at tripartitus numerus sexdecim erit vna pars 5 alia item 5. alia 6. ergo, tam si concurrant duæ partes, nempe ly 5. & 6. quam si duæ partes 5. & 5. verum erit, quod ex tripartito numero omnium Religiosorum in illo monasterio existentium duæ partes cōcurrant. Idem etiam habet Tāburin. *de iure Abbatiss. disp. 28. qu. 9. num. 3.* ibi. [at sententiæ Barbosæ loco citato adhærere mihi videtur, quod nimirum numerus votorum necessarius, & sufficiens ad electionem Abbatissæ sit duarum partium ex tribus, nisi ex consuetudine loci sufficeret medietas, &c.] Cum ergo ad receptionem nouitij in dicta Religione requiratur, vt concurrant duæ partes ex tripartito omnium monachorum numero, & hæ duæ partes habeantur tam in 5. & 5. quam in 5. & 6. verificatur quod concurrant ad approbationem, & receptionem nouitij duæ partes ex tripartito numero 16. si concurrant decem monachi.

4 Nā nec statutum Religionis præscribit, vt concurrere debeant duæ partes maiores: nec ratio postulat, nā cū ex tripartito numero duæ partes quocūque modo combinatæ concurrant, semper habeatur longe maior pars eorum, qui dant suffragium, electio semper erit canonica iuxta *cap. quia propter.*

5 Confirm. quia hęc Religiosorum statuta, cum ordinentur ad bonum regimen Religionis inter homines habendum, humano modo, & moraliter sunt intelligenda, nec metienda arundine mathematica; sed secundū moralem computationem, & iuxta prudentem hominum æstimationem, negari non potest, quod ex 16. Religiosis numerus tripartitus erit 5. 5, 6. & semper verum erit, quod quoties duæ partes coniungantur siue 5. cū 6 siue 5. cum alijs 5. verum est, quod cōcurrant duæ partes. ergo.

6 Maior meo iudicio videtur aperta, nam si statuta Religionum, & corū conditores intēdissent mathematicam diuisionem

nem, cũ dixerunt ex tripartitõ omniũ monachorũ numero duas partes debere cõcurrere ad nouitij receptionem, debuissent explicare, quid faciendum esset in casu nostro, & alijs similibus, qui passim iuxta varium numerum Religiosorum fieri possent, sed nec ipsi explicarũt, nec Doctores de hac re scribentes, vt vidimus: ergo signum est, eos intellexisse moraliter esse faciẽdam diuisionem omnium religiosorum in tres partes. v. g. ex 22. vocibus si 14. conuenerint, verum erit dicere, quod sunt duæ partes moraliter ex omniũ monachorum numero, nam ex vna parte habetur finis à cõstitutionibus intentus, nempe vt nouitij ad professionem non admittantur, nisi rectiore, & prudentiore modo, qui sane tunc est non solum, quando maior pars concurrit, vt si ex viginti habentibus vocem concurrant 11. sed quando multo plures, nẽpe duæ partes ex tribus: nam tũc quamuis tertia pars sit maior ceteris duabus partibus singillatim acceptis, sẽper erit lõge minor duabus partibus collectiue acceptis. v. g. 6. excedit tantũ in vno 5. at longe superatur à 10.

7 Minorem probat Menochius *d. cons. 96. nu. 5.* vbi ait. [mouet me, quod in sacro Oecumenico Cõcilio Nicæno, relato *in cap. sane 65. dist.* diffinitum fuit Episcopum, scilicet electum cẽseri ab omnibus Comprouincialibus vno omnium consensu, etiamsi duo, vel tres contradixerunt; cum duo, vel tres nõ augeãt, nec minuant numerũ, ex quo paruus est excessus. & ibi specie notant Archid. & Ioann. de Turrecrem. Card. idque probant ex simili *in cap. reuera de consecrat. dist.* 2. vbi Gloss. *in ver. mortui sunt*. cum sacris in litteris legatur omnes illos, qui mãna manducauerunt in deserto esse mortuos. Glossa recte ex omnium sententia interpretatur, omnes esse mortuos, etiã si duo Caleph, & Iosue superstites fuerint: non enim propter duos, vel tres minuitur numerus, & ideo Gloss. *in cap. final. in Gloss. 1. de rescript.* citando *d. cap.* reuera ait, pro modico, nec plus, nec minus. Similis Gloss. *in proemio decretal. in Gloss. vlt.* ea est ratio, quo modicus excessus non est in consideratione *l. continuus in principio de verb. obligat.* Hinc scribit *Philosophus lib. 2. Physic. c. 1.* nihil deesse videri cui parũ deest. & nos dicere solemus parum, & nihil æquiparari, *cap. de multa de praben. cap. licet caussã de probat.* ibi nulla, vel modica, vt scribunt Bald. *in authen. praterea Cod. vnde vir. & vxor.* Corneus *cons. 63. col. vlt l. 1.* & Soncin. Senio. *cons.* 108. *nu. 4. lib. 1.* Accedit, quod docuit Baldus *in* l. *eum qui §. popularibus ff. de iure iurand.* quod paruus, seu modicus defectus non vitiat actum, vt nec leuis solẽnitatis omissio obstet *in fine ff. de vent. insp.* vbi Bart. & Glols. *cap. nostrates* 30. *qu.* 5. est ergo idem dicendum in casu nostro, quod hic tam paruus excessus efficere non debet, quin cẽseatur hic adolescẽs approbatus à duabus partibus ex tribus] ita Menoch. qui alijs septem argumentis firmat suam conclusionem, quæ sane casum nostrum etiam confirmat: nam est idem non solum in substãtia, sed etiam in omnibus, & singulis circumstantijs cum illo posito à Menochio.

8 Præsertim, quod vt bene aduertit Menochius in suo casu (& idẽ potest dici in nostro, vt cal-

culanti patebit) nõ agatur de excessu vnius suffragij, si arithmetica computatione sit procedendum, sed de excessu tertiæ partis vnius suffragij tãtum: nã facto computo iuxta regulam arithmeticam 14 suffragia excedunt 27 pro vna tertia parte suffragij. Duæ enim partes suffragiorum constantes singulæ ex 13 suffragijs cum dimidio facient suffragia 27 & sic tertia pars 14 suffragiorum erit 13 cũ tribus tertijs excedetque alias partes in vna tertia parte tantũ vnius suffragij, & idem est in casu nostro, nam 6 excedent decem in duabus tertijs partibus vnius suffragij tantũ, quare quæstio in rigore erit, an nouitius, qui fuit admissus à duabus partibus excedentibus tertiam partẽ negatiuam 4. suffragijs censendus sit legitime admissus, an vero sit excludendus, ex hoc præcise, quod facto computo arithmetico, duæ tertię partes vnius suffragij defuerunt ad hoc, vt possint dici duę mathematice partes concurrisse ad sui receptionem. quis sane non videat, quam sit æquum, & rationi cõsentaneũ asserere, hunc fuisse legitime ad professionem admissũ, vt latius probat idem Menoch. supra in octauo argumento.

9 Quod autem dicebatur, quod duæ partes 6 sint duodecim est verissimum, at falsum est, quod ex tripartito maiori monachorum numero, si sunt 16 omnes, duę partes sint duodecim, sed sunt, vel 10. vel 11. & tertia pars erit 5 vel 6.

10 Ceterum, nouam dedit superior illius monasterij quęstionis ansam, nam vt firmior esset huius nouitij, quem tertia pars excluserat, professio, conuocato iterum post duos, aut vnum mensem capitulo (quod posse fieri probat Pellezzarius *tr.* 2. *c.* 1. *n.* 21.) habuit omnium vota, & sic statim ille nouitius emisit professionem, qua emissa, mouent litem aliquot è Religiosis prętendentes hunc excludere à precedentia, quia illa professio fuit nulla, ex eo quia iam nouitiatus fuit interruptus, ex quo non fuit admissus à duabus integris partibus omnium Religiosorum habentium vocem, & sic perseuerauerit cum ista exclusione per multos dies. vnde dicũt, nouitium iterũ debuisse nouitiatũm inchoare.

11 Sed dato, et nõ concesso, quod nouitius fuerit exclusus in illo primo capitulo, cuius contrarium ad euidentiam hucusque probauimus; nec potui aliquẽ inuenire, qui contrarium doceret, aut moueret quæstionem: tamen dicendum est, annum nouitiatus non fuisse discontinuatum, ex eo, quod in decimo mẽse habito capitulo fuerit exclusus: quia interruptio anni nouitiatus non fit, nisi per habitus dimissionem cum effectu egressionis, itaut si superior decreuisset nouitium dimittere, ac iussisset hoc fine eum spoliari habitu Religionis, ac vestiri suis vestibus laicalibus, etiam nouitio cõsentiente, si is non est adhuc egressus monasterium, poterit Prelatus eum retinere, & non est opus, vt ex integro incipiat annum probationis, sed potest professionem licite, & valide emittere continuando nouitiatu v. g. si fuit in nouitiatu per decem menses, poterit permanere in eo per duos menses, & his expletis, ita vt annus integre ex præcedentibus, & sequentibus mensibus constituatur, professionem emittere potest

test. ita multis citatis Peyrinus *de rel. prael. qu.* 3. *cap.* 1. *nu.* 100. Suar. *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 15. *num.* 3. Tamburin. de iure Abbatum *to.* 3. *disp.* 6. *qu.* 11. *n.* 15. *& seq.* Pellezar. *tr.* 2. *cap.* 1. *à nu.* 37. & alij permulti apud eos.

Ergo multo magis dicendũ est hunc nostrum nouitium fecisse integrum, ac nõ interruptum annum nouitiatus, qui remãsit cum habitu nouitiorum, nec exiuit è monasterio, non ob stante quod fuerit à sex exclusus.

12 Sed vt ad initium propositæ quæstionis redeamus; hæc difficultas non habet locum in casu nostro, cum iam nouitius fuerit reuera admissus legitime à duabus partibus ex tripartito omniũ monachorũ numero, ex quo ex 16 suffragijs fuit admissus à 10 inter quos erat superior, qui se solo potest admittere ad professionem, quãdo capitulum sine iusta caussa illum excluderet ex Pellezar. *tr.* 2. *cap.* 2. *num.* 13. Vecchio de Nouitijs *disp.* 7. *dub.* 2. *nu* 8. *Peyrin. de R. P. qu.* 3. *c.* 1. *n.* 22. & plane in casu nostro sine caussa tertia illa pars nouitium excluserat, vt ex multis mihi relatis patet, & præcipue ex eo, quod statim nulla facta mutatione in nouitio, eum in alio capitulo facti primi pœnitens admisit.

QAERES LVI.

An executor testamenti possit dare legatum relictum pro monachatu suarum consanguinearũ, etiamsi fiant Tertiariæ, seu beatæ, illi, quæ tantum habitum suscepit.

†

SVMMARIVM.

Quæstio proposita explicatur n. 1.
Rationes pro sententia asserente: dandum legatum primæ recẽsentur n. 2.
Tertiaria, seu Beatæ *nouitiatum faciunt ibi.*
Nouitius acquirit legatum relictum sub conditione, si religionẽ ingrediatur n. 3.
Quid si dicatur, si fiat religiosus n. 4.
Legatum deberi illi, quæ prior emisit professionem, vnde probetur n. 4.
Assignatur disparitas inter legatum relictum pro ingressu religionis, & pro monachatu Tertiariarum mulierum n. 5.
Nouitius quæ priuilegia habeat in nouitiatu n. 6.
Tertiaria, seu Beatæ in quibus, & quãdo reputentur, ac meræ laicæ n. 7.
Taciti, & expressi idem est iudicium n. 8.
Legatum relictum pro monachatu quando possit dari Tertiatijs, ibid.
P*rofessio Tertiariarum, an contineat votum, & quale n.* 9.
Votum castitatis, à Tertiarijs emissum à quo possit commutari, &c. n. 10.

1 QVidã legauit, vt darentur 50 aurei singulis annis pro monachatu suarum consanguinearum, quamuis fiant Tertiariæ, et vt vulgo dicitur monache di casa, accidit, quod anno 1658. duæ cõsanguineæ concurrerent pares in gradu, ac cæteris conditionibus, vna tamẽ prior habitum assumpsit, altera vero prior solitã professionem emisit; quæsitum à me fuit; an debeatur legatum priori

ligionem, vel fieri religiosum, ita, et nouitia hæc tertiariarum censeatur adimpleuisse conditionem per habitus susceptionẽ, qui est quædam veluti probatio ad suam professionem, & monachatum. Nam nouitij Religionum iuxta communem acceptionem sæculũ deserũt, ac domos suas, & reuera materialiter monasterium ingrediuntur, incipiunt esse sub cura Prælati Regularis, vnde statim gaudent fori priuilegio, & Canonis, si delinquent à Iudice Ecclesiastico puniri nõ possunt, sed à suis superioribus, non soluunt gabellas, dispensantur à Prælatis Regularibus, etiam circa obseruantiam præceptorum Ecclesiæ v. g. ieiunij, &c. possunt etiam ordinari in sacris durante nouitiatu cũ dimissorijs à suis Prælatis, & etiã possunt ordinari ab Episcopo, in cuius Diœcesi sunt nouitij, & ratio omnium est, quia in fauorabilibus nouitij veniunt nomine Religiosorum. Hæc omnia Lezana *tom.* 3. *ver. nouitij. n.* 34. *&* 36. *& tom.* 1. *cap.* 23. *num.* 4. *& seq.* Sanch. *lib.* 6. *in decal. cap.* 10. Molin. *de iust. tom.* 1. *disp.* 139. *& to.* 3. *disp.* 671. & alij multi apud Lezanam loco cit.

7 At istæ Tertiariæ donec emittant sub habitu illo, quem volũt suscipere, votum castitatis perpetuæ, sunt, ac reputantur in omnibus merè laicæ, nec vllo gaudent priuilegio Religionis, vt patet ex Bulla Leon. X. *dum intra mentis die* 19. *Decembr. an.* 1516. ibi. [fratres autem, & sorores Tertij Ordinis, nec non mãtellati, & corrigiati, Pinzocoræ Cordellati, & alij quocumq; nomine nuncupati in proprijs domibus habitantes, sepulturã vbi voluerint, eligere valeant: sed die Paschatis tantum Eucharistiam, nec non extremam vnctionem ceteraque ecclesiastica sacramenta (Pœnitentiæ Sacramento dũtaxat excepto) à proprio sacerdote recipere, & ad onera, quæ laicis incumbunt, perferenda teneantur, ac in foro sæculari coram iudicibus sæcularibus conueniri possint, & ne censura vilescat ecclesiastica, & minoris auctoritatis interdicti sententia reputetur, ijdem dicti Tertiarij Ordinis ad diuina audienda in Ecclesijs suorum ordinũ tempore interdicti nullatenus admittantur, si causam dederint interdicto, vel causam ipsam nutriant, &c. Collegialiter autẽ viuentes, seu cum Claustralibus habitantes, ac mulieres virginalem, seu cælibem, aut castam vitam ducentes priuilegijs, quibus fratres tertij Ordinis, cuius tertiæ regulæ habitum gestant, gaudere debeant] ex qua Bulla & alia, quæ incipit *Nuper*, relata à Quaranta *v. priuilegia Regularium*. docet ex multis Squillante priuileg. Cleric. *cap.* 6. *nu.* 33. *cap.* 7. *num.* 42. *& cap.* 8. *nu.* 15. remissiue, mulieres gestantes habitum tertij ordinis, etiam in proprijs, aut consanguineorum domibus, & seorsim habitantes, tunc solum gaudere priuilegio Canonis, fori, & exemptionis, quando emiserant sub habitu, quem gestant votum simplex castitatis, prout etiam declarauit sacra Cõgregatio Emin. Cardin. quam per extensum ponit Diana *part.* 2. *tr.* 2. *resol.* 48. ex quibus patet, quam sit longa disparitas inter nouitios Religionum, ac inter eam, quę habitũ suscepit, hæc enim nunquam dicitur monacha, nec gaudet priuilegijs monacharum, seu beatarum, nisi per professionem.

Con-

8 Confirm. quia taciti, & expressi eadem est ratio, ac idem iudicium *l. cum quidam. ff. si certum petatur.* sed quando testator relinquit legatum pro monachatu non potest dari istis Tertiarijs domi suæ viuentibus, nisi professionem emiserint vouendo castitatem; vt docent Diana *par. 2. tr. 2. resol.* 84. Pellezar. de monial. *cap. 9. num. 48. & 50.* ergo etiam si quando expresserit pro monachatu suarum consanguinearum, quamuis essent monachæ tertiarię, & beatę, seu Bizochę non debetur legatum, si tantum habitum tertij ordinis sumpserint absque eo, quod professionem emserint vouēdo castitatem, quia solum in hoc casu verificatur aliquo modo eas esse monachas.

9 Vnde puto, quod quamuis istę tertiarię suam professionem emittāt sola promissione seruādi diuina pręcepta, & obligandi se ad pœnam pro eorum trāsgressione, vel promissione mutā di mores, ac vitam in melius emendandi, vel promittentes viuere secundum regulam, quę promissiones, vota non sunt, vt docet Portellus *in dub. reg. ver. tertiaria nu.* 5. Peyrin. *to. 1. priu. in constit. Iulij 2. nu.* 18. Lezana *to. 2. cap. 14. num.* 18. tamen nō consequentur legatum, nisi votū castitatis emittant, quia cum testator in suo testamento disposuit, vt daretur legatum pro monachatu virginum puellarum sibi consanguinearum, et addiderit, etiamsi fierent monache di casa; plane ostendit aliquo modo se velle ęquiparare has tertiarias cū monialibus, quod hodie post Leonem X. & declarationes Cardinalium nō habetur, nisi hæ emittant votum castitatis.

10 Præterea hæ moniales tertiariæ vulgo reputantur, ac si essēt quodammodo Religiosæ, & emittere votum castitatis in sua professione, esseque in quodam statu permanente, vt matrimonium sine graui sacrilegio contrahere non possint; imo, et sine speciali dispensatione, nam quamuis harum votum sit simplex, vt declarauit Leo X. in Bulla *nuper in sacro ann.* 1518. edita, tamen non potest ab habētibus potestatem generalem cōmutandi, & dispensādi in voto castitatis, commutari, ac dispensari: sed debet fieri talis dispensatio à superioribus suę Religionis ex peculiari modo, vt notat ex Suar. Pellizar. de monial. *cap. 1. num.* 9. ergo testator, qui censetur loquutus fuisse iuxta vsum communem, noluit legatum dare, nisi tertiariæ, quæ veluti statum sumeret, & non posset pro suo mero libito habitum deserere, et matrimonium inire Saluo tamen, &c.

QAERES LVII.

An legatum relictum pro redimendis captiuis possit expendi ad redemēdos eos, qui non sunt capti ab infidelibus, v.g. turcis, sed ab alijs hostibus fidelibus.

SVMMARIVM.

Verba testatoris quomodo intelligenda n. 1.
Captiui qui dicantur ibi.
Christiani ab alijs capti, an fiant serui ibi.
Ecclesia an teneatur christianos captos in bello ab aliis fidelibus redimire, vti tenetur ad redimēdos captiuos n. 2.
Legatum pro maritādis orphanis, an possit dari habentibus patrē

vti

1 VIdetur negatiue respōdendum, quia verba testatoris debent intelligi in proprio sensu secūdum naturalem significationem iuxta ea, quae diximus *quaest. 17. tract. praes.* & probat Menochius *lib. 6. praes. 76. n. 8.* & in sensu vero non autem ficto Anchar, *cons. 225.* Aret. *in l. qui patri n. 3. ff. de aeq. hered.* Cephal. *in cons. 82. à nu. 71.* sed christiani capti ab alijs fidelibus non sunt proprie captiui: hi enim sunt, qui in bello iusto serui fiunt: vt definit Cuiacius, & scribentes *in tit. ff. de captiuis, & de postliminio reuersis, &c.* quod de cōsuetudine non fit inter christianos, vt notat Bartolus *in l. hostes ff. de capt. & postlimin. reuer.* fine. & eruditissim. Diana *par. 7. res. 5.* & nouissime *par. 11. tr. 3. res. 1.* vbi citat Syluium, Suarez, Trullench. Hurtard. Vuigers.

2 Hanc in terminis videtur tenere Redoan. *in tr. de rebus eccl. non alien.* vbi *in rubr. 20. nu. 45.* ait, [Ecclesiam ex hoc, quod tenetur captiuos de suis bonis redimere, non per hoc generaliter teneri ad redimendos christianos captos in bello ab alijs christianis, quia hi proprie captiui non sunt] fauet etiam Sanch. qui *l. 4. cons. cap. 2. dub. 13. num. 2.* negat, legatum relictum pro orphanis maritandis, posse dari puellę habenti patrem inutilem, quia reuera haec orphana non dicitur; ergo idem dicet in casu nostro, quia hi capti vere non dicuntur captiui.

3 Verū qui tenerent, posse captos à fidelibus redimi pecunia legata ad redimendos captiuos, meo iudicio nō errarent: Immo probabilius sentirent, quia, & si vt plurimum verba testatoris debeant proprie accipi: tamen cum est aliqua coniectura etiam leuis, & verba non repugnant, quia nimirum possunt secundū latam significationem deseruire Bald. *in l. cum. visum. n. 19. ff. de fideco.* tūc potest intelligi testator etiam in eo casu locutus, vt notat Mantica *de coniect. vlt. vol. l. 3. tit. 5. n. 3.* at non leuis, immo etiam grauis coniectura est, testatorem non attendisse ad exactam verborum proprietatem; sed voluisse miseros homines ad suam libertatē pristinam reducere: quis autem negabit, Christianos captos à christianis esse in magna miseria, itaut detineantur in triremibus ad remigādum, ac vt serui in summa penuria rerum, vitae periculo, & multoties animae.

4 Confirm. quia si velimus attēdere strictam verborum proprietatem, non possent redimi christiani capti ab infidelibus, vt Turcis, &c. quia captiui sunt, qui belli iure sunt serui, vt paulo ante ex Cuiacio diximus, estq; manifestum *ex d. l. hostes, & l. hostes ff. de verb. signif. & instit.* quibus

modis ius patria potestatis soluitur §. *si ab hostibus*. sed fideles capti à Turcis, & Saracenis non sunt iure belli eorum serui, vt docet Molina *disp.* 137. *num.* 4. Couar. *part.* 2. *relect. de sent. excomm.* §. 11. *nu.* 6. & alij. ergo non sunt vere, & proprie captiui, sunt enim solum detenti à Turcis ad eorum famulatum, &c. ac sunt apud alios christianos, & sic nõ possent redimi ex pecunia legati relicti pro redemptione captiuorum, si attẽderetur proprietas huius vocis iuxta iuridicã acceptionẽ, quod nemo dicet.

5 Hanc sententiam videtur aperte tenere Glossa 12. *q.* 2. *sacrorum v. repetitionis*. vbi ait, dispositionem huius capitis, quod bona Ecclesiæ licite possint alienari pro captiuorum redemptione, intelligi de quolibet capto. & docebunt Lara, quem citat, & sequitur Diana *p.* 2. *tr.* 2. *misell. res.* 52. Nouar. *de elect. fori. sect.* 2. *qu.* 7. *nu.* 3. *in edit. nouiss.* putantes, legatum relictum pro maritandis orphanis, posse etiã dari puellis habentibus patrem inutilẽ, & absolute dabit Henricus Bucerus *tract. de bello edit.* 3. *lib.* 1. *cap.* 15. *nu.* 5. vbi ait, liberos homines, etiã inter christianos fieri captiuos, & redigi in seruitute capientium.

6 Duo tamen hic notanda sunt. primum est, non posse tale legatum expendi pro liberando captiuato à latronibus, quia reuera in communi hominum acceptione, dum dicunt captiuos, nõ veniunt, nisi illi, qui ab hostibus, cum quibus est bellum publicum, capti sunt. nisi forte hic esset in extrema necessitate, & nullo alio medio posset eius vitę subueniri; tunc enim vrget pręceptum charitatis, non ius legati.

7 Secundũ est, quod potest tale legatum expendi ad liberãdum Turcam, vel alium in legitima seruitute inter christianos, quãdo hic vellet ad fidem conuerti, & putaretur iudicio piorum, & prudentum fore, vt cederet in maiorem Dei gloriam, & bonũ nomen legis nostræ; si hic libertatem acquireret: tunc enim, et verba testatoris verificantur, vere enim hic est captiuus, et intentio testatoris non potest pręsumi in hoc casu contraria verbis.

8 Fauet huic doctrinæ Pellezarius *tr.* 4. *c.* 5. *num.* 43. *in manuali*. vbi ait, fratres de mercede nõ teneri redimere infideles captiuos, et reddit rationem, quia vbi agatur de obligatione imponenda, stricta debet fieri interpretatio, votum autem ab his emittitur hoc pacto [et in Saracenorum potestate in pignus (si necesse fuerit ad redemptionem Christi fidelium) detentus manebo] vbi expresse dicitur, *Christi fidelium*: ergo cum legatum sit fauorabile, et ample interpretandum, vt pluribus congestis probat Mantica de coniecturis vlt. volunt. *lib.* 7. *tit.* 1. per totum, & infidelis sit vere captiuus, possumus intelligere, testatorem locutum fuisse etiam de captiuo infideli, qui vellet ad Christi fidem conuerti.

QVAERES LVIII.

An domus legata nepoti sub hac conditione: vt post 20 annos debeat omnino restitui Ecclesiæ A sit restituenda si legatario filij nascantur.

SVM-

SVMMARIVM

Rationes probantes, nepotem non teneri n. 1.
Grauati restituere non tenentur, si filij ipsis nascantur n. 2.
Quid si fuit substitutus locus pius. ibid.
Affirmatiua sententia ad quæstionis decisionem præfertur ibi.
Præsumptio iuris, ac de iure, an possit contraria probatione elidi n. 2.
Dictio omnino quid importet ibi.
Coniectura pietatis cessat. vbi prouisum est descendentibus ibid.

1 NOn teneri nepotem legatarium restituere Ecclesiæ domum videbatur *ex l. cum auus ff. de condit. & demonstr. l. cũ acutissimi ff. de fide commiss. & l. generaliter §. cum autẽ ff. de instit. & substit.* ex quibus iuribus firmant de cõmuni Doctores mox citandi, successores grauatos restituere non teneri, si liberos interim procrearint, quia semper subintelligitur conditio, si sine liberis fueris, et hoc, etiamsi pius locus fuerit substitutus. sic Bald. *in d. l. cũ acutissimi n.* 4. Paul. Castren. *n.* 7. Corn. *nu.* 4. Cuman. *in d. l. cum acut. n.* 1. *ver. & per hoc idem* Soncin. Sen. *nu.* 42. *& cons.* 227. *circa finem ver. secundo ego respondeo vol.* 2. Ruin. *cons.* 182. *n.* 8. *fin. vol.* 2. Capra *cons.* 18. *n.* 5. Alexand. *cons.* 38. *num.* 5. *vol.* 6. *& cons.* 226. *n.* 3. Tiraquel. *in l. si vnquam vers. libertis num.* 64. *de reu. donat. & de priuilegio piæ caussæ priuil.* 17. Soncin. Iun. *cons.* 125. *vol.* 1. dicens n. 28. eã esse communem opinionem & *cons.* 96. *num.* 4. *vol.* 3. Mantica late probans de conc. vlt. volũ. *l.* 10. *tit.* 7. *à n.* 3. plures afferẽs. vbi nu. 15. loquitur expresse de casu nostro, nempe in legato, quod relinquitur nepoti, vel pronepoti etc. sub conditione, vt post aliquot annos illud restituat, ait enim non teneri legatarium restituere, si filius nascatur, quia semper d. conditio intelligitur, si sine liberis fueris.

2 His minime obstantibus puto, teneri nepotem legatarium post lapsum vigesimum annum, legatum Ecclesiæ restituere, non obstante, quod filios susceperit. Fundamentum est, quia prædicta legum dispositio tota fundatur in coniectura voluntatis testatoris, nec facit præsumptionẽ iuris, et de iure, contra quam nõ admittitur probatio incontrarium, vt fuse probat post Bart. *in l. ex facto §. si quis rogatus* 1. *n.* 4. *ff. ad Trebell.* Castrens. *in d. l. cum auus ff. de cond. & demonstr.* Soncinum ibi *nu.* 66. *&* 70. Rom. *cons.* 170. *num.* 7. Ruin. *cons.* 122. *nu.* 1. *lib.* 3. *in fine.* et alios plures Menochius *lib.* 4. *præs.* 89. *à nu.* 3. Sed in facto clarissime conijcitur, testatorem voluisse, vt post vigesimum annum elapsum legatum restitueretur Ecclesiæ, tũ quia posuit illam dictionem *omnino* quæ importat, vt penitus, & præcise sine vlla conditione, & dispensatione fiat actus, vt fuse Felin. *in cap. ex parte* 1. *in principio de officio delegati* Tiraquel. *in l. si vnquam in ver. reuertatur num.* 76. *&* 82. *Cod. de reuoc. donat.* Bertaz. *clauss.* 21. *gloss.* 28. *nu.* 3. Corn. *cons.* 59. *col.* 2. *vers. quod maxime l.* 2. Gemin. *in ca. vlt. de off. deleg. in.* 6. Aret. *cap.* 1. *col.* 4. *de accus.* tum quia nepos iam fuerat institutus in sufficienti patrimonio, & sic cessat coniectura pietatis, quia satis prouisum fuerat descendentibus, vt tradit Alberic. *in d. l. cum acutiss. ver. sed quod hac lege dicitur*. ergo legatarius tenetur domum legatam Ecclesiæ

siæ restituere elapsis vigintiannis, non obstante, quod filius ipsi interim natus fuerit. Saluo, &c.

QVAERES LIX.

Caius instituit hæredem Titium, & post eius mortem substituit Antonium nepotem ex fratre; nepos Caium occidit. Quæritur, an mortuo Titio, debeant hæredes in conscientia dare Antonio hæreditatem, si nequeant necem Caij factā ab Antonio probare.

SVMMARIVM

Pater filium occidens, & contra, vt illi succedat, an possit tuta conscientia succedere n. 1.
Substitutio quid sit ibi.
Negatiua opinio est probabilior n. 2.
Donatio, substitutio, &c. præsumuntur ob benemerita facta ibid.
Homicida non succedit occiso, neq; ex substitutione ibi.
Exponitur tex. Auth. vt cum de appell. & Auth. non licet Cod. de lib. præ. n. 3.
Hæreditas occisi, an competat interfectori ante sententiam Iudi*cis n.*4.

1 AFfirmatiue videtur respondere Dicastillus *to. 2. de iust. l. 2. tr. 16. disp. 1. num.* 525. iuncto *num.* 524. vbi hæc habet [Dubitari secundo potest, an defacto occidens pater filium, aut filius patrem, & idem est de alijs hæredibus, vt interfecto succedat, possit succedere tuta conscientia, donec probetur, Respondeo posse donec per Iudicē condemnetur, est enim pœna (vt nuper dicebam) quā nemo tenetur subire, aut sibi imponere. in quam sententiam videtur inclinare Sotus *lib. 4. de iust qu. 6. ar. 3.* Sà *ver. hæreditas num.* 18. & 19. & plures alij, dum docent id, quod nuper diximus ex Molina. Reum scilicet non teneri ad pœnam, quousque sufficienter probetur, & ob id condemnetur. de quo Latius in tr. de legibus, agentes de lege pœnali] ita Dicastill. ex cuius doctrina manifeste videtur inferri, quod cum Antonius sit institutus hæres (substitutio enim est secunda hæredis institutio ex Bartol. *l. 1. ff. de vulg subst*, & alijs) habet ius ad hæreditatem, nec potest eo priuari, nisi publica auctoritate, & caussa cognita, ac probata; ergo qui hoc iure illum priuat ante sententiam facit illi iniuriam, & per consequens peccat contra iustitiam commutatiuam.

2 Sed quamuis hæc sententia sit probabilis, tamen probabilius puto oppositum, nempe non teneri hæredes Titij dare Antonio interfectori hæreditatē Caij, occisi ab ipso Antonio, quāuis delictum sit occultū, & nullo modo possit probari. fundamētū est, quia Antonius præsumitur substitutus à Caio ob benemerita, & affectionē, quā erga illum habebat, & non aliter *ex l. nec adiecit ff. pro socio.* ibi [*nec adiecit Sabinus hæreditatem, vel legatum, vel donationes mortis caussa, siue non mortis causa, fortassis hoc ideo, quia non sine caussa obueniant, sed ob benemeritum aliquod accidunt.*] Quod etiam notant communiter scribentes ibi, & Bartol. *in l. ita stipulatus ff. de verb. oblig. 3. col. 4. opposit.* 4. & per consequens intelligitur institutus sub ista conditione; nisi cōtra me fuerit ingratus, vt docet Dicastill. *lib. 2. iust. tract. 5. dis.*

dis. 1. *nu.* 156. loquens de reuocanda donat. in foro conscient. vbi nu. 158: ait [cum tamen nos ad defectũ intentionis, & ad cõditionem appositam; nisi ingratitudo superuenerit, totam vim potestatis reuocandi reduxerimus: non video esse necessariã sententiam iudicis, eo ipso, quod aperte constet de ingratitudine, qua superueniente, donandi intentio non fuit.] ergo posita ingratitudine ab Antonio statim deficit cõditio, & per consequẽs intentio Caij substituentis Antonium (nam illa substitutio fuit facta ex mera liberalitate Caij, poterat enim alium quemcumque instituere) & hæreditas peruenit hæredibus Titij instituti, quare non tenentur illam dare Antonio, etiam nulla sequuta sententia, si certi sunt, quod Antonius Caium occidit. Neque obstat, quod hic simus in substitutione: nam militát eadem ratio, vnde Bald. *in l. hereditas. ver. extra quaero ff. de his, quibus, vt indignis* Barbat. *cons.* 8. *col.* 2. *lib.* 3. Cor. *cons.* 222. *l.* 4. Decius *cons.* 524. *n.* 2. expresse dicunt, homicidam non succedere ex institutione, vel alio quouis modo ei, quem occidit. Hanc sententiã proculdubio tenet Anton. Gomez *t.* 3. *c.* 3. *var. nu.* 51. *&* 52. vbi ait, homicidam non posse succedere, nec immediate, nec mediate in bonis occisi, idque probat ex multis iuribus, & Doctoribus, nullamque facit mentionem, quod hæc dispositio sit pœnalis.

3 Et idem etiam dabit in nostro casu Dicastill. nam dum ait, posse occisiorem retinere hæreditatem, eo quod dispositio *Authen. vt cum de appellat. cognos.* §. *& hæ quidem exhæredationis, & auth. non licet. Co. de leberis, præter.* sit pœnalis, loquitur quando filius est hæres institutus, vel alius legitime succedens, prout ipse textus, quem allegat pro fundamento explicat [*Non liceat parenti aliquem ex liberis exhæredare, vel præterire, nisi is probetur ingratus, & ingratitudinis causas nominatim inserat testator in testamento*] nos autem loquimur quando institutus hæres est mere extraneus, nec habet ius succedendi testatori, nisi ob eius beneficium, quo casu est mera donatio liberalis, & sic per Dicastill. loco supra cit. etiam ante Iudicis sententiam hæreditas non competit ipsi Antonio occisori defectu intentionis testatoris, & conditionis, sub qua fuit institutus.

4 Hinc infero, quod hæredes Titij non incurrunt excõmunicationem, si ea fertur contra detinentes bona Titij restituenda Antonio, nec qui sciunt hæredes bona abscondisse tenẽtur reuelare quia præceptum Papæ, vel Episcopi debet esse de reuelandis, vel exhibendis bonis ipsius Antonij: vt *tract.* 4. dictum est, hæreditas autem Caij nõ competit Antonio, eo quod illum occidit, etiam ante vllam probationem in iudicio factam, nedum ante sententiam iudicis, vt probauimus.

QVAERES LX.

An Titius, qui vt falsificaret magnum incartamentum, vt vocant, fecit multas expensas nomine Caij petentis falsificationẽ, possit petere expensas factas, & Caius teneatur soluere, si Titius pœnitentia ductus nolit vlterius prosequi, & incartamentum falsificare.

SVM-

SVMMARIVM

Casus positi difficultas n. 1.
Tenetur ad expensas Caius, quamuis nolit Titius amplius prosequi in falsificatione incartamēti n. 2.
Cessans ab opere malo alteri promisso fidem non frangit n. 3.
Promittens opus malum non tenetur soluere interesse promissario, ex iniqua promissione ibi.
Magus promittens alteri maleficium, quas expensas possit petere, si eum pœniteat n. 4.
Mulier, an possit retinere donata sibi occasione peccati, si nolit illud facere ibi.
Tacita compensatio quando habeat locum in d. casibus n. 5.

1 DEcisionem huius casus non facilé apud alium reperias, estque diligenter notanda, quia vidi doctissimos Neothericos à me consultos in varias abire sẽtentias.

2 Dico igitur breuiter, teneri Caium soluere expensas, quas Titius fecit in transcribendis scripturis, quamuis is nolit pœnitentia ductus totum incartamentum falsificare. Ducor hoc discursu. Titius in hoc casu duas personas repræsentat primam mandatarij ad falsificandum totum incartamentum, secundam procuratoris, seu agentis ipsius Caij ad procurãdas varias scripturas, quæ requirebãtur adhoc, vt incartamentũ appareret; pro vt mãdatarius est, debet habere lucrum promissum v. g. centum aureos, prout egit negotia Caij, & illius extitit, veluti procurator, debet resarcire sibi expensas factas nomine ipsius Caij, & quas Caius facturus esset, vt clarum est, ac in iure adeo per se notũ, vt Caietan. *in tr. de monte piet. c. 6.* dicat; Indisciplinati esse quærere probationem huius assertionis, hoc posito, sic probo datã resolutionem, quod Titius nolit totum incartamentum falsificare, solum facit, ne Caius teneatur ad dandum promissum stipendium pro falsificatione, eumque liberat à solutione pręmij pro labore vsque ad illũ diem suscepto à Titio, & immediate ad falsificandum totum incartamentũ requisito ex Less. *lib. 2. c. 18. dub. 3.* Molin. *tr. 2. d. 74. col. 2.* Em. *Sà. v. promissio n. 2.* Nauarr. *l. 4. ca. 2. num. 132.* Vasqu. *ca. 7. de restit. dub. 14.* & alijs, cum Dicastillo *l. 2. tr. 4. dis. 1. dub. 11. de iust.* At non liberat à solutione expensarum, quæ factæ sunt à Titio nomine ipsius Caij ad trãscribendas aliquas scripturas requisitas v. g. testamentũ aliquod vere factum, aliquot contractus in Archiuio positos, &c. quia sicuti si alius tertius ex parte Caij expensas fecisset ad illas scripturas transcribendas, non liberaretur Caius à solutione expensarum soluendarum illi Tertio, quamuis Titius noluerit totum incartamentum falsificare, vt constat, sic nec liberatur, nec potest nõ soluere tales expensas factas à Titio, non obstãte, quod ipse nolit mandatum falsificandi scripturas exequi, quia per accidens est, quod concurrant duo munera in eadem persona.

3 Nec dicas Caium fuisse à Titio deceptum, & si sciuisset, quod eum postea pœniteret, ac nollet falsificare incartamentum non expendisset illam pecuniam in trãscribendis illis contractibus, seu scripturis.

Nego enim, Caium fuisse deceptum à Titio, sed à se ipso, debebat enim existimare Titium esse

esse Christianum, ac teneri ab incepto opere, & à data promissione recedere, ac posse id facile euenire, & sic nulla fuit deceptio ex parte Titij, posito quod cũ promisit habebat animum exequendi, alias si fuisset deceptio, ex hoc ipso, quod fuit facta promissio falsificãdi incantamentũ, ipse Titius teneretur soluere interesse, quod obuenit Caio ex eo quia noluit exequi promissum, quod est omnino absurdum.

4 Ex hac resolutione infertur primo Decisio multorum casuũ similiũ. v. g. magum, qui promisit facere maleficium, & in ordine ad hoc fecit expensas ad emendas res, quas vt necessarias ad maleficiũ emit ex commissione mãdantis maleficium, posse illas petere, & mandantem teneri eas soluere Mago, & si nolit maleficium perficere: non tamen posse petere v. g. lucrum, quod amisit ex sua propria arte, vt si fuisset artifex, & aliquot dies expendisset ad maleficium componendum, quia hoc detrimentum accipit præcise, vt mãdatarius: ergo posito, quod non vult mandatum exequi, & complere maleficium, mandans ad nil tenetur. Illas autem expensas fecit, vt procurator, & negotiorũ gestor mãdantis, & sic potest eas recuperare, similiter mandatarius ad occisionem, potest petere expensas factas, si cũ peteret v. g. ensem, vel sclopetum à mandante, ille dixit: eme tibi, & ego soluam; at non potest petere expensas itineris, &c. ad inimicum inueniendum, & sic de alijs similibus. Tandem mulier, quæ cum esset pauper, & incõpta fuit à principe quodam viro ad turpia pellecta, & illa promisit, & per hoc accepit summam pecuniæ ad hoc, vt se decenter componeret, & vestes pararet, si nolit postea peccare, non tenetur expensas factas restituere; sed tantum vestes, quas habet emptas ex pecunia amasij.

5 Infertur secundo, posse dictos mandatarios pro expensis, quas fecerunt nomine mandantis, si is nolit illas soluere in casu quo ipsi opus malum nollent patrari, posse inquam, facere sibi tacitam compensationem, vt patet ex materia iustitiæ, et ex dictis à me *de virt. Relig. tr.* 4 *l.* 1. *disp.* 16. *à nu.* 20. cum Fagundez *lib.* 2. *c.* 20. *a n.* 4. Molin. *tom.* 2. *de iust. dis.* 560. Gregor. López *lib.* 21. *tit.* 14. *part.* 5. Andr. Tachin *lib.* 11. *controuers. cap.* 7.

QAERES LXI.

Titius accepit mutuos mille à Caio hoc pacto; aut post annum restituam tibi mille, aut soluam censum, ad rationẽ quinque pro centenario iuxta pragmaticam. Quæritur, an volente Titio soluere mille, possit Caius tuta conscientia renuere, ac velle solutionem census.

SVMMARIVM.

Responsio affirmatiua aliquorum n. 1.
Electio in obligatione alternatiua, aut subrogatiua, cuius sit ibi.
Promissio alternatiua cuius fauore facta præsumatur, promittentis, an promissarii ibid. & n. 3.
Negatiua sententia præfertur n. 2.
In alternatiuis rerũ, & soluendi electio est debitoris ibi.
Soluuntur argumenta Aduersarij n. 3. 4. *&* 7.
Alternatiua exigendi ponitur in gratiam creditoris n. 3.
Subrogatio non erit, vbi deest prin-

ci-

Principalis promissio n.4.
Debitor non potest cogi ad soluendum prius accessoria debito n.5.
Quid si promittat intra tale tempus soluere, aut dare pignus ibi.
Promissio soluendi censum, si capitale non soluatur venit aeque principaliter in obligatione n.6.

1 AFfirmatiue respondit non indoctus Theologus motus ex eo, quia vel ista obligatio est alternatiua, vel est subrogatiua vnius loco alterius, vt si sēsus sit, soluam mille, et si non soluam dabo censum annuum: quo modocumque dicatur semper electio est creditoris, vt docet loquens de alternatiua obligatione Bald. *in l. fin. col. penultima post princ. ver. quaero in isto Cod. de pet. haer.* Purpar. *cons.* 188. *nu.* 1. *lib.* 1. praesertim cum in dubio, promissio alternatiua censeatur facta in fauorem creditoris ex Paris. *in comment. de vsur. n.*241. Et quādo sumus in subrogatione loco rei principalis, veniētis in obligatione, quod tūc sit electio creditori, tradit Gratia. lib. 6. discep. for. *c.* 338. *n.* 1. adductis Alberic. *in l. praescriptis §. si pacto col.* 3. *num.* 4. *ver. aut obligationes sunt simul. ff. de pactis* Simō. de Pretis *cons.* 13. *num.* 12. Goffred. *cons.* 19. *num.* 7. *fin.* et alijs: ergo, cum Caius sit creditor potest eligere, ac nolle solutionem, seu crediti; sed potest cogere Titium debitorem praecise, vt soluat cēsum, ad rationem quinque pro centenario.

2 Sed negatiuam sententiam tenendam esse puto in casu nostro: nimirum teneri Caium acceptare mille, quae sibi soluuntur à Titio debitore. Ratio est, quia hic sumus in alternatiuis rerum & soluendi; nempe, aut dabo mille, aut censum soluam, & sic electio datur debitori *capit. in alternatiuis de reg. iur. in* 6. *l. plerumque ff. de iure dot. l. lucius ff. de leg.* 2. *& in l. si ita distrahatur,* vbi Iacob. Aret. *ff. de contr. emp.* Barbatius *cons.* 15. *vol.* 2. *nu.* 30. *col.* 10. Ergo contra iustitiam facit Caius volens coarctare Titiū debitorem ad vnam tantum partem, eiusque ius lędit.

3 Atque ex hoc fundamento patet solutio ad adducta in contrarium. nam ad primum dico, quod ea doctrina, vt in alternatiuis sit electio creditoris, procedit quando sumus in alternatiua exigendi, vt si dicas; soluat Titius, vel Caius, tunc enim, cum sit posita in gratiam creditoris, & ad eius maiorem securitatem, electio est ipsius. sic expresse Barbatius *dict. cons.* 15. *num.* 30. Asin. *de execut. §.* 7. *c.*268. *col.* 1. *in fin. num.* 5. *fol.*237. at in casu nostro sumus in alternatiua rerū debitarum, & sic electio est debitoris. praesertim cum in dubio promissio alternatiua cēseatur facta fauore ipsius debitoris, vt tradit Iason. *in l.* 1. *n.*7. *in fine. ff. qui satis dare cogantur.*

4 Ad secundum respon. 1. In nostro casu nullam esse subrogationem, non enim extat promissio principalis, vt, soluam mille intra annum, et postea ad securitatem additur, aut soluam censum ad rationem quinque pro centenario, sed, vt dicebam, vtrumque quod promittitur aeque principaliter est in obligatione, et solutione, vt denotant illa verba, aut soluam mille intra annum, aut censum. quam differentiam sumo ex Barbatio *d. cons.* 15. *num.*30. vbi ait. [Nec obstat si quispiam dixerit, quod non sumus, in alternatiuis, quo casu regula est, quod electio datur debenti soluere, quia illud est

est verum, quando alternatiua cadit inter duo, quorum vtrumque est in obligatione, & solutione; sed in casu isto vnum est in obligatione, sed aliud ponitur ad cautelam creditoris] ita Barbatius.

5 Respond. 2. quod quamuis darem istam obligationem esse conceptam sub conditione, vt soluam mille post annum, et si non potero dabo censum annuũ adhuc dico, non esse electionem creditoris, vt si debitor velit soluere debitum principale, possit ipse illum cogere ad soluendum accessorium, seu positum ad cautelam: sed contra si velit debitor soluere minus principale, seu positum accessorie, puta cẽsum, posset creditor cogere ad soluẽdum mille in fine anni, nec aliud intendunt Doctores citati in contrarium, vt patet ex sententia Bartoli *in l. quamuis ff. de pignor. act.* vbi dixit, quod si debitor promisit soluere intra mẽsem, vel dare pignus, & eueniente tempore, creditor petit sibi solui, & debitor offert pignus, creditor poterit præcise eligere sibi solui, quam opinionem magis receptam esse testantur Iasõ. *in l. 1. num. 5. & 6. ff. qui satis dare cogantur & in l. 4. §. si ex conuentione nu. 6. ff. de re iudic.* Sylu. *in cons. 102. num. 7.* & alij apud ipsos, Surdus *cons. 402. num. 33.* Bald. & Castr. *in d. l. quamuis,* & sic etiam iuxta hanc sententiam dicendum est, non posse Caium non acceptare mille, et velle censum, quod fuit subrogatum, quod erat à me probandum iuxta casum propositum.

6 Puto tamẽ, quod si Titius vellet dare censum, non posset Caius creditor resistere, quia vt dixi, electio est ipsius debitoris, cũ simus in alternatiua rerum, quarum quælibet est sub obligatione, et solutione: nam solutio cẽsus, nec de natura sua est pro assecuratione, vt est pignus, nec ex vi cõtractus hoc habet, sed æque principaliter venit in obligatione.

QVAERES LXII.

An hæres defuncti iniuste infamati possit pecuniam infamantis retinere, ad hoc, vt recompenset infamiam.

SVMMARIVM

Infamatus potest recompensare iniuriam sibi factam pecunia n. 1.

Famæ restitutio, an sit personalis n. 2.

Hæres infamati potest eamdem compensationem facere in pecunia, quam poterat defunctus infamatus n. 3.

Fama est restituenda post mortem infamati ibi.

Hæres iniuriam passi potest iniuriam remittere, & facere transactionem cum iniuriam faciente n. 4.

1 Posse ipsum infamatum recõpensare iniuriam sibi factam non solum retinendo pecuniam vel aliud, quod apud se habet infamantis, qui cum possit, non vult famam ablatam restituere: sed etiam auferendo illa ab ipso infamãte, docuit nouissime Bardi in select. *lib. 1. qu. 11. nu. 5.* ex Less. & Eminentissimo sapiẽtia, ac dignitate Ioãne Delugo, quibus addo Amicum *de iust. disp. 37. nu. 167.*

2 Difficultas autem est, an in casu à me posito, in quo nõ loquor, quando infamia defuncti ad ip-

 sos

hæredes redundauit; tunc enim certum est, eos posse pecunia accepta ab infamante famam recompensare, iuxta Doctores cit. In casu autem posito videtur negatiuam sententiam docere nouissime Thomas Tamburin. *in decal. lib. 9. cap. 3. §. 3. nu. 2.* (nā in terminis casum reperire non potui) ait enim [& famæ quidē restitutio personalis est, at damnorum est realis, vnde fit, vt hęredes infamati restitutionem damnorum temporalium petere possint, cum obligatio realis afficiat bona defuncti; non vero possint petere restitutionem famæ, nisi etiam in ipsos infamia redundauerit] & idem videtur apertius tenere Amicus *de iust. disp. 37. num.* 122. vbi ait, hæredem dfuncti infamantis non teneri ad recompensationem famæ, quia restitutio famę est personalis, cum tamen ipse putet, infamatum posse compensare famam cum pecunia infamātis, vt supra diximus.

3 Ceterum dicendum censeo, posse hæredes infamati pro fama ablata à defuncto facere eādem compensationem pecuniariam, quam poterat facere ipse defunctus infamatus, si vixisset: fundamentum est, quia vt ex commun. tradit Amicus *de iust. disp.* 37. defunctus infamatus habet ius, vt sibi fama restituatur ab iniuriante etiam post mortē, & infamator tenetur famam illi restituere, dumque nō restituit, cum potest, facit defuncto iniuriam, nam fama etiam post mortem permanet iuxta Ecclef. 41. [*bonum nomen permanebit in æuum*] ergo hæres, qui representat personam defuncti in omnibus, & per omnia, ac succedit in vniuersum ius ipsius, vt docent communitèr Doctores cum Gomez *t. 3. var. c. 3. nu.* 64. habet hoc ius, vt nolente infamatore restituere famam defuncto; possit vti compensatione pecuniaria, sicuti poterat defunctus.

4 Probatur hæc consequentia, quia non obstante, quod iniuria sit personalis, tamen hæres iniuriati potest iniuriam remittere, vel transactionem facere cum iniuriante eo modo, quo posset ipse iniuriatus, si viueret, vt probat Molin. *tr. 4. disp. 45. num. 7.* ergo potest etiam prosequi ius defuncti quoad hoc, quando infamator nollet famam restituere, & facere compensationem in pecunia, sicuti potest ipse defunctus, iuxta probabilem sententiam Doctorum, quos initio quæstionis adduxi, pro qua multos etiā, & graues Theologos refert Dicastill. *de iust lib. 2. tr. 2. d. 12. du. 12. num.* 225. nec video vllam disparitatem.

QVAERES LXIIII.

Quanam quantitas pecuniæ possit ab hærede capi, ad recompensationem iniuriæ defuncto factæ.

SVMMARIVM

Prudentum iudicio talis quantitas est determinanda n. 1.

Non est tamen habendus respectus hæredis, sed defuncti iniuria affecti n. 2.

Non datur in ea determinanda locus affectioni n. 3.

In actione iniuriarum, an detur iuramentum ibi.

An sit in determinanda summa pecuniæ, seruanda proportio geometrica n. 4.

Consuetudo panormitana, quot tarenos constituat soluendos pro iniuria ibid.

Quid alibi seruetur ibi.

SVM-

1 Respondeo in hac re non posse vniuersalem regulã assignari: sed debet accipi eam pecuniæ quantitatem, quæ secũdum prudentum existimationẽ æquiualeat famæ deperditæ, sic Bardi in selectis *lib. 1. qu. 11. nu. 4.* et Doctores docentes, posse iniuriam compensari pecunia: sed vt Confessarij præ manibus habeant aliquam regulam pro praxi.

2 Dico primo, quantitas pecuniæ, quam hæres potest capere pro compensatione iniuriæ factæ defuncto non est mensuranda iuxta qualitatem personæ hæredis faciẽtis compensationem, sed personę defuncti iniuriam passi. Itaut si Titius v. g. sit hæres Caij, et sit nobilis, Caius vero sit ignobilis, & infimæ conditionis parua pecunię summa, vel alterius rei sit capienda, quę habeat proportionem cum cõditione personę iniuriatæ: nam Titius non prosequitur iniuriã, nisi vt repræsentans personam defuncti, vt dictum est qu. prec. & iniuria eo cẽsetur minor, quo vilior est persona iniuriata, seu infamata *ex l. pretor §. atrocem ff. de iniurijs*, ergo hæres non potest accipere pecuniã, vel quid aliud cõmensuratum cũ sua dignitate, sed cũ illa defuncti, cui facta est iniuria per detractionẽ.

3 Dico secundo, dicta quantitas non est mensuranda iuxta affectionem infamati, vel eius hæredis, vt si diceret, potius voluissem ammittere mille aureos, quam hanc infamiam pati, vel soluissem centum aureos, si hæc iniuria, seu famæ diminutio mihi facta non fuisset, iuxta Bartol. post Gloss. *in l. iniuriarum 11. ff. de iniurijs*, sed est attendenda qualitas personæ infamantis, vt dictum est, & vsus etiam regionis illius; vnde debet non secũdũ affectionẽ, sed secũdum rectum prudentum iudicium æstimari. ratio est, quia etiam in actione iniuriarum pro foro externo, in qua actor dat iuramentũ affectionis, vt diximus; tamen statur moderationi iudicis secũdum communiorẽ sententiam; de qua Bertrand. *l. 8. cons. 74.* Clarus *l. 5. sent. §. iniuria qu. 10. v. sed numquid.* Io. Faber. *instit. l. 4. de iniurijs*, & quidem hæ duæ regulæ mihi sunt certissimæ.

4 Dico tertio, non esse in hac re procedendum semper secundũ proportionẽ geometricam, ita vt quo maior sit personæ dignitas, eo maior sit danda pecuniæ summa; nam si pro detractione famę alicuius artificis v.g. putes, dandos esse decem aureos: pro detractione famæ curialis quatuordecim: pro detractione aduocati viginti, abiremus in infinitum; sed est statuendus terminus, vltra quem egredi non liceat, sicuti fit etiam ex statutis multarum regionum. de iure enim Saxonico iniuriæ æstimatio non potest excedere 30 solidos. licet alijs 15 soluantur, vt notat Oinotonus *tit. de iniurijs §. pœna autem.* & in consuetud. Panor. cum *cap. 24.* pro iniuria facta vili personæ tantum quatuor tareni auri sint soluendi, cap. 25. absolute pro iniuria illata alijs cum percussione sine liuore relicto, vel signo, statuũtur tareni auri 35 & non vltra. sic ergo similiter procedendum est in casu nostro ad iudicandum pro foro conscientiæ, quantam pecuniæ summã possit hæres infamati capere ab infamatore nolẽte tamen restituere; si enim infamatus sit persona nobilis, siue Princeps, siue

Dux, siue priuatus posset capere cẽtum aureos, si sit honestæ cõditionis, vt doctor v. g. 50 aureos; si sit popularis 25 hoc videtur arbitrium conforme valde rationabilibus consuetudinibus; nõ enim hic ago de interesse, vel damno, quod passus est infamatus iniuste, sed præcise iniuriam illam, seu infamiam æstimo, quã probabilis, & tuta sententia putat, posse pecunia resarciri, si quis melius quid afferat, libẽter illum excipiam.

QVAERES LXIV.

An venditio castri cum pacto de retrouendendo sit licita, vbi ponitur casus valde curiosus, ac difficilis.

SVMMARIVM.

Facti species n. 1.
Negatiua sententia vnico fundamento stabilitur n. 2.
Vsura non est, vbi non est mutuũ, saltem virtuale ibi.
Cõtractus godere à godere quid n. 3.
Eius rescibilitas pendet à voluntate emptioris, vel vtriusque ibi.
Variæ sunt Doctorum opiniones circa iustitiam huius contractus godere à godere n. 4.
Fructus percepti ex re vendita cũ pacto de retrouendendo fiunt emptoris n. 5.
Ex re pignori data fructus sunt domini rei n. 6.
Quid faciendum cum aliquis petit mutuum, & offert in pignus ciuitatem &c. ibi.
Creditor emens fundum in pignus destinatum: cũ pacto de retrouendendo, tollit pignoris naturam, & realem obligationem, & ipse est verus dominus fundi n. 7.
Mutui natura est, vt mutuans nõ possit repetere, saltem pro aliquo tempore sortem n. 8.
Emptio cum pacto de retrouendendo, etiamsi sit læsio in pretio, non potest dici contractus fæneratitius n. 9.
Contractus initus à persona bona fama non solita vsuras exercere, non est præsumendus vsurarius n. 10.
Coniectura de contractu simulato, quæ sint n. 11. & 12.
In dubio standum est instrumento n. 13.
Agens de cõtractu simulato succũbit, ni exprimat causas certam, & claram simulationis n. 14.
Circumstantiæ in facto conuincũt fuisse veram emptionem n. 15.
Quæ hæ sint numerantur à n. 16.
Declaratio facta in morte, quando præsumatur vera n. 17.
Legitima probatio fit per testes, & instrumenta, & partis confessione n. 18.
Valor baroniæ quomodo computetur n. 19.
Læsio non potest esse scienti valorẽ rei, & consentienti n. 20.
Neque venditor infra dimidium iusti pretij potest agere ad rescissionem contractus, si sciebat valorem rei ibi.
Vẽditio facta cũ iudicis decreto, nõ potest rescindi remedio l. 2. n. 21.
Aliquem non esse solitum fænerari, vnde probatur n. 22.
Nobilis persona difficile præsumitur vsurarius n. 23.
Solitus fænerari is dicitur, qui per triennium vsuras exercuit ibi.
Ex modicitate pretij, & pacto de retrouendendo non probatur vsura, nisi alia concurrant n. 24.
Exponitur cap. illo nos de pignor. cum cap. ad nostram de empt. & vend. ibi.
Pretium modicum non dicitur, nisi sit infra dimidium iusti n. 25.

Cum

1 CVm Titius indigeret ingẽtisumma pecuniæ, illam mutuo petijt à Caio, qui noluit illi dare, sed voluit emere vnum ex castris Titij cum pacto, vt quandocumque vellet, illud posset Titius redimere pro eodem pretio, quæritur: an talis contractus fuerit vsurarius, & per consequens, aut irritus, aut irritandus.

2 *Respond.* negatiue, fundamẽtum est, quia hic contractus est veræ emptionis, & venditionis, ergo non potest esse vsurarius, hæc consequentia est apud Doctores omnes indubitata: nam dum definiunt, vsuram esse lucrum immediate prouenienꝭ ex mutuo, explicant, quod vbi nõ est mutuum saltem virtuale non potest esse vsura, vt videri potest Lessius *lib. 2. cap. 20. dub. 3. num. 20. & seq.* Bonacina *de contr. dis. 3. quæst. 3. punt. 2. num. 1. 2. & 3.* Layman *lib. 3. tr. 4. cap. 16. n. 1.* vbi ex congestis per Gratianum 14. *qu.* 3. S. Thomas 2. 2. *q.* 78. D. Anton. *par. 2. tit. 1. ca. 7. §. 8.* Nauarr. *comment de vsuris num. 4.* & alijs communiter, concludit [quare vbi mutuum, seu expressum, seu tacitum, et virtuale nõ est, ibi vsura etiam locum non habet] neque in hac consequẽtia est difficultas apud Doctores.

§. I.

Antecedens, quod hic cõtractus sit veræ emptionis, & venditionis.

3 PRobatur primo, quia contractus emptionis cum pacto de retrouendendo non est cõtractus a godere à godere [nã vt loquitur Scaccia mox citandus] resciſſibilitas aliorum contractuum pendet à voluntate venditoris, qui habet facultatẽ redimendi ad suum beneplacitũ, at resciſsibilitas istius (nempe contractus à godere à godere) pendet à voluntate emptoris, vel vtriusque, prout late explicauimus infra *num. 475. & seq. & n. 491.*] ita Scaccia *de cãb. §. 1. quæst. 1. nu. 472. & num. 473.*

4 Atque adeo in nostro casu nõ debemus discurrere sicuti discurrimus in contractu à godere à godere, in quo sunt variæ Doctorum opiniones de eius iustitia, & multæ afferuntur limitationes, et distinctiones de quibus Couarr. *var. resol lib. 3. cap. 9. initio, & nu. 2. prope finem.* Azor. *instit. mor. par. 3. lib. 9. tit. de soc. cap. 20 ver. quæritur ver. meo iudicio ver. ex his,* Alex. *cons. 54. sub num. 1. lib. 6.* & alij.

5 Probatur secundo talem contractum esse veræ venditionis, & emptionis, ac ementem facere fructus suos, quia quamuis Titius indigens pecuniæ summa, illam mutuam petierit à Caio, tamen dictus Caius fecit iuxta cõsilium Doctorum, ex communi sententia, audi Molinam *dis. 320. num. 3.* ibi [Illud etiam obserua quando aliquid acciperetur nõ in pignus, sed emptum pro pecunia, quã offerens pignus postulabat, attamen emptum cum pacto de retrouendendo, hoc est, quod quando is, cuius res illa erat, pretium restitueret, acciperet eam emptam pro eodẽ pretio, atque adeo prior venditio finiretur, tunc absque vsuræ vitio prior emptor reciperet fructus non cõputandos in sortem, ratio est quoniam iam tunc fructus illi non perciperentur ex re aliena, sed ex propria. Interim dũ non restitueretur ei pre-

tium

tium, quare si res illa eo tempore periret, vtique periret ipsi, et non ei cuius antea erat. Ita affirmant ordinationes lusitanæ *lib.* 4. *tit.* 14. §. 2. et consentit cõmunis Doctorum sententia] ita Molina.

6 Qui subdit ad rem nostram auream doctrinam [hinc Gaiet. 2. 2. *q.* 78. *ar.* 2. *circa responsionẽ ad* 6. rectè admonet eos, qui à principibus accipiunt ciuitates aliquas in pignus pro pecunia, qua principes indigent, & eis tradunt, si absque vsuræ vitio, restitutionisque onere efficere volunt fructus illarum suos, nõ computando illos in sortem emere debere eas ciuitates pro eadem pecunia cum pacto de retrouendendo, eaque via licitè efficerent fructus suos.]

7 Hoc sane consilium sequutus est Caius, dum tradidit pecuniã, qua Titius indigebat, & baroniam, seu castrum accepit, illam emendo cum assensu regio cum pacto de retrouendendo, eamdem doctrinam tradit Layman *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 16. *num.* 57. vbi tradens iustos titulos lucrandi fructus ex pignore absque diminutione sortis ait; [secundus ex communi doctrina apud Gaietanum 2. 2. *qu.* 78. *art.* 2. *ad* 6. Sotum *cit. art.* 2. *ad finem.* si creditor fũdum, qui pignori destinatus erat certo pretio, emat, cum pacto retrouendendi, tunc enim pignoris naturam, realemque obligationẽ amittit, & possessori tamquam vero Domino fructificat, eiusdemque periculo perit, nam licitam esse vẽditionem cum pacto redemptionis apposito, constat ex *l.* 2. *C. de pactis inter empt. & venditor.*] ita ille.

8 Probatur tertio, talem contractum esse veræ venditionis, quia non potest dici mutuum palliatum: nam valde recedit talis contractus à natura mutui, cum is, qui dat pecuniam, eam repetere non possit, & sic est vera venditio, vt in terminis loquitur Scaccia de cambijs §. 1. *qu.* 1. *num.* 473. ex Soto *lib.* 6. *de iust. & iure q.* 5. *art.* 3. *concl.* 2. *col.* 2. *fol.* 595. Molina *dis.* 375. *num.* 3. ibi [in primis, quia ad vsuram requiritur mutuũ saltem virtute, vt in materia de vsura, & alias sæpe visum est: ad mutuum autem necessaria est facultas in mutuante repetendi pro aliquo tempore sortem, quod in re proposita non cernitur: supponimus enim, nullam esse potestatẽ in emente ad pretium repetendum, sed solum in vendendo (legendum puto in vendente) ad rem pro pretio redimendam si velit] quid clarius, & magis in terminis dici poterat.

9 Quarto, id ipsum probatur ex doctrina Scacciæ §. 1. *qu.* 7. *p.* 2. *ampl.* 10. *sub num.* 6. *ver. attende quinto fol.* 327. vbi ait [quamuis alter ex contrahentibus sit deceptus, seu læsus vltra dimidiũ iusti pretij, tamen supposito casu, in quo vere constet vtrumq; contrahentem habuisse animũ faciendi contractum emptionis, & venditionis, talis contractus posit dici solum iniustus, & ex hoc capite poterit agi ad rescissionem, vel ad supplementum iusti pretij alternatiue, vt dixi, sed non poterit dici contractus simulatus, aut pignoratitius, seu vsurarius, etiamsi in cõtractu adesset pactum de retrouendendo, & emptor esset solitus, fœnerari, vel similes contractus facere, quia etiam vsurarij posũt celebrare contractus veros, et quandoque vere, & non simulate celebrant, et in certis cesšat

con-

coniecturæ Cæpol. *tract. de simul. contract. sub num.* 201. *&* 202. *tom.* 7. *fol.* 11. et hę coniecturę facerent fidem in foro exteriore non supposita certitudine voluntatis contrahentium, quod voluerint emere, et vendere, per ea, quę dixi infra *num.* 23. secus autem, vt dixi, supposita certitudine voluntatis, et cõsequenter supposita hac certitudine non posset agi ad nullitatem contractus, quamuis cũ lęsione concurrerent prędictę coniecturę] ita Scaccia.

10 Ergò multo minus in casu nostro pręsumẽdus est contractus vsurarius, et pignoratius, cum ex vna parte constet, vt mox ostendam, hos contrahentes voluisse celebrare contractum vẽditionis; et Caium emptorem nõ esse solitum fęnerari, sed fuisse virum probum, et eius probitas omnibus est nota, neque vlla fuit deceptio in pretio.

§. II.

Probatur hæc consequentia quoad singula.

11 ET primo quod cõstet, cõtrahẽtes voluisse celebrare cõtractum emptionis, et vẽditionis, patet 1. quia hic nullę sunt præsumptiones, et cõiecturæ de contractu simulato, et omnes coniecturę de contractu verę emptionis adsunt, vt discurrẽti patebit per omnes coniecturas, quas affert Cępolla *in tract. de contr. simulato*, hic enim non fuit facta statim locatio eiusdẽ oppidi vẽditi ipsi vẽditori; sed emptor illud sẽper retinuit, & retinet adhuc in præsenti, non fuit pactum de retrouendendo ad certum tempus, vt non possit redimi, nisi post octo annos, &c. sed fuit absolutè pactum de retrouendendo in perpetuum ad beneplacitũ vendẽtis, nõ fuit data ipsi Caio emptori optio, vt emeret oppidum, quod vellet ex ijs, quę possidebat ipse Titius, sed fuit assignatum oppidum certum, & non est melius, ex his, quę habet Titius.

12 Et talis contractus venditionis non est celebratus, clam, & occulte, sed palam, & cũ assensu regio, quæ considerationes excludunt contractus simulationem, et faciunt certam voluntatem contrahentium, quod re vera voluerint celebrare verum contractum vẽditionis, et emptionis.

13 Confirmatur primo hęc consequentia quoad hanc partem, quia in dubio stãdum est instrumento, nec contractus præsumitur simulatus, vel vsurarius, *l. si maritus ff. qui, & à quibus C. fin. de renun. in* 6. Bart. *in consilio Petrus Nicols* Bald. *in cap.* 1. *§. si instrumentum in tit. de noti. feudi, & in l. rogasti §. si tibi ad finem ff. si certum petat:* et notat Cæpolla *de contr. simul. nu.* 181. *& seq.*

14 Et agens de contractu simulato, debet exprimere causam certam, et claram simulationis, alias debet succumbere, vt aduertit idem Cępolla *num.* 188: Afflict. *in cap.* 1. *in princ. num.* 14. *de feud. dato in vicem legis comiss.* Roland. *cons.* 96. *num.* 14. *lib.* 4. Neuiz. *lib.* 6. *silua. nupt. num.* 47. Decius *cons.* 36. *num.* 6. Rota Roman. *simulationis vẽditionis luna* 14. *Maij* 1601. Farinac. *in nouiss. decis.* 192.

15 Confirmatur secundo eadem consequẽtia quoad hanc partẽ, ex consideratione, et inspectione omnium circumstantiarum

quæ

quę in hoc facto interuenerunt, nam aperte conuincunt veram emptionem, et venditionem.

16 Primo fuit instãtissime rogatus Caius, secundo, cum is in prompta pecuniæ summam illã non haberet, accepit eam mutuo à mercatoribus cum solutione interesse ad 12. pro centenario. tertio fuit initus contractus iuratus palam, & expectatus regius assensus pro venditione absoluta, & posito regio assensu iterum confirmatus.

17 Titius tandem in morte iterũ declarauit, venditionem castri à se factã fuisse veram venditionem, & habuisse reuera animũ celebrandi contractum veræ venditionis, quæ declaratio nõ potuit certe tendere, & inseruire, ne venditio rescinderetur, quia erat pactum de retrouendendo in fauorem venditoris, sed solum potuit inseruire, & fuit facta ad hoc, ne posset Caius emptor molestari hoc prætextu, quod fuerit simulata vẽditio, & ad hoc vt faceret fructus suos, et ne molestaretur, neque potest præsumi, in illo articulo Titiũ fuisse suæ cõsciẽtiæ immemorẽ, vt voluerit in periurio permanere, & asserere cõtractum simulatum esse verum cũ magna iactura bonorum suorũ hæredum, per ea, quæ habet Mascard. *de prob. vol. 2. concl.* 1078. *num.* 1. *ex l. vlt. Cod. ad legem Iul. repetund.* Gramm. *cons.* 65. *n.* 1. Care *in sua praxi §. circa quartum num.* 122. *& num.* 350. Anchar. *cons.* 157. Marsil. *cons.* 199. *col. pen. num.* 30. *&* 31. & alij.

Et ex geminato consensu vẽditoris, purgari omnem suspicionem simulationis docet Berous *cons.* 154. *num.* 14. *&* 15. *lib.* 1. Bald. *cons.* 464. *videamus col.* 2. *lib.* 7. Roman. *cons.* 304. *num.* 4. Bursat. *cons.* 149. *num.* 64. *lib.* 2. Decianus *cons.* 2. *num.* 153. 154. *&* 157. *lib.* 1.

18 Confirmatur tertio, quia legitima probatio est illa, quæ fit per testes, & instrumentum, & ex confessione partis gloss. *in v. legitimis l. cũ de indebito ff. de prob.* Gloss. *in l. proprietatis C. de prob.* Gloss. *in cap. ad abolendam* gloss. 3. *verb. deprehensi, extr. de heret.*

Constat igitur, quod hi contrahentes habuerint animum celebrandi contractum emptionis, & venditionis, & sic de facto celebrarunt cum omnibus solẽnitatibus.

§. III.

Probatur iã altera pars consequentia, quod in dicto contractu venditionis nulla fuerit læsio.

19 QVia esto quod summa fuerit vltra dimidium valoris dictæ Baronię, mihi enim compertum non est eius valor, tantum noto, quod iustus valor Baronię est computandus deducta tertia, vel quasi tertia parte ob pactum de retrouendendo v. g. si valet Baronia ter mille ducatis, eius valor erit duobus millibus, & si fuerit empta minori pretio, quãm ille, tũc dicetur lęsio vltra dimidium, vt docet Molina *de iust. disp.* 375. *n.* 9. ex Gama. *decis.* 138. *num.* 2. *& decis.* 178. dicens esse communẽ, & id ęquitatem ipsam postulare: Dato inquam, quod d. Baronia fuerit empta pretio intra medietatem, adhuc dico, nullam fuisse læsionem, quia venditor sciebat valorem Baroniæ illius, nam eam diù possedit, & eius redditus in registris diligentissime cõfe-

fectis describuntur cum toto statu ex Crauett. *cons.* 151. *num.* 24. Bald. *in l.* 2. *q.* 6. *Cod. de resc. vend.* Cagnol. *ibi nu.* 125.

20 At scienti, & volenti nulla fit iniuria; dolus, aut deceptio, immo is censetur renunciare iuri suo Specul. *tit. de emption. & vend. rub. de rescin. vend. §. nunc dicendum num.* 12. *vers. quod si aliquis lib.* 4. *fol.* 94. Abbas *in cap.* 6. *cum causa sub num.* 4. *vers. aut vero quis*, & Anton. de Burg. *sub num.* 19. *ver. soluit, & ben. de empt. & vend.* Salic. *l.* 2. *num.* 11. *qu.* 7. *Cod. de rescind. vend.* quibus adde Menochium *cons.* 562. *num.* 5. *vol.* 6. vbi ex Bartolo, Baldo, Panthal. Crem. Barbat. Ruin. Anton. Burgos. Dec. Parisio, Tiraquel. Crauett. Anton. Gabr. Roland. à Valle, & alijs, dicens esse communem docet, quod vendens scienter infra dimidium iusti pretij non potest agere ad rescissionem cõtractus ex d. *l.* 2. quia non censetur læsus, & docet Scaccia *de camb. §.* 1. *qu.* 7. *par.* 2. *ampliat.* 10. *n.* 54. dicens, quoad volens venire cõtra contractum in isto casu, non auditur. Gregor. Lopez *leg.* 59. *v. menos de la mitad. tit.* 5. *part.* 5. Mattienz. *leg.* 1. *glos.* 8. *num.* 35. *tit.* 11. *lib.* 5. *noua recopil.* fauet Gutier. *pract. qq. qu.* 144.

21 Confirmari potest hæc consequentię pars ex communi doctrina Bartoli *in l.* 1. *num.* 4. vbi Ioan. de Platea *num.* 2. *Cod. de prædijs decur. lib.* 20. Angel. *l. prædia rerum num.* 3. *ff. ad l. falcidiam*, Decij *cons.* 210. *post. num.* 8. Castrens. *in d. l.* 2. *C. de rescind. vend. num.* 5. & aliorum, qui docent, venditionem factam ex decreto Iudicis non posse rescindi remedio *d. l.* 2. quia interueniente decreto Iudicis, non potest venditor dici deceptus, vel circumuentus; ergo multo magis non poterit venire contra dictam venditionem factam cũ assensu Regis, qui valorem rei venditæ cognouit, ac moderatus est omnia, & tradidit remedium, ne subiugatarij excluderentur à nouo emptore, &c.

22 Denique probatur consequẽtia, quoad tertiam partem, nimirum Caium emptorem non esse solitum celebrare contractus simulatos, & feneratitios, quod patet ex communi fama, ex libris rationum, quos habet, ex eo quod nunquam Iudices processerint contra illum de contractu simulato, aut fœneratio, & vsurario, vt probat Cæpolla *d. tr. de contr simul. nu.* 185. ex Tiraq. *de retract. con. præf. num.* 34. Couarr. *lib.* 3. *var. cap.* 8. *num.* 3. quos citat, et sequitur Rota Romana *decis.* 316. apud Farinaceum.

23 Qui docent in personam nobilem difficilius cadere vsuræ præsumptionem, Crauetta *cons.* 155. *fine.* Alciat. *res.* 45. Rolan. *cons.* 96. *num.* 20. *lib.* 2. Decian. *cons.* 2. *num.* 84. *lib.* 1. qui docet ex Oldrado, & alijs cessare suspicionẽ vsuræ, quando contractus celebratur à viro bonæ, & timoratæ conscientiæ. Et in hoc valde notanda est doctrina Baldi *in l. rogasti §. si tibi col. pen. ff. si certum pet.* Iason. *cons.* 153. *col.* 6. *vers. præterea lib.* 2. Afflict. *in cap.* 1. *in princ. n.* 51. *de feud. dato in vitem legis commiss.* Rolan. à Valle *cons.* 69. *num.* 43. *lib.* 2. qui docent, quod ad hoc, vt quis dicatur, quod solitus sit fœnerari requiritur, vt per triennium vsuras exercuerit.



§. IV.

Satisfit argumentis contrarijs.

24 DIces, ex modicitate pretij, & pacto de retrouendendo conuincitur contractus vsurarius ex *cap. illo vos de pignor. & cap. ad nostram de empt. & vend.* Ergo, cum in casu nostro sit pretij modicitas, esto non sit infra dimidium, & pactum de retrouendendo, censendus est contractus vsurarius.

Respondeo negando antecedens, prout illud negat Cæpoll. *tract. de simul. contractu nu.* 218. vbi ait [hoc non reperitur iure cautum, quod sola modicitas pretij solum in vno contractu, coniuncta cum pacto de retrouendendo faciat presumere cõtractum simulatum, seu in fraudem vsurarum celebratum, nisi interueniant aliæ præsumptiones, & coniecturæ, vt quia emptor solitus sit fœnerari, vel alios contractus huiusmodi suspectos, vel illicitos facere, vel quia fuit actũ de fructibus in sortem computandis, &c.] vbi latè probat, & examinat, dictos textus, per quos nõ inducitur vlla præsumptio contractus vsurarij, & simulati ex sola pretij modicitate cũ pacto de retrouendo; idem etiam docet Eminent. Delugo *de iust. dis. 26. sect.* 13. §. 1. *n.* 186. Castropal. *tom.* 7. *dis.* 5. *punt.* 31. §. 1. *num.* 3. asserens de communi, Layman. *lib.* 3. *tra.* 4. *cap.* 16. *sub num.* 17. *ver. interim semper*, Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 119. Molina *de ius. dis.* 375. *num.* 7. *vers. quamuis autem*, Couarru. *lib.* 3. *var. capit.* 8. *num.* 4. multos citans, Aluarus Valas. *consul.* 70. *num.* 3. Gama *decis.* 138. & post Bald. *in c.* 1. *nu.* 8. *de feud. dat. in vic. leg. commiss. & cõs.* 133. *quadam mulier. lib.* 1. Decius *cõs.* 166. *in causa quæ coram col.* 2. *ad medium* Nactam. ad Alex. *cons.* 54. *in principio verb. quod paruitas lib.* 6. Menochium *cons.* 743. *num.* 21. *lib.* 4. docet Gratianus *in discept. cap.* 258. *n.* 3. Iacob. de Arena, Cy. Dynus. Hosti. Ioã. de Anania, Anch. Cardinalis Zabarella, Crott. Archid. Castrens. Caccialupo, & alij innumeri, quos citat, & sequitur Roland. *cons.* 96. *num.* 19. *lib.* 2. dicens hodie esse magis communem, & de facto ita est ex recentioribus, quos citauimus.

Ergo ex hoc capite de modicitate pretij, et pacto de retrouendendo non inducitur præsumptio simulati contractus, et fœneratitij, sed potius ex tot adductis habetur certa, & euidens probatio animi vendendi, & emendi, et per consequens emtorem fecisse fructus suos, nec cõtractum celebratum esse nullum, quia nullo modo est vsurarius, vt probauimus.

25 Immo si in casu nostro non fuit læsio infra dimidiam partẽ iusti pretij, iuxta computum suprafactum, nec potest dici pretium fuisse modicum ex Iason. *cons.* 153. *col.* 3. *lib.* 2. Corn. *in cons.* 23. *col.* 3. *lib.* 3. Ruin. *cons.* 16. *num.* 5. *& cons.* 66. *num.* 9. *lib.* 4. Gazad. *in l.* 2. *num.* 155. *Cod. de pactis inter empt. & vend.* Cagnol. *ibi nu.* 14. Grauetta *cons.* 156. *num.* 4. Osasco *decis.* 42. *nũ.* 9. Roland. *cons.* 96. *num.* 34. Riminal. Iunior. *cons.* 218. *num.* 12. *lib.* 2. Scaccia *de cambijs* §. 1. *qu.* 7. *par.* 2. *ampl.* 10. *num.* 6. vbi citat Abbatem *cap.* 5. *ptuas nu.* 4. *de donat.* Anch. *in cap. peccatum n.* 21. *de regul. iur. in* 6. Cæpoll. *de simul. contr. nu.* 47. 223. & alios.

QVAE.

QVAERES LXV.

Turca Panormi habitans iam liber effectus emit ancillam scutis centum, eamque sibi matrimonio copulauit. Illa vult ad fidem catholicam transire. Turca pratendit, illam remansuram fore sibi seruam. Quaritur quid iuris?

An ob hoc delictum priuandus sit pretio, quo emit vxorem. ibi.

SVMMARIVM.

Ancilla contrahens cum Domino acquirit secundum multos libertatem n. 1.
Libertas semel data reuocari non potest n. 2.
Cur valeat alienatio ceterarum rerum in fraudem creditorum, & manumissio sit nulla ipso iure n. 3.
Dictio nihil agit, nullitatem actus importat ibid.
Libertas per matrimonium donata, est donatio irreuocabilis n. 4.
Si concedatur ad tempus est perpetua n. 5.
Vxor fidem amplectens cogitur ab Ecclesia à viro nolente ad fidem conuerti, recedere ibi.
Ancilla in d. casu non tenetur pretium, quo fuit à marito empta, illi soluere ibi.
Ancilla in sententia asserente, eã non fieri per matrimonium cum Domino liberam, non tenetur integrum pretium soluere n. 6.
Solidi quid sint; & cuius valoris ibid.
Quid si Ancilla volens baptizari non habeat vnde solidos dictos Domino soluat n. 7.
Indignum est, seruos effectos christianos, seruire infidelibus n. 8.
Maritus nolens sequi vxorem accedentem ad fidem peccat contra matrimonium, & in Deum n. 9.

1 AD hunc casum, de quo magna fuit dissentio inter graues Iurisperitos, respondeo cum distinctione, si loquamur in sententia, quæ asserit, Ancillam contrahentem matrimonium cum Domino statim acquirere libertatem, vt putat Gloss. *in ca. si quis viduam* 34. *dist. ver. ancill.* Archid, & Domin. *ibi fine* Turrecr. *num. vnico*, Syluest. *v. seruitus qu.* 4. Astens. *summa* 2. *p. lib.* 7. *tit.* 15. *ar.* 2. *qu.* 2. Gregor. Lopez *l.* 1. *part.* 4. *tit.* 13. *in fine*, vbi ait, illam legem concordare *cũ auth. vt liberi de cætero* §. *si quis autem coll.* 6. Basilius Pontius *lib.* 7. *de matrim. cap.* 54. *num.* 3. vbi probat, talem libertatem competere vxori iure naturali spectato, quod etiam tenet Dicastill. *de matr. dis.* 7. *dub.* 13. *num.* 122. Vasquez 3. *par. dis.* 80. *cap.* 8. & alij. de qua sententia videte meipsum de matr. lib. 7. dis. 20.

2 Stando inquam, in hac sententia puto d. Ancillam, quę ad fidem accedit remansuram liberam; nec à viro turca posse exigi pretium, quo illam emit. Ratio prioris partis est, quod libertas semel data reuocari non potest *l. & si sine dolo* 8. §. *quod Papinianus ff. de minorib.* ibi enim dicitur, quod si seruus sit factus hæres, & per hoc libertatem acquisiuit, remanebit talis, etiam si hæreditas ab ipso auferatur, puta si minor, qui hæreditatem repudiauit, & per hoc seruus factus est, restituatur in integrum aduersus seruum hæredem substitutum, et auferat ab illo hæreditatẽ, seruus nihilominus liber remanebit.

3 Vnde quamuis alienatio aliarum rerum in fraudem credito-

rum facta valeat, donec reuocetur *l. 1. ff. quæ in frau. cred.* at libertas data in fraudem creditorum est ipso facto nulla *institut. quibus ex causis non licet* vbi dicitur, qui in fraudem creditorum seruum manumittit, *nihil agit*, id est manumissio erit ipso iure nulla. *ex l. is, qui hæres 13. ff. de acqu. hæred.* iuncta *l. is potest 18. ff. eod. & l. obligari 9. §. tutores ff. de autor. tutor.* ita alios allegans Tiraquellus *l. si vnquam ver. reuertatur num. 165. Cod. de reuoc. donat.* ergo cum ancilla empta à Turca, & illi nupta, fuerit statim libera, attento iure communi, ac naturali, sequitur quod non potest iterum esse serua.

4 Altera pars, quod Turca non possit pretium, quo illam emit repetere, facile ex dictis constat: nam ista libertas per matrimonium donata est quædam donatio irreuocabilis, consequens ipsum cõtractum matrimonij Domini cum sua ancilla (posita dicta opinione, quod statim fiat ancilla per matrimonium cũ domino libera) & sic illa acquisiuit ius in re, quo sine sua culpa spoliari non potest.

5 Neque potest dici, quod illa libertas fuit data ancillæ à Turca marito, pro tempore matrimonij, & sub conditione quadam, nisi matrimonium dissoluatur: nam libertas non potest concedi ad tempus: & concessa ad tẽpus est perpetua, *l. libertas 31. l. ideo 34. ff. de manumiss test.* neque ancilla vxor facit Turcæ iniuriam, dum suæ memor salutis vult fidẽ catholicam amplecti, & illum renuentem vna cum vxore ad fidẽ cõuerti, deserit matrimonio dissoluto, & ad aliud cum christiano incundum transit, vtitur enim iure suo, & Ecclesię præcepto cogitur à viro infideli, & nolente ad fidem conuerti recedere, vt dixi *lib. 7. de matr. dis. 73.* ergo vxor hæc, quæ fuit à Turca empta, non tenetur pretium, quo fuit empta soluere, quia libertas fuit illi simpliciter, et irreuocabiliter donata, ac nullam committit contra Turcam maritum ingratitudinẽ; vnde possimus condemnare illam ad solutionem pretij.

6 Quod si fiat supposito, quod ancilla domino nupta remaneat serua, prout asserui cum Sãchez *lib. 7. de matrim. dis. 20.* citatis alijs. tunc ancilla volens baptizari, solutis 12 aureis Turcæ domino, ac marito, libera erit, ita disponitur *in cap. 65. Regis Federici* in nostro Regno. ibi [Quod si quem non dum ad fidem conuersum causa mercimonij emeret, et postmodum factus sit, vel fieri desideret christianus, datis pro eo duodecim solidis, ab illius seruitio protinus subtrahatur, si autem infra tres menses venalem ipsum nõ exposuerit, vel ad sibi seruiendũ tenuerit eumdem, nec ipse vẽdere, nec alius audeat comparare; sed nullo dato pretio, perducatur ad præmia libertatis] vbi Muta num. 3. ait [solidos hic accipimus aureos, quia aureum, et solidus idem sunt ex adductis infra in cap. Regni Regis Alphonsi 258. sub versic. ad idem tom. 5. vbi scripsi quod 12. solidi, vel aurei faciunt libram de iure cõmuni *l. quoties vbi Bart. Cod. de exac. tribut.*]

7 Denique vnum obseruo, quod si nec ancilla habeat pretium 12. solidorum, nec aliquis illam velit emere (stando in hac secũda sententia, quod per matrimonium non fuerit libera) potest inuito Turca baptizari, & statim libertatem consequetur.

Du-

8 Ducor, quia ex vna parte indignum est, fidelem personam seruire infideli, ac turcæ tanquā domino, vt habetur *in d. cap. Regni 65.* [cum indignum sit, christianos, seu seruos per baptismatis dignitatem effectos Christi filios, ad fideles, Iudæis, quos propria culpa suppressit perpetuæ seruituti, vel cæteris etiam infidelibus ministrare, etc.]

Ex altera vero parte Ancilla non habens duodecim solidos est in graui necessitate, quia vult baptizari, & nō potest remanere serua Turcæ, ne dedecus afferat christianæ Religioni, ergo censenda est libera ab hac obligatione, quę videtur naturali iuri conformis; nimirum vt soluat pretium domino, à quo fuit empta.

9 Facit etiam hęc consideratio; Turca maritus, & dominus debet merito priuari pretio, quo emit ancillam vxorem, posito quod nolit illam ad fidem venientem sequi; nā peccat in Deū, & in legem matrimonij, vt ait Diuus Ambrosius 1. *Chorint. 7.* relatus *cap. fin. 28. qu. 2.* ius enim, ac præceptum diuinum suscipiendi baptismum omnes obligat, et in hoc casu est pecularis ratio obligans ex vi matrimonij contracti Turcam ad non dandam iustam causam diuortij suæ coniugi, quam debet sequi suscipientem fidem, vt bene Sotus *in 4. dis. 39. qu. vnica ar. 4. col. 8. ver. contra hoc tamen.* sibi igitur imputet Turca, si pretium, quo vxorem Ancillam emit, recuperare non potest.

QVAERES LXVI.

An christianus captus à Turcis, & à fide apostatans, si à fidelibus capiatur remaneat seruus, si velit ad fidem redire.

SVMMARIVM

Affirmatiua sententia sustinetur n. 1.

Apostatæ à fide si capiātur à christianis fiunt eorum serui ibi.

Quid si reconcilientur n. 2.

Turcæ capientes christianos, an iuste redigant eos in seruitutē. n. 3.

An possint iuste vendere christianum, qui in eorum seruitute apostatauit à fide n. 4.

Apostatæ à fide, an possint ob susceptum baptismū esse serui infidelium ibi.

Clerici post actualem degradationem carent omni priuilegio clericali ibi.

Turcæ non faciunt bellum iustum contra christianos n. 5.

1 AFfirmatiue respondendum duxi, cum non multis ab hinc diebus in facti contigentia consultus fuissem. Ducor, quia isti apostatæ à fide, quando capiuntur à Christianis fiūt licite, ac vere serui capientium; ergo etiā si redeant ad fidem remanent in eadem seruitute. Antecedens traditur à Ioan. Vigers. in D. Th. 2. 2. *qu.* 40. *ar.* 1. *dub.* 5. *num.* 67. Bañes 2. 2. *qu.* 40. *ar.* 1. *ver. pro decisione* ibi [certissimum mihi videtur, quod licitum est ex iure belli istos apostatas adultos redigere in seruitutem, tanquam mancipia, sicut alios infideles, qui nunquam susceperūt fidem, in hac conclusione conuenit vtraque sententia, & probatur optime argumētis factis secundo loco] his adde Caspensem in cursu Theologico *tom. 2. tract. 17. dis. 7. sect. 1. num.* 17. & alios, quos citat, ac sequitur Diana *p. 11. tr. 3. res.* 1. & fauent à fortiori Granadus in D. Thom. 2. 2. *contr.*

contr. 3. *tr.* 13. *dis*.4. *sect*. 8. *n*.72. Trullench. *in decal. tom*. 2. *l*. 1. *c*. 2. *dub*. 5. *nu*. 10. qui putant, etiã hæreticos iusto bello captos esse seruos, & mancipia.

2 Consequentia meo iudicio probatur aperte; nam qui sunt semel serui christianorum capti, dum erant infideles, quando baptizantur remanent serui; cũ ex iure gentium introductum sit, ne christiani ob baptismum, & fidei professionem fiant serui, in bello capti, vt docet Bañes *dic: quæ* 40. *ver. ad* 1. & non est introductum, vt qui baptismum suscipiunt à iusta seruitute liberi fiant, & constat ex quotidiano vsu: ergo cum isti Apostatæ à fide fiant serui, æque, ac illi, qui nunquam fidem susceperunt, vt vidimus num. præc. sequitur, quod si redeant ad fidẽ, non fiant liberi; cum nullibi hoc priuilegium habeatur: sed solum, quod christiani non sint infidelibus vendendi, vt per sacros Canones statutum est, et etiam per leges Regni, vt *qu. præ.* vidimus.

3 Sed maius dubiũ est; an Turca potuerit hunc apostatã vendere, ita vt christianus emens possit illum retinere tanquam seruum, & mancipium. Ratio dubitandi est, quia Turca capiens christianum, non retinet illum in iusta seruitute, vt iam cõmunis fere docet opinio, neque obstat, quod ille post capturam, fidem reliquit: nam remanet baptizatus, ita vt, si redeat nõ sit iterum rebaptizandus, & per consequens videtur indignum, christianos, Saracenis, ac Turcis seruire, vt *qu. praec.* diximus.

4 Cæterum mihi videtur, hunc post apostasiam à fide posse à Turca vendi, & licite ab alijs emi. spectata tantum ratione fidei susceptæ in baptismo, & postea sacrilege abnegatæ quia.

Quamuis quando fuit captus, cum esset fidelis non posset esse seruus turcæ; tamen ex quo apostatauit à fide, & erat in potestate turcæ, factus est illius mancipium, quia nullo iure cauetur, vt apostatæ à fide non possint esse serui infidelium, nec propter susceptum semel baptismum debent hoc priuilegio gaudere; sed potius æquum, ac dignum est, eos ob fidem desertam habendos esse tanquam spoliatos omni christianorum priuilegio, sicuti clerici post actualem degradationem, omni priuilegio clericali priuantur, tam Canonis, quam fori, vt tenet communis opinio cum Squill. *de priu. cleric. cap.* 6. *num.* 14. sic isti apostatæ non obstante baptismi charactere omni sunt christianorum priuilegio priuati.

5 Dixi spectata tantum ratione fidei susceptæ, vt innuerem cõmunem fere opinionem, quam sequitur Couarr. *in reg. peccatũ* 2. *par*. §. 11. *num*. 6. nimirum bellum ex parte turcarum contra christianos esse iniustum, & sic captos in bello non effici sub dominio turcarum, sicut nec alia bona christianorum, sed debent omnia restitui, nullo accepto pretio, à Turcis, vt docet Lessius *lib*. 2. *de iust. cap*. 5. *dub*. 4. *num*. 12. *vers. aduerte tamen*.

Vnde hic apostata ex eo quia nunquam fuit in dominio Turcæ, non potuit ex hoc capite licite vendi, aut emi sed hæc quæstio est alterius considerationis ab ea, de qua consultus fui. vide Giurbã de hac *quæst. obseruat*. 19. Molinam *de iust. dis*. 35. *& seq*.

QVAE-

QVAERES LXVII.

An Prothomedicus possit die festo visitare pharmacopolas, examinando pharmaca &c.

SVMMARIVM

In diebus festis, an possit forense iudicium fieri n. 1.
Iudex exercēs actum iurisdictionis in die festo peccat mort. n. 2.
Arbiter, an possit in die festo iudicium ferre n. 3.
Visitatio medicinarum, &c. non est iurisdictionis n. 4.
Quæ requirantur ad forense iudicium n. 5.
Pater familias num die festo possit penum visitare, &c. n. 6.
[illegible] veniat nomine placiti, quod die festo prohibetur n. 7.
[illegible]icet die festo visitare Ecclesias, & eius supellectilia n. 8.

1 NOn est dubium, quod si instaret necessitas, possent tales visitationes fieri, vt patet ex dictis à me *de virt. relig. tract. 1. lib. 3. dis. 10.* sed quæstio mouetur, attenta solum illa actione visitandi, et ratio dubitationis, quam ingeniosus Theologus afferebat, hæc fuit, quia in diebus festis est prohibitum forense iudicium, vt habetur *in cap. 1. de ferijs.* ibi [nec placitum fiat, nec aliquis ad mortem, vel ad pœnā iudicetur.] at hæc visitatio fit iudicialiter cum Magistro Notario, et alijs satellitibus, et multoties pharmacopolæ puniuntur.

2 Confirmatur primo: quia Iudex exercens actum iurisdictionis in die festo peccat mortaliter, nisi sit meræ executionis, vt docet Sanchez *lib. 6. cons. mor. cap. 1. dub. 27. num. 2.* ex Nauarro, Syluest. et alijs; sed in casu nostro Prothomedicus exercet actum iurisdictionis, et quidem contentiosæ: ergo.

3 Confirmatur secundo, quia non licet die festo coram arbitro causā agere, nec sententia ab eo lata tenet: nam ille procedit iudiciali modo, et non est, vt arbitrator, qui procedit vt amicabilis compositor ex Feder. de Senis *cons. 11. 12. & 13.* Abbas Host. Ioann. Andreas, Specul. *ca. vltimo de ferijs.* Regin. *lib. 19. nu. 45. ver. 5. quæstio.* et alijs, ergo quamuis dicamus, Prothomedicum non esse vere iudicem in ea visitatione; negare non possumus, illum procedere tanquam arbitrum in ea functione, et per consequens nō poterit die festo visitare pharmacopolas.

4 His tamen non obstantibus, mihi videtur probabilius, posse dictum Prothomedicum visitare die festo Pharmacopolas, fūdamentum est, quia illa visitatio non est actus iurisdictionis; sed potius cuiusdam politicæ, ac bonæ gubernationis, quæ pertinet *Panormi* ad *Prætorem*; vt infirmis dentur medicamenta bene confecta, ac recentia.

5 Neque in hoc exercetur iudicium forense, quod est die festo vetitum: nam ad iudicium forēse requiruntur essentialiter quatuor. Iudex, Actor, Reus, et Testes ex Marant. *pract. in 2. part. in principio*: quem sequitur Tuscus *ver. iudicium quot modis concl. 478. num. 5.* in casu etiam nostro non est partis citatio, processus informatio, dilatio, recusatio, etc, quæ sunt iudicio substantiali *ex cap. quoniam contra de prob.* Zabarell. *cons. 139.* Ang. *cons. 48. num. 7.* Tusc. *concl. 481. lit. 1. v. iudicium num. 1. & seq.*

Sed

Sed immediate visitantur medicamenta non personæ, & vt plurimum pœna est, vt ea foris eijciantur. nec Notarius est pro testium examine, aut alio actu, sed tantum notat, factam fuisse visitationem Apothecæ talis pharmacopolæ, ac fuisse ad hoc condemnatus tali die, &c.

6 Certe nõ videtur negandum posse die festo patrem familias visitare omnia domus supellectilia, penum, &c. si aliqua deprauata inuenerit, igne comburere, ac famulos, qui ea bene curare debeant punire.

7 Præsertim cum verba *cap. 1. & fin. de ferijs.* vbi aliquot actus liberales prohibentur, magnum quid sonẽt. in *c. fin.* dicitur [mercatum minime fiat, neque placitum, neque aliquis ad mortem, vel ad pœnam iudicetur] vbi per *placitum* Doctores intelligũt venire forense iudicium, in quo iuxta arbitrium Iudicis legibus regulatum termini constituuntur, ac sententiæ feruntur, vt dixi cum Suario, & alijs *de vir. relig. tr. 1. lib. 3. dis. 8. num. 5.*

8 Hanc sententiam videtur facile daturus Sanchez, qui *lib. 5. cons. mor. cap. 2. dub. 27. num. 3.* ait, esse licitum visitare Ecclesiã, & clericos diebus festis absque strepitu iudiciali; at in visitatione Ecclesiarum, omnia paramenta, sacra supellectilia, calices &c. examinantur, & quæ vidẽtur parum decẽtia remouentur, & notantur, ac describuntur res inuentæ, & quæ pro diuino cultu sunt faciendæ. dabit igitur Sanch. cũ Gaietano, quem citat, posse visitari die festo apothecas pharmacopolarum cum talis visitatio fiat sine strepitu iudiciali, & per hæc patet solutio ad argumenta, quæ doctus ille Theologus proposuit. Saluo, &c.

QVAERES LXVIII.

An maritus, qui tempore matrimonij gessit lites ad bona vxoris defendenda possit in restitutione dotis, sibi retinere stipẽdia Aduocati, Procuratoris, Iudicum prouisiones, &c. quæ sibi remissa sunt gratis ab illis.

SVMMARIVM

Negatiua sententia videtur quibusdam probabilis n. 1.

Maritus an sit dominus, vel administrator dotis, & quando ibi.

Suscipiens alienum negotium ex charitate, an possit petere, & exigere salarium, ac si esset conductus n. 2.

Maritus, an possit expensas litis petere, si litigauit pro conseruando capitali rerum dotalium n. 3.

Maritus, cui facta est remissio salarij ab Aduocatis, &c. censetur eos repræsentare n. 4.

Quid si mouit lites contra alios ad acquirenda bona stabilia vxoris n. 5.

Quid si fecit lites pro conseruando fundo dotali n. 6.

Quare dominium habeat maritus fundi dotalis ibid.

Quid si vxor tradit fundum æstimatum, æstimatione faciente emptionem, & tenebatur de euictione n. 7.

Quid si lis facta est pro conseruãdis bonis communibus, an possit integrum salarium repetere n. 8.

Donata vni ex coniugibus, quando communicentur ibi.

Quid si maritus habuit animum non repetendi salarium sibi remis-

sum ab aduocato &c. n. 9.
Donatio alteri facta quando sit irreuocabilis ibi.
Satisfit argumentis nu. 1. positis n. 10.

1 NEgatiua sententia videbatur omnino amplectenda viris quibusdam doctissimis. Ducebantur 1. quia maritus est legitimus administrator bonorũ vxoris, quæ sibi dantur in dotẽ æstimata æstimatione, quæ non facit emptionem, & eorum, quæ dantur sibi æstimata æstimatione, quæ facit emptionem, est verus domminus; itaut illa libere alienare possit *ex l. quoties Cod. de iur. dot. l. plerumque ff. eod.* & super hęc bona si sint immobilia, potest censum perpetuum constituere, ex Feliciano lib. 2. *de cens. cap. 3. num.* 3. ergo tenetur aut ex suo officio tanquam administrator, aut tãquã dominus bona dotalia defẽdere, nec ob id potest exigere expensas factas.

2 Secundo, qui suscipit alienum negotium ex charitate non potest facere compensationem ad retinendum stipendiũ, quod sibi debitum fuisset, si fuisset conductus, vt docent Ioan. Andreas, & alij, quos refert Abbas *cap. finem litibus de dolo, & contum.* Ergo multo minus potest maritus, qui bona vxoris defendit ex officio, salarium, & alia stipendia, quæ reuera non soluit sibi compensare ex bonis dotis: cum censẽdus sit ea tractasse ex amore, quo se coniuges mutuo diligunt, & quia vt innui, suũ est vxoris bona, cum qua est vna caro, defendere. Nihilominus ad propositam quæstionem respondeo per sequentes conclusiones.

3 Dico 1. si maritus litem fecit pro defensione capitalis rerum dotalium, quia v.g. tertius prætendebat sibi illa vendicare; tũc potest, dissoluto matrimonio, integre sibi compensare stipendia Aduocati, Procuratoris, &c. si suo intuitu ab illis fuere remissa. Fundamentum est, omnes expensæ, quæ fiunt ad conseruationem talis capitalis debent integre solui ab vxore, non secus ac soluendæ essent expensæ, quæ fierent pro soluendis debitis, ante matrimonium contractis, vt docet Castropalaus *tract. 32. dis. 9. punt. 15. num.* 4. cum Molina *de iustit. dis.* 433. *circa finem*. sed inter expensas, quæ factæ sunt à viro ad defendenda bona vxoris recte connumerantur dicta stipendia, & alia, viri intuitu sibi remissa: ergo.

4 Minor probatur: maritus in hoc casu succedit ipsi Aduocato, Procuratori, &c. estque donatarius iuris, quod ipsi habebãt virtute remissionis sibi factæ: ergo sicuti illi possunt retinere salarium, ab vxore ipsis debitum, & nisi detur, facere compensationem in bonis illius, vt docet Clauis Regia c. 62. Regin. lib. 25. num. 682. ita poterit maritus.

5 Et idem videtur dicendum, si maritus mouit lites contra alios ad acquirenda bona stabilia vxoris, quæ in dotem illi traditæ non sunt; sed ad vxorem pertinent, aut quando fecit meliorationem in bonis vxoris, quæ sũt subiectæ maioratui, seu fideicõmisso, quia hæc non communicantur inter coniuges, sed ad solam vxorem pertinet ex Azebedo *l. 5. num. 4. tit. 9. lib. 5. noua collet.*

6 Dico secundo. Si maritus fecit lites pro conseruando fundo dotali, ab vxore sibi tradito, & ęstimato ęstimatione, quæ facit emptionem, & vxor non tenebatur de euictione: tunc soluto matrimonio, non potest facere compensationem stipẽdiorum, quę ab Aduocatis, &c. sibi sunt

remissa. Ducor, quia maritus habet verum, ac plenum dominiū talis fundi, & solum tenetur dissoluto matrimonio, estimationem reddere *l. quoties Cod. de iur. dot. l. plerumque ff. eod. l. æstimatis ff sol. matr.* vbi Castren. *nu.* 4. Campecius *de dote* 1. *p. qu.* 40. *n.* 2. & alij, itaut secundum aliquos, in eo possit censum constituere perpetuum, vt dixi initio quęstionis, atque adeo pertinebit ad ipsum tanquam ad verum dominum eius conseruatio.

7 At si vxor tradens talem fundum æstimatum æstimatione, quę facit emptionem tenebatur de euictione, tunc potest maritus ex bonis vxoris proprijs facere integram compensationē omnium stipendiorum, sibi remissorum: quia in hoc casu lis facta est pro seruando capitali vxoris: cum ea teneretur aliū fundū, pro euicto à marito, tradere.

8 Dico 3. si lis facta est pro alijs bonis communibus marito, & vxori, poterit maritus retinere medietatem tantum ex stipendijs sibi remissis, Ratio est; quia quāuis bona donata ab amicis, vel consanguineis vni ex coniugum non communicentur, nec alteri sint diuidēda, cum præsumantur data ex affectione, & voluntate, vt donatarius coniux sibi retineat, vt late Gutierez *li.* 2. *prac. quæst.* 120. tamen ratione communionis, quam habent in illis bonis, vt supponimus, maritus, & vxor, omnia lucra, quę vnusquisque comparat communia sunt. vt alijs relatis probat Ant. Gomez *leg.* 50. *Tauri n.* 70. Molina *dis.* 433. *prope finem.* & ratio ipsa naturalis dictat, vt in re communi expēsæ, & vtilitates sint communia; si ergo ob aduocati, &c. stipendia requirebantur cētum aurei; qui sunt remissi gratis marito, pro sua portione poterit retinere ex bonis vxoris, soluto matrimonio tantum 50. quia in his tātum debebat vxor concurrere.

9 Dico 4. hæc stipendia potest maritus retinere modo dicto in præcedentibus conclusionibus, non obstante, quod habuerit animum viuente vxore, illi ea remittere. hæc conclusio videri potest esse contra Dicastillum lib. 2. de iust. tr. 1. dis. 9. num. 39. vbi docet, quod procurator, qui suscipit gratis causam litigantis nullum poterit deinde retinere salarium, nam eo ipso quod gratis suscepit, cessit iuri suo; si tamē animo mercedis eam causam suscepit, poterit mercedem iustam retinere. Probat tamen nostra conclusio, quia ad hoc, vt donatio gratuito fata alteri sit irreuocabilis, non sufficit animus donandi, etiam signis externis, aut verbis manifestatus; sed requiritur donatarij acceptatio, itaut donec ab eo acceptetur possit à donante reuocari, vt probaui *lib.* 1. *de matr. dis.* 7. ergo animus mariti volentis remittere vxori partem illam, seu medietatem stipendiorum, quæ sibi Aduocati, &c. Remiserunt non efficit, quin maritus mutato animo, possit illam in bonis vxoris repetere. Consequētia hæc patet; nam ista remissio est liberalis donatio: sed donatio manifestata etiam verbis potest reuocari ante acceptationem donatarij: ergo multo magis potuit maritus, qui tantum in animo habuit remittere vxori stipēdia illa, hanc voluntatem mutare. cum nec vxori manifestam eam fecerit.

10 Ad argumēta contraria dico, ea probare, maritum non posse salarium percipere ratione agētiæ, vt sic dicam, quam suscipit ad defendenda bona vxoris. At non probant, eum non posse reci-

ci-

cipere expensas, quæ faciendæ essent in lite ob salarium Procuratorum, Aduocatorum. &c. quæq; remissæ sunt ipsi marito.

QVAERES LXIX.

An æstimans opus ab alio artifice factum multo pluris, quam valeret teneatur ad soluendū, Domino excessū, si bona fide id fecit.

SVMMARIVM.

Facti species n. 1.
Negatiuæ sententiæ fundamenta (n. 2.
Comburens casu alterius syluam non tenetur ad restitutionē ibi.
Ex leui culpa, num oriatur obligatio restituendi sub veniali n. 3.
Nemo tenetur ex culpa leui in officio n. 4.
Inferens dānum alteri ex mera ignorantia non tenetur ad restitutionem n. 5.
Affirmatiua sententia probatur, & sustinetur n. 6.
Lata culpa qua sit. n. 7.
Bona fides, qua debet esse, vt à restitutione liberet, & à culpa ib. & n. 8.
Negotiorum gestor quando teneatur restituere n. 8.
Consentiens damno alterius, quādo teneatur ad restitutionem n. 9.
Argumenta in contrarium adducta soluuntur n. 10.

1 Titius artifex fecit cuidam equiti opus frigiatū magni valoris, & falso dixit in illa re fuisse à se expensos, vltra summā pecuniæ à Domino datā supra tercentum aureos, adhibito à Domino, & ab artifice æstimatore, viro probo, et integris moribus. hic ne afficeret Titium sibi amicissimum ignominia, æstimauit opus illud tanti, quanti dixerat Titius valere, certo credens, illum post factam æstimationē soluturum Domino excessum trium centorum aureorum. at noluit Titius post factam æstimationem soluere dictam summam. Quæsitum à me fuit, an teneatur æstimator soluere Domino excessum supra verum valorem rei, à se æstimatæ.

2 Negatiue responderunt doctissimi Recentiores, inter quos casus agitabatur. Ducti ex eo, quia æstimator non tenetur reficere damnum, quod domino obuenit ob suā æstimationē, neque ratione rei acceptæ, neq; iniustæ acceptionis: nam neq; habet aliquid, neq; culpabiliter dominum læsit; processit enim bona fide, vt si quis casu, & præter intentionem cōburit alterius syluam, nō tenetur ad restitutionē. *l. qui occidit 30. ff. ad l. Aquiliam §. in hac quoque* ex qua Less. *lib. 1. de iust. c. 7. dub. 6. fine.* probat pro foro conscientię nō esse obligationem restitutionis, vbi non est dolus, vel culpa theologica Delugo de *iust. & iur. dis. 5. num.* 49. alios citans.

3 Immo si ponamus, quod æstimator aliquam leuem culpā cōmiserit; adhuc videtur dicendū eum non teneri neq; sub veniali ad restitutionē damni, Domino sequuti, nam vt ait Less. *d. dub. 6. n.* 28. obligatio in materia graui non potest esse, nisi sub mortali, pendet enim obligatio ex materię grauitate, posito præcepto naturali, aut positiuo; mirū enim esset, hominē sub veniali dumtaxat obligari ad restitutionē decē millium aureorū, &c. ita Less. quē multis citatis. sequitur Delugo *d. dis. 8. n.* 56.

4 Neque obstat, quod æstimator teneatur ex officio, & quasi cōtractu æstimare valorem prout putat, quia nemo tenetur ex culpa leui, vel leuissa in officio sed solum ex graui ex Lessio lib. 2. cap. 7. dub. 7. num. 31.

5 Confirmatur. quia qui infert dam-

damnum alteri ex mera ignorãtia, vt si putans esse feram in sylua iaculum emittat, quo hominem occidit, non tenetur in foro conscientię ad restitutionem, vt docent cõmuniter Doctores in materia iustitię: ergo cum ęstimator putauerit, Titium fore restituturum damnum Domino, nempe excessum ęstimationis à se factę, nõ videtur condemnandus; si Titius nolit soluere, cum ęstimans fuerit bona fide, & processit ex ignorãtia, qua putabat, Titium non recessurum ab eo, quod deberet: nec futurũ ingratum ipsi ęstimatori.

6 His tamen non obstantibus dixi; hunc ęstimatorem teneri ad reficiendum domino excessũ ęstimationis rei, supra valorem eius. Fũdamentũ est, quia hic tenetur ex officio, & sic ex quodã quasi cõtractù debet æstimare res, prout putat suo arbitrio valere, vt de se patet: ergo cõmisit latã culpam, & iniustitiam contra initum quasi contractũ cum Dño rei, dum pluris æstimauit, quam res valeret: tenetur ergo reficere damnum, quod Dño rei intulit sua mala æstimatione, et tam lata culpa in suo officio. *ex l. 2. C. si tutor, vel curator*, & docet Dicastillus de iust. lib. 2. tr. 2. dub. 7. n. 86. vbi ait, hanc assertionem meæ consequentiæ à nemine negari.

7 Quod autem æstimator commiserit latã culpam in suo officio probatur manifeste; nam lata culpa est, quando quis in suo officio omisit illam circũspectionẽ quam homines in suo officio adhibere solent, ex Lessio *lib. 2. c. 2. n. 23.* & alijs. Et præterea talis culpa fuit coniuncta cũ peccato mortali: nam dixit mendacium perniciosum inferens alteri damnũ in re graui, in quo casu omnes docent, teneri ad restitutionem damni illati.

Neq; illa intentiõ liberandi Titiũ ab infamia, in quam se dolò malo is coniecit, aut certa opinio, quod ablatũ restitueret, excusat æstimatorem à peccato commisso contra *Dominũ*, & à culpa in sua ęstimatione male facta, nemo enim excusabit furtũ à peccato ex eo, quia dũ furatur habet animũ restituendi ablata.

8 Confir. 1. quia in hoc casu bona fides æstimatoris nõ fuit, quod res à se æstimata tãti valeret, quãti ipse æstimauit, vel in æstimatione fuit quædã inaduertentia; in hoc n. casu procederent argumẽta illorum recentiorũ; sed fuit quatenus putauit, Titiũ restiturũ excessum æstimationis, vt ex facto ponitur. ergo Titio non restituẽte, tenetur ipse æstimator Dño satisfacere. Cõsequẽtia hæc patet, quia hic fuit quasi negotiorũ gestor Titij, dum ne eius fama lederetur, rem æstimauit pluris, quam valeret: ergo nõ soluente principali, tenetur ipse negotiorum gestor.

9 Cõfirmatur secundo, quia cõsentiens damno alterius tenetur ad restitutionem, quãdo ex eius cõsensu pẽdet actio iniusta, cẽsetur enim causa moralis ipsius, vt omnes docent, prout videri potest in Dicastillo *l. cit. tr. 2. du. 7. n. 91.* Em. Delugo *de iust. dis. 19. n. 55.* & alijs: sed hic æstimator falsus, æstimando rem pluris, quam valeret, ita consensit primæ æstimationi factæ à Titio, vt sine suo iudicio damnũ Domino nõ obuenisset, vt constat in facto. ergo tenetur, Titio non restituente, damnũ reficere domino ob suã malam æstimationem.

10 Et per hæc soluta manent, quæ in contrarium afferebantur, nã vt n. 8. dixi rẽdunt, quãdo bona fides fuisset in ęstimando rẽ pluris, quam valeret.

FINIS



6-4